


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
34 I
1


In his
duobus tota lex pendet.



DE PRÆCEPTO
CHARITATIS,
A MEDIATORE

Dei, & Hominum, Homine Christo Iesu,
Ore Dominico, prolato,

(Cuius Custodia ad Cælum parat viam, Scalam facit, præbet alas, Fidem adauget, excitat Spem, Dilectionem roborat, Animam, quàmuis aridam, rorefacit.)



PRÆSTANS EXPLICATIO,

Multis Sanctorum Patrum Doctrinis coronata


AVCTORE

D. ALOYSIO DE S. SEVERINO

PRINCIPE BISINIANI,
COMITE SAPONARIÆ,

Altimontis, &c. Domino Domus de Santo Seuerino, Primo Regni Neapolitani Barone, & Hispaniarum Magnate: Canonum, & Legum Doctore,

Iu Sacris Paginis, Theologiâ, Doctrinis Politicis, & Moralibus Versatissimo.



NEAP. Ex Officinâ Nouelli de Bonis Typog. Archiep. 1666.
SVPERIORVM FACVLTATE.

Ad Eminentiſs. & Reuerendiſs. Dominum

D. PASCHALEM DE ARAGONIA.


S.R.E. CARDINALEM

MERITISSIMVM,

Archiepiſcopum Eccleſiæ Toletanæ, &c.

D. ALOYSII DE S. SEVERINO Principis Biſiniani, Comitis Saponariæ, &c.

PROOEMIVM.



Abeat quis quantumlibet magnum Ingenium, & infinitam ferè ſermonis ſuppellectilem, non tamen poterit beneficia, & amorem Dei ergà homines, excogitare plenè, aut eloqui: neque eſt, qui recenſere ſingula omninò valeat. Quemadmodùm enim maris fluctus (quàmuis cogamur) enumerare nunquàm poterimus; Ità neque beneficiorum Dei, quæ in noſtram contulit naturam, varietatem. Fecit namque Deus hominem rationis capacem, imitatorem ſui, virtutum æmula-

torem, cupidum cœlestium gaudiorum. In hunc requiescit Deus, qui ait: Super quem requiescam, nisi suprà humilem, & quietum, & trementem verba mea? *Gratias ergò Domino Deo nostro, qui huiusmodi opus fecit, in quo requiesceret: Fecit cælum, non lego, quòd requieuerit: Fecit terram, non lego, quòd requieuerit: Fecit Solem, Lunam, & Stellas, nec ibi lego, quòd requieuerit: sed lego, quod fecerit hominem, & tunc requieuit, habens cui peccata dimitteret:* Faciamus, *inquit,* hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. *Tanta itaq; dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, vt non solo iubentis sermone, sicut alia sex Dierum opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis, & opere maiestatis diuinæ creatus sit homo: vt, ex primæ conditionis honore intelligeret, quantùm deberet suo conditori, dùm tantùm in conditione mòx dignitatis priuilegium præstitit ei Conditor, vt tantò ardentiùs amaret Conditorem, quantò mirabiliùs se ab eo esse conditum intelligeret. Nec ob solum, quòd consilio sanctæ Trinitatis sic excellentèr à Conditore conditus est, sed etiam, quòd ad imaginem, & similitudinem suam ipse Creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. Quæ imago diligentiùs ex interio-*

rio-

rioris hominis nobilitate est consideranda. Primò quidem, quòd sicuti Deus vnus, semper vbique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernãs, sicut Apostolus confirmat, quòd in eo viuimus, mouemur, & sumus: *sic Anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernans. Nec enim in maioribus corporis sui mẽbris maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago Vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se. Quæ quoque quamdam sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primò in eo, quia, sicut Deus est, viuit, & sapit: ita anima secundùm modum suũ est, viuit, & sapit. Est quoque & alia Trinitas in eà, quæ ad imaginẽ sui Conditoris perfectè quidẽ, & sũmæ Trinitatis, quæ ex Patre & Filio, & Spiritu sãcto cõdita est. Et licèt vnius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, idest, intellectũ, voluntatem, & memoriam. Quod idem, licèt alijs verbis, in Euangelio designatur, cum dicitur:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animà tuà, & ex totà mente tuà: *idest, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memorià. Nam, sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre, Filioque procedit Spiritus sanctus:*

ctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facilè à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim Anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium vnum aliquod, quantùm ad suam pertinet beatitudinem, sine alijs duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dij sunt, sed vnus Deus tres habens personas; ità & Anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates: atque in his tribus eius imaginem mirabilitèr gerit in suà naturà noster interior homo, *ex quibus, quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere Cōditorem, vt in quantùm intelligitur, diligatur, & quantùm diligitur, semper in memorià habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore eius voluntas: immò neque hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis, & diligentis, maneat Deus: vt, sicut non potest esse momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & misericordià; ità nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria. In Anima tria intueor, rationem, vo-*

lun-

luntatem, memoriam: & hæc tria, ipsam animam esse. Quantùm cuique horum in præsenti sæculo desit de integritate sua, & perfectione, sentit omnis, qui ãbulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondũ est omnia in omnibus? *Hinc est, quòd & ratio sæpissimè in iudicijs fallitur, & voluntas quadruplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subiecta est, non volens, in spe tamen. Nàm, qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata, & beatificans Trinitas, ad te mea misera Trinitas miserabilitèr suspirat, quoniam à te infelicitèr exulat. Discedens à te, quantis se intricauit erroribus, doloribus, timoribus! Heù me qualẽ pro te cõmutauimus trinitatem!* Cor meum conturbatum est, *& inde dolor:* dereliquit me virtus mea, *& inde pauor:* & lumen oculorum meorum non est mecum, *& inde error. En quàm dissimilem Trinitatem, ò animæ meæ trinitas exulans offendisti! Qualis, & quàm vigilans debeat esse custodia animæ nostræ, ex eius nobilitate conijcere facilè est, & mul-*

tò

tò magis ex immensitate pretij pro eius redemptione soluti, quod quidem non aurum, vel argentum, aut lapides pretiosi, sed sanguis Christi est: & tamen dormitamus, neq; de eà cum corde nostro sæpè recogitamus. Anima ex Deo est, atque diuina, Sponsa Christi supernæque nobilitatis particeps, ad eamque properans: tametsi viliori interim, ac deteriori astricta sit. Cuius rei multæ quoq; aliæ fortassè causæ sunt, quas solus Deus, qui hæc adstrinxit, cognitas, & exploratas habet; aut si quis huiusmodi mysteriorum scientiam diuinitùs est consecutus; quantum autem ego, meique similes, cognitione assequimur, duplici causà id factum est: alterà, vt per concertationem, & colluctationem cum rebus inferioribus ad supernæ gloriæ hæreditatem perueniat (rebus scilicèt fluxis, & fragilibus, non secùs, atque aurum igne, probata & explorata) eaque, quæ in spe posita sunt, non solùm vt Dei beneficium, sed etiam vt virtutis præmium, obtineat. Quod etiam ipsum summæ, ac singularis Dei bonitatis argumentum est, nimirùm facere, vt virtus nostra quoque aliquà ex parte sit, nec natura tantùm nobis inseratur, sed etiam per voluntatem, liberique arbitrij in vtramque partem agitationes excolatur: alterà

rur-

rursùm, vt deteriorem quoque partem crassitiã suã paulatim solutam ad se pertrahat, atque in sublimi collocet: vt, quod Deus est animæ, hoc anima sit corpori; posteaquàm scilicèt materiam, qua ministrà vtitur, domuerit, conseruumq; suum Deo adiunxerit. O miram coniunctionem, & alienationem! Quod metuo, amplector: quod amo, pertimesco. Antequàm bellum gesserim, in gratiam redeo: antequàm pace fruar, ab eo dissideo. Quanàm sapientia, quonàm magno, & arcano consilio mihi hoc accidere dicam? An hoc Deus agit, vt, cùm ipsius pars simus, atque supernè fluxerimus (nè ob dignitatem nostram nos ipsos efferentes, atque attollentes, Creatorem contemnamus) in eà, quæ nobis aduersùs corpus est, luctà, & dimicatione, ab eo nunquàm oculos deÿciamus, atq; ità imbecillitas ea, quæ nobis copulata est, dignitatem frænet, atque coerceat; vt intelligamus nos maximos simul, atq; abiectissimos esse, terrenos, & cælestes, caducos, & immortales, lucis, et ignis, siue tenebrarum hæredes, pro vt in hoc, vel illud nobis propendere contigerit? Hæc nostra temperatio est, atque ob has causas, quantùm quidem ipse prospicere possum: Consulè Nicetam in hunc locum.

vt, cùm imaginis dignitas nobis animos extulerit, puluis eosdem deprimat, contrahatque. Dominus Deus primùm hominem libero munerauit arbitrio, sic tamen vt regeret imperio, terreret exitio, comminans ei mortem, si peccasset. In sufflauit in faciem eius; *Ibi enim sensus omnis, ibi sedes, atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore, vt sensus nostros aduersus delectationem fortiores faceret. At ille parùm dicto audiens, (humano malo, quo ægriùs vetitis abstinemus,) peccauit astu Sathanæ per serpentem, vt per fistulam loquentis, secutus est lapsus, fons mortis, morborum, & cæterarum calamitatum. Sic enim sibi relictus est homo: deperditâ gratiâ, atque iustitiâ originariâ, qua præter naturam fuerat affectus, In similitudinem filij, qui à patre (apud quem meliùs, & fructuosiùs seruabatur) substantiam petijt, & miserabilitèr dissipauit; ita vt fame periclitaretur, non permissus satiari de siliquis, liberum de manu regentis Dei poposcit arbitriũ, quo malè vsus, in mortem incidit: quam omnes subire necesse est, sicut in eo peccauimus omnes. Audiamus virum secundùm cor Dei, ipsum inuocantem, & dicentem:* Gressus meos dirige se-

secundùm verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. *Venundatus clamat, Redēptor exaudiat; Ipse homo se vendidit per liberum arbitrium, sed dominante iniquitate, & accepit pretium exiguū, & de arbore vetità voluptatem. Ipse ergo clamat: Itinera mea dirige, quæ ego distorsi, gressus meos dirige, quos ipse meo arbitrio deprauaui. Quod, si primus ille homo, qui cum Deo loquebatur in Paradiso positus, labi tàm facilè potuit, ex terrà creatus virgine, quæ ad verbum Dei formata, & creata recenti fuerat exortu, nondùm ea parricidali, cædiumque concreta sanguine, flagitijs, & dedecore polluta, nondum carne nostra damnata, maledicto obnoxiæ hæreditatis: quantò faciliùs posteà lubrica ad peccandum via, maiùs aduexit humano generi præcipitium, cum deterior tolerabiliori per vices generationis successerit? Etenim, si magnes lapis tantam naturæ vim habet, vt ferrum ad se trahat, & transfundat se in illius speciem, vt plerisque experiri volētibus, cum plures anulos ferreos ad eum lapidem admouerint, omnes pari teneat modo: deinde, si ei anulo, cui adhæserit lapis, alium admoueas anulum, & rursùs per ordinem singu-*

lis substituas, licèt in omnes penetret per ordinē ex illo lapide vis naturæ, tamen priores nexu vehementiore constringit, posteriores remissiore: quantò magis humani generis conditio, atque natura ex puriore statu in deteriorem lapsa est, quando nequiorem attigit? Nàm, si per eas species minuitur natura, quæ non sunt culpæ capaces, quantò magis per animos, atq; artus labe pollutos scelerum virtus eius hebetatur? Vnde, quia excreuerat malitia, abolita innocentia fuerat, non erat, qui fàceret bonitàtem, non erat vsque àd vnum: *venit Dominus*, qui reformaret *naturæ gratiam, immò augeret, vt* vbi superabundauit peccatum, superabundaret gratia. *Liberi arbitrij charismate Dominus Deus hominem honestauit, vt ipsum ampliùs laborare mercedis loco haberetur, sicuti ingenuis animis fieri solet. Hunc arbitrij libertate donatum, vt bonum non minus illius esset, qui elegisset, quàm eius, qui semina præbuisset, in paradiso, (quicunque tandem erat paradisus ille) collocat, plantarum immortalium cultorem, hoc est, fortassè diuinarum cogitationum, tàm simpliciorū, quàm perfectiorum, nudum per simplicitatem, & vitam artificio carentem, atq; omnis integu-*

men-

menti, & munimenti expertem. Talem enim esse cónueniebat eum, qui primùm esset creatus. Ac legem, quasi materiam, libero arbitrio tradit. Lex autem illa, præceptum erat, quo præscribebatur, cùm quibus arboribus ei vtendum esset, tùm à qua manus abstinendæ. Ea porrò erat scientiæ arbor, non illa quidem, aut malè à principio consita, aut per inuidiam interdicta (ne illùc linguas suas Dei hostes iniÿciant, nec serpẽtem imitetur,) sed bona quidem tempestiuè percepta (contemplationis enim, vt ipse contemplando assequor, hæc arbor erat, ad quam ÿs solis tutus est ascensus, qui animi habitu perfectiori sunt:) haudquaquàm autem bona simplicioribus adhuc animis, atq; appetitu auidiori præditis, quẽadmodum nec perfectus, ac solidus cibus ÿs conducit, qui tenerà adhuc ætate sunt, lacteque opus habent. Postquàm autem diaboli inuidià, & mulieris insultu, quem, & vt mollior, passa est, & & vt ad persuadendum accommodatior, admonuit, (ò infirmitatem meam! meam enim duco primi parentis infirmitatem) accepti mandati oblitus, ab acerbo illo gustu visus est, simul & à ligno vitæ, & à Paradiso, & ab ipse Deo propter peccatum expellitur, & pelliceas tunicas induit,

hoc

hoc est, fortassè crassiorem carnem, & mortalẽ, ac refractariam: primùmque turpitudinem suã agnoscit, & à Deo se abscondit. Quidam seculari sapientià preditus scriptum reliquit: Beneficia, eoùsque læta, dùm videntur exolui posse: vbi multùm anteuenère, pro gratià odium redditur. *Tot, tantisq; beneficijs, & honoribus muneratus homo, prò eo vt benefactori suo gratias redderet, mandata illius seruare neglexit. O ingens malum! Quid, quæsò, nudos fecit homines? Inobedientia, & diaboli consilium; tàm hoc illi iàm à principio, semperque studio fuit. In paradiso defecit humilitas, & ideò venit è cœlo: In Paradiso orta est inobedientia, & ideò obedientia cũ Saluatore descendit. Inflabat caro, vnde subiectio mansuetudinis inueniri non poterat in terris. Intumuerat omnis præuaricatoris hereditas. Veniens Dominus Iesus primùm* se exinaniuit, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, formam serui sibi accipiens, & specie inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. *In veritate crucis, mortis humilitate, obedientiam probaturus, vt inobediẽtia deleretur. Mortis causa, inobedientia fuit: & iacò homo ipse sibi mortis est causa, non habens*

De-

Deum suæ mortis auctorem. Verè Iesus Christus, obedientiæ speculum. Nàm illa mors, illa crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia, caput nostrum Christus, pertransijt, quid aliud corpori eius, idest nobis, quàm prèclara obedientiæ documenta fuerunt? Christus enim, *ait Paulus,* factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. *Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus:* Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini, *inquit,* vestigia eius, *idest, vt imitemini obediētiam eius. Ex* his ergo quæ passus est, *discimus quanta nos, qui puri homines sumus, oportea pro obedientia perpeti, pro qua is, qui & Deus erat, non dubitauerit mori. Verbum Dei re ipsà obedientiam honore afficit, eamque perpetiendis doloribus experitur. Neque enim sufficiebat animi affectio, quemadmodùm nec nobis, nisi manū quoq; operibus admoueamus. Opus enim affectionis animi declaratio est. Sed qui debuerat obediens Deo parare sibi domum non manufactam, æternam in cœlis, obedientiam negligens, weluti sui iuris effectus,* cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Quæ amaritudo,*

qui

qui dolor, qui fletus, quæ vis lacrymarum expendi oporteret in recogitatione tanti lapsus, tàm acerbi, funebrisque casus? Esse similis Deo impudentèr appetijt, & similitudinem irrationalis creaturæ miserabilitèr inuènit. Qui in originali gratià, & iustitia conditus, proindèque ab omnibus miserijs corporeis alienus, oblitus est status sui, diuinæque voluntatis. Atque ità assimilatus est bestijs, vt deincèps cum vniuersis suis posteris fieret obnoxius omnium generũ morbis, & calamitatibus, mortalis, famelicus, sitibundus, fatigabilis, æstu, & gelu patibilis, animalis, carnis, & sensuũ motibus subditus, cæcus ad scientias, & virtutes, minimè ad res cælestes facilis, brutorũ more, sola spectans præsentia. Quia in magnà inconsiderantià vixit, sicut & mulier, in ruinam tantam concidit, vt præuaricaretur præceptum traditum, & lignum degustaret. Atque ideò hoc lignum scientiæ boni, & mali *nominauit, non quòd anteà ignorauerit. Nàm sic non ignorauit; Serpenti enìm mulier, inquit,* Dixit Deus, nè comedatis de illo, nè moriamini: *& sic sciebat, quòd mors, pœna esset, si mandatũ præuaricarētur. Sed, quia post huius esum, & supernà glorià spoliati, & sensibilem nudationem*

ex-

experti sunt: ideò vocauit lignũ scientiæ boni, & mali. Erat enim circa illud quasi quędã obedientiæ Dei exercitatio. Tantum malum est peccatum. (O deflendus cogitatus!) non solùm enim nos supernæ gratiæ alienos facit, sed etiam ad multam confusionẽ, & vilitatem deducit. Verùm, nè omninò tristis sit dissertatio ista, sursũ, deorsùmque versando peccatum, quod per esũ ligni, & inobedientiam hominem deiecit: agè, si placet, ab hoc ligno ad lignum crucis sermonem vertamus, & videamus, quænàm mala illud intulit, & quæ bona istud conciliauit. Immò, neq; lignum attulit mala, sed voluntas peccans, & contemptus circà præceptum hàbitus. Lignum illud mortem introduxit, nàm post præuaricationem mors intrauit, sed istud immortalitatem largitum est: illud è paradiso eiecit, istud in cœlos nos reduxit: illud propter vnam transgressionem tanti supplicij reum Adam fecit, istud nos plurimis peccatorum sarcinis exonerauit, fiduciamq; ad Dominũ nobis concessit. Vidisti ligni, & ligni differentiam? vidisti diaboli malignitatem, & hominis peccatum, & Domini misericordiam? Sed videamus, quæsò, & quantùm quisq; ab eo adiutus poterit; consideremus

clementiam Dei, simùl suauitatem, & dulcedinem, quà praeest vniuersis: Nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec iniurià violatus, hominē deserit, sed illicò quaesiuit eum, & nuditati prouidit; Et, quia reuerà nihil sine Deo sumus, quia & antèquàm essemus, nihil eramus, & quisquis iàm homo est, & sine illo esse voluerit, nihil aliud quàm homo peccator erit, verūq; est quod in Psalmo dicitur: Fortitudinē meam ad te custodiam: *quoniam quicquid possumus, nisi apud illum, & illum seruemus, recedendo amittimus. Vigilare debet mens nostra, non ab illo recedere; sed & si longè erat, magis, magisque propinquare, & accedere, non gressu pedum, non subiectione vehiculorū, non celeritate animalium, non eleuatione pennarum, sed puritate affectuum, & probabilitate sanctorū morum. Percurramus Dei beneficia, non enim in eorum recensu immorari, breuitas prologi patitur: & dum conscripta legerimus, omnes cogitationes nostrae, & intimi animi sensus, & affectus benedicant Deum largitorem.* Nunc manent, *inquit Doctor Gentiū*, Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. *Est fides origo Iustitiae, sanctitatis caput, deuo-*

tio-

tionis principiũ, & religionis fundamentum. Nullus vnquàm sine hac Dominũ promeruit: nullus sine hac fastigium sublimitatis ascendit. Fides est quædam sacra anchora, quæ vndiq; sustentat mentẽ, quæ ei adhæret, & tunc maximè ostenditur, quando in maximà rerũ difficultate ei persuadet, qui illa est præditus, vt bonã spem expectet, expulsà turbà ratiocinationum. Ideòq; petenti filio salutẽ, respondit Verbũ Dei: Si potes credere, omnia possibilia sunt credẽti, Marci 9. *Alibi.* Habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumque dixerit, fiat, fiet ei, Ibid. 11. *Laus fidei explicari à me nullo modo potest, sed à fidelibus cogitari potest. Porrò, si ex aliquà parte, vt dignum est, cogitetur, quis dignè cogitet, quàm multis donis Dei ipsius præferatur? Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Vnde beatus Apostolus, cum ad orandũ exhortaretur, ait:* Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit; *Et, vt ostenderet fidem, fontem esse orationis, nec posse ire riuũ, vbi caput aquæ siccaretur, adiunxit, atque ait;*

Quomodo autem inuocabunt in quem non crediderunt? *(quod si riuos tenuitèr fluit, nō est aluei culpa, sed fontis.* Hieron. *) Ergò, vt oremus, credamus, & vt ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem; fusa oratio, fidei impetrat firmitatem. Denique fides pietatis oculum habet in corde. Spes autē est futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ deuota intentio, Sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum. Spes est, inquam, cognitio fidei, credulitatis propinquitas, destinatum præmiorum tempus, futura expectatio meritorum. Quæ duo, idest, Fides, & Spes, ita certa sibi mutuà vice coniuncta sūt, vt altera sine alterà stare non possit. Quicquid enim fides credendo acquirit, hoc spes sustinendo præsumit, dicente propheta:* Et si tardauerit, sustine eum: quoniam veniens, aderit, & non tardabit. *Non irruat super nos timor, quòd credita differuntur: licèt in abscondito sit promissio, in spe tamen perseuèret oratio. Exerceat se quisq; in quantū Deus dederit, operibus bonis, augescat virtutibus, dilatione non tepescat promissorum. Propterea diabolus desperationem „ nobis subijcit impetrandi, vt spem bonitatis*

Dei

„ *Dei nobis abſcindat, quæ eſt dux itineris, quò itur ad cœlum. Dauid Rex, (cuius cythara eſt animæ conſolatio, cuius lyra mentis noſtræ neruos confirmat ad virtutem)* Deduxiſti me, *inquit,* quia factus es ſpes mea, & in petrà exaltaſti me. *Ieſus enim, ſi noſtra ſpes factus non eſſet, non nos deduceret. Deducit tanquàm dux, & in ſe ducit tanquàm via, & ad ſe perducit tanquàm patria. Deducit ergò nos. Vnde? Quia factus eſt ſpes noſtra. Vnde factus eſt ſpes noſtra? Ecce ſic, quia tentatus eſt, quia paſſus eſt, quia reſurrexit, factus eſt ſpes noſtra, (quò enim præceſſit gloria capitis, eò ſpes ſequitur corporis.) Habemus quippè duas vitas, ſed vnã, in qua ſumus, alteram quã ſperamus. In qua ſumus nota nobis eſt: quã ſperamus, ignota nobis eſt. Tolera in qua es, & habebis, quã nondùm habes. Quomodo toleras? vt non vincaris à tentatore. Laboribus ſuis, tentationibus, paſſionibus, morte ſuà demonſtrauit tibi vitã Chriſtus, in qua es: reſurrectione ſuà demõſtrauit tibi vitã, in qua eris. Quãdo anxij ſumus, & ſoliciti, ſpes nos futurorum expectatione confirmet:* Spera, *inquit,* in Deo, quoniã confitebor. *Non confiteor, ſed confitebor, hoc eſt, tunc meliùs confitebor, quando* reuelatà facie gloriam Domini ſpeculatus, in eandem imaginẽ

refor-

reformabor. *Post fidem, spem firmam habere discamus, quæ animum nostrum ad inuisibilia trahit, intentionem nostrã in cælestia, & æterna inserit, & quodammodo nexibus insolubilibus ligat, quæ non decipit, sed fidelitèr obsequentes ad æternam beatitudinem perducit. Denique spei nostræ finis, amor Christi est. Hæc spes nostrum non confundit affectum, obedientiam excitat. Magnæ sunt vires spei in Dominum, præsidium, quod non vinci, murus qui non expugnari, auxiliũ, quòd non potest superari, portus tranquillus, turris quæ nequit capi, arma insuperabilia, vires inuictæ, & quæ in rebus difficillimis, & impeditissimis exitũ inueniunt. Iam porrò charitas, quam duabus istis, idest,* fide, ac spe maiorem *dixit Apostolus, quantò in quocunq; maior est, tantò melior est, in quo est. Cum enim quæritur, vtrũ quisq; sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nàm qui rectè amat, proculdubio rectè credit, & sperat; qui verò non amat, inanitèr credit, etiamsi sint vera, quæ credit: inanitèr sperat, etiamsi ad veram fælicitatem doceantur pertinere, quæ sperat, nisi & hoc credat, ac speret, quod sibi petenti donari possit, vt amet. Charitas omni-*

bus

bus virtutibus est sublimior, & proculdubio præponderat. Ipsa est virtus, quam nemo vincit. Huius ignem nullis fluctus sæculi, nulla flumina *tentationis* extinguunt. *Charitas non solùm abstinet à malo, sed odio, quod malum est, prosequitur. Charitas mater est animarũ, & omniũ bonorum, temperat scientiam, nè extollatur: virtutes alit, lac potum dat, & cibum solidum vnicuique secundùm propriam virtutem: morum Christianorum regula. Quid autem est pietas, nisi Dei cultus? & vnde ille colitur, nisi charitate?* Charitas *igitur* de corde puro, & consciẽtia bona, & fide non ficta, *magna, & vera virtus est, quia ipsa est, & finis præcepti. Charitas totius doctrinæ Christianæ caput est. Denique si quis roget nos, quidnàm sit, quod colamus, atque adoremus, promptum est respondere, quòd sit Charitas. Etenim, vt à Spiritu sancto pronunciatum est,* Deus noster Chàritas est*: eoque nomine magis, quàm quouis alio, delectatur. Quod si præterea ex nobis sciscitetur, quæ legis, & prophetarum summa sit, haud quicquã aliud, quàm* Charitatem, *Euangelista nos respondere sinet. Charitas, & misericordia ergà genus humanum, Deo persuasit, vt seruus fieret; multò*

ita-

itaq; magis seruos in illius domum subuehet. Charitas est, quæ nos superioribus nectit, cœloq; inserit. Plura etiam quæ de hac virtute maxima, imò virtutum compendio, se offerunt, recensere͂, nisi libellus iste, vt eius indicat titulus, de charitate esset. Reuertamur itaque ad Dei beneficia recolenda. Moralibus disciplinis, veluti tot monilibus, hominem Deus decorauit. Multæ quidem virtutes, sed hic necessariæ, & ab his virtutibus imus in virtutem. Quam virtutem? Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Ipse dat diuersas virtutes in loco peregrinationis huius, qui pro omnibus virtutibus necessarijs in conualle plorationis, & vtilitatibus dabit vnam virtutem, se ipsum. Nàm, & virtutes agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur à multis, & in scripturà inueniuntur. Prudentia dicitur, qua dignoscimus inter bonum, & malum. (Rerum „ expetendarum, fugiendarumue scientia: vt quæ „ medicina valetudinis, sic viuendi ars est prudentia, & ad docendum nos viam prudentiæ aduènit Iesus, qui & Apostolos suos* prudentes *esse præcepit.) Iustitia dicitur, quà sua cuique tribuimus,* nemini quicquam debentes, *sed omnes diligentes. Seù: Habitus animi communi vtili-*

tati

tati seruata suum cuique tribuens, atque societatem coniunctionis humanæ munificè, atq; æquè tuens. Temperantia dicitur, qua libidines refrenamus, atque in alios non rectos impetus animi, firma, & moderata dominatio: moderatrix omnium commotionum: voluptatibus imperat: alias odit, atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit. Huius partes sunt continentia, clementia, modestia. Fortitudo dicitur, qua omnia molesta toleramus: seù considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Definitur quoq; scientia rerum perferendarum, vel affectio animi in patiendo, ac perferendo.

Diuinus itèm agricola plantauit vineam suam, cuius & ipse, bonitate admirandà, benignitate ineffabili, & vt ita dicam, inexplebili benefaciendi hominibus voluntate, & ipse vitis factus est; & sepem circumdedit ei. Quid autem est sepis, nisi angeli in circuitu, custodientes populum Dei, nè in vineam Christi inuisibiles latrones irrumpant? Angelos enim praesse hominibus, & Apostolus dicit: Mulier velamen debet habere super caput propter Angelos. *Item Dominus:* Amen dico vobis, quia angeli eorũ quotidiè vident faciem patris mei. *Et in Acti-*

 bus

bus Apostolorum dicitur ad puellam nunciantem de Petro: Nè fortè Angelus eius sit. *Duo autem sunt Angeli permanentes cum hominibus. Alibi verò legi, & libentiùs recenseo, ita scriptum. Occultior quædam traditio est: verus sermo ad nos vsque descendit, quo creditur, posteaquàm in peccatum natura nostra lapsa est, non omninò à clementià diuinà neglectam, neque absque suo patrocinio demissam, sed Angelorum, qui naturà incorporei sunt, aliquem in adminiculũ cuique constitutũ fuisse, naturæque nostræ corruptorem in omnibus contrà annitentem, prauũ aliquem, atque maleficum dæmona ad malè viuendum homines impellentem ad singulos destinasse. Horum autem medium factum hominem, quorum alter virtutum præmia, (quæ spe, atque fide præparantur) cogitationibus offert; alter titillationes, voluptates carnis suggerit, animũque suum, quasi speculum bonorum, quæ firmæ spei nostræ proposita sunt, effecerit; ita vt mentis oculo oblatas diuina gratia virtutis species queat recipere. Quandiù circà nos est angelus bonus, nunquàm nos in tentationem potest impellere angelus malus. Secundùm dispensationem autem Dei recedit aliquantulùm an-*

ge-

„ *gelus bonus, imò verò non recedit: ſed abſcon-*
„ *dit ſe, inuiſibilem ſe reddens ante diabolum:*
„ *quoniam niſi voluerit angelus bonus, à diabo-*
„ *lo non videtur.* *Subtrahit ergò ſe, vt det diabolo licentiam tentandi, & ſtans, expectat tentationis euentum. Quando ergo aliqua concupiſcentia malæ rei aſcenderit ſuper cor tuum, & pulſat aliquod genus peccati, non eſt circà te Angelus bonus, ſed diabolus loquens in corde tuo, tentat te pariter, & compellit. Si tu ergo permanſeris confringens cor tuum, magis autem diabolum in corde tuo confringens, cum non te potuerit ſuperare, diſcedet à te. Magna ergo dignitas animarum, vt vnaquæque habeat in ortu natiuitatis, in cuſtodiam ſui Angelum delegatùm. Rependat quiſque fidelis debitas grates benefactori Deo. Caueamus omni maiori ſtudio, nè contriſtemus Angelum, qui nos cuſtodit. Omnia vero, quæ deſupèr diximus, & quæ dici poſſent de beneficijs Dei, quid ſunt ad Dominicam Incarnationem, ad eam humiliationem ex nimià chàritate, qua dilexit nos Deus, emanantem, qua* filius Dei non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, formam ſerui accepit? *Immēſa prorsùs Dei noſtri pietas, multiplex ad bonitatem,*

tatem, & artifex ad salutem. Venit Christus, virtus Dei ad miserias nostras, esuriuit, sitiuit, fatigatus est, dormiuit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est, spinis coronatus est, sputis illitus, alapis cæsus, ligno fixus est, lanceà vulneratus est, in sepulchro positus, sed tertia die resurrexit. Finito labore, mortuà morte. De latere eius iàm mortui Exiuit sanguis, & aqua. *Non casu, & simplicitèr hi fontes scaturierunt, quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Per aquam regeneramur, sanguine, & carne nutrimur: hinc mysteria ortum habent, vt quotiès ad mirandum calicem accedimus, tanquàm ab ipso latere haurientes, accedamus. Itaque nõ per* sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem *Verbum Dei caro factum acquisiuit Ecclesiam suam. O ingentem prærogatiuam! Ex latere suo Christus ædificauit Ecclesiam, sicut de latere Adam, eius coniux Eua ædificata est.* Chirographum *peccatorum nostrorum*, quod erat aduersarium, & ipsum tulit de medio affigens cruci: *non dixit, delens, non catarantãs sed* cruci affigens, *vt prorsùs eius nec vestigia remanerent: ideò non deleuit, sed conscidit. Crucis enim claui dissipauerunt illud.*

lud, vt in eo nulla de postero remaneret vtilitas. Et hoc non in angulo, nec secretim, sed in mundo medio, omnium videntibus oculis, in excelso ligno nexum eius euacuat.

Ecclesia dicitur: Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. *Et*: Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli. *Hoc est, meliores sensus, meliora Sacramenta tua super vinum: quisquis igitùr nouit natum esse se, vt audiat, quia puer est, & infans, auidè inhiet vberibus matris, & citò crescet. Iuxtà illud Petri*: Sicut modò geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutem. *Est autem mater Ecclesia: & vbera eius duo testamenta diuinarum scripturarum, hinc sugatur lac omnium Sacramentorum temporalitèr pro æterna salute nostra gestorum, vt nutritus, atque roboratus perueniat ad manducãdum cibum, quod est*: In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum. *Lac nostrum, Christus humilis est, cibus noster est idem ipse Christus, æqualis Patri, lacte te nutrit, vt pane pascat. Ecclesia, ad imitationem Christi, speciosa est, & in calceamentis omni abluta delicto. Speciosi facti sunt gressus tui in calcea-*

men-

mentis filia Aminadab; eòquòd speciosa Ecclesia Euangelij prædicatione processit. Ad eam dicitur: Moduli fœmorum tuorum similes torquibus opere manuũ artificis. Per fœmur enim insigne generationis agnoscimus; iuxtà illud: Accingere gladium tuum super fœmur potentissime; *quo significatur, quòd filius Dei, cum* semetipsum exinanisset, *Verbi accinctus diuinitatem, & generationem calceatus humanam prodiret ex Virgine, omnibus esset daturus salutem. Denique Ecclesia, currus est Dei, quæ regenda est gubernaculis Christi, nè diuersorum populorum motus, eam dissensionesque perturbent, cuius auriga non iam Elias, sed Deus est. Deus, qui diues est in misericordià, Ecclesiam, vt veris diuitijs afflueret, pecunià suà, quæ scriptura diuina est, abundè locupletauit: nam &* denarios seruis distribuit profecturus, & talenta diuisit, *& prò sanitate hominis vulnerati*, duo æra stabulario *dereliquit. Duobus enim testamentis vulnera nostra curantur. Itaque in eloquijs diuinis, (quæ casta sunt, &* argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplùm) *non facilè reprehendamus aliquid, quod intelligere non possumus. Sunt enim plurima, quæ non nostro in-*

ge-

genio metienda sunt; sed ex altitudine diuinæ dispositionis, & verbi sunt æstimanda. Scriptura quippè diuina singulorum librat etiam momenta verborum. Quando diuinas scripturas legimus, deambulat *nobis* Deus in paradiso.

Et, nè aliqua lectori proptèr sublimitatem illius, & ænigmata, tribueretur erroris facultas, (prætereà, quæ ipse Dominus per semetipsum dignatus est explanare, & Sancti Apostoli, quibus aperuit sensum, ad intelligentiam) *Doctores in Ecclesià posuit, vt* iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento *doctrinæ in nequitià hominum, in astutià* ad circumuentionem erroris. *Bonus dominus, iustus & misericors, post passionem suam ascendens in cælum, reliquit hæredes suæ doctrinæ, Apostolos, & successores eorum, ad cuius fidem conuersa est multitudo gentium, quæ erat substantia diaboli. Hi sunt* impetus *exeuntes de fonte Euangelij, ad* irrigandas terras *steriles populorum, quos etiã* torrentes *propter velocitèr effusam super omnes eorum doctrinam: quæ doctrina diuina, melli propter eloquiorum Dei dulcedinem, butyro propter simplicem & innocentem eundem cibum verissimè comparatur. Hi sunt, quos, sicut luminaria,*

ria, vt annuciarent Euangelium, Deus aptauit Verbo, & accendit Spiritu sancto. Ipsis dictum est: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. *Qui, vt frigidi timore non essent, igne charitatis ardebant. Laudabiles porrò sunt Ecclesiæ sanctæ Doctores, lumina ciuitatis Dei, debellatis hæreticorum hominum erroribus, fugatisque tenebris, alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus, atque instātèr infundunt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus vèrò, & animalibus, quàmuis nouis hominibus, adhùc tamen paruulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis vanis consulunt, & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum, cũ quibus societatem vitæ huius inire meruerũt. Ipsi diuinarũ scripturarũ tractatores, & doctores, defensores rectæ fidei, ac debellatores erroris, bona docuerũt, & mala dedocuerũt, atq; in hoc opere sermonis conciliauerũt aduersos, remissos erexerũt, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimauerũt. Licèt autem tanta, & talia sint, (quæ retulimus) multò maiora, & ineffabiliora sunt*

be-

beneficia, quæ in futuro sæculo, per virtutum viam incedentibus, & hinc migrantibus daturum se promisit Dominus omnium bonorum largitor optimus. Quorum magnitudinem, vt paucis verbis nobis commendaret beatus Paulus, inquit: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, præparauit Deus ijs, qui diligunt se. *Vidimus dona excellentia: Vidimus beneficia illius, omnem cogitationem trãscendentia. Si igitur volumus supputare, & pro viribus nostris gratias agere, poterimus multò maiorem illius gratiam nobis conciliare, & ad virtutem magis idonei fieri. Memoria enim beneficiorum Dei sufficiẽs est, quæ ad virtutum labores nos adhortetur, & præparet, vt præsentia omnia despiciamus, & vt ei, qui tanta in nos beneficia contulit, adhæreamus, amorem in illum singulis diebus augeri declarantes. Vt autem plùs amemus eum, qui dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo, & qui non eramus populus eius, populum suum fecit, efficax quidem modus est, maximus, & mirabilis, vt cum eo quòd recogitamus innumerabilia, & maxima beneficia, quæ communiter cum alijs à Deo accepimus, & pro quibus gratias habemus;*

recogitemus etiam singuli,quid sibi peculiaritèr datum sit : recogitemus autẽ id quotidie. Non prosiluisti, Cardinalis eximie. (Nunc enim ad te meus sermo deducitur,) sed vocatus, & meritis, veluti quibusdàm gradibus, Ecclesiæ Toletanæ vndique magnæ Præfecturam ascendisti, eiusque primus locus gubernaculorum iure tibi traditus, qui remum tenere benè noueras, primò illius Presbyter, posteà Pontifex. Quia verò docendi officium effugere non potest Sacerdos, doctrinam non vnius, sed multiplicis generis, Dominus virtutum tibi largitèr impertiuit. (Est enim homo animal omnium maximè varium, & multiplex, vt profectò ars artium, & scientia scientiarum videatur esse hominem regere.) In te virtus ex virtute trahitur, ex labore labor, opus ex opere nascitur, depellitur otium. Non solùm purus, & mundus es, sicuti esse oportet, qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam inprimis prudens, atque adeò multarum rerum experientià instructus, & ornatus. Docere te oportet commissum tibi populum; communis quippè Doctor est Episcopus. Esto Apostolorum imitator: verborũ tuorum exemplum, vt magis opere doceas, quàm sermone: exemplum etenim operum bonorum attra-

tra-

trahit multos: & difficile est, quemquam præstare quod exigat, & optimum, exemplo potiùs docere, quàm dictis. Nec quid aliud interpretatur Episcopus, nisi Superinspector: maximè, cùm solio in Ecclesià editiore resideat, & ità cnnctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Lux est Ecclesiæ Episcopus, à Domino ordinatus, ità vt imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet. Memor esto, Cardinalis amplissime, Episcopum debere circumferre crucem suam; atque in manibus habere animam *semper* pro fratribus *exponendam*. Pastor enim, *inquit*, bonus animam suam ponit pro ouibus suis. *Et rursùm:* Nisi quis acceperit crucem suam, & sequutus fuerit me, non est me dignus. *Deniq; oportet Episcopum Angelum esse, nulli humanæ perturbationi, vitioque subiectum. Non antequàm discipulus fuisses, magister assumeris, neque priusquam subijci didicisses, in Præpositorum Ecclesiæ ordinem locaris: omnis itaq; tumor procùl est à te: & cum omni humilitate, & mansuetudine, vocatione qua vocatus es, dignè ambulas. Aetate iuuenis es, non moribus, & habes in flore iuuẽtutis tuæ senilem intellectum, de quo ait; Sapiẽs:*

Canicies autem est intellectus hominibus, *quibus maturitas consilij, grauitasq; suppetit. Vnde & Ieremiæ dicitur:* Noli dicere, quia iuuenis sum; *Et vtiq; erat ætate iuuenis, sed prohibet eum, iuuenem se dicere, qui esset maturioris prudentiæ. Daniel cum puer esset, accepit Spiritum, quo dignus senectutis primitijs haberetur, vt redargueret senes, ipse non senior longeuitate, sed gratià. Erat enim in illo* ætas senectutis, vita immaculata. *Magnus virtutibus es, & paruum te æstimas, grandis, & pusillum ducis, vt plùs grandescas.* Quæ retrò sunt obliuiscens, *ad ea verò, quæ sunt priora, extendẽs te ipsum ad destinatum persequeris, ad* brauiũ *supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Generis nobilitate fulges, maiorum tuorum rutilat series, insignis est claritudo; sed virtutum tuarum radij multò magis illucescunt. Sit omnibus,* Antistes Eminentissime, *doctrina, & exemplar virtutis tuæ, speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti primitiua quædam imago, omnia in se habens, quæ bona, & honesta sunt: Quæ magnà cum facilitate volẽtibus aliquid sui decoris imitari exempla semper præbere parata sit. Laudes hominum refugis,*

gis, vt lauderis à Deo:(magnus profectò laudator, & vehementer expetenda laudatio) inanem gloriam seculi aspernaris, vt à Deo glorificeris, permaneas, coroneris. In cœlum sæpè suspicis, euigilanti oculo mentis omni lema, detracta, quænàm veræ diuitiæ sint, intelligis, quis verus splēdor, vbi dignitas; mutationis expers, quæ finem nesciens beatitudo, vbi bonum illud nec fluctuās, nec aliò migrans, nec insidijs obnoxium. Deniq; rerum futurarum spem pro delicijs habes. Almus Ecclesiastici ordinis chorus te cingit, veluti stellæ in firmamento cæli. Tu verò illis luces, illis refulges, illis calet gratia tua, sicuti meridies: illis omnibus altiùs emines, valdè antecellis: sicut sol in meridie radios lucis virtutum expandis: vtque stellæ, cum sol in meridie rutilat, sic ipsi in tuarum virtutum splendore radiantium vix cernuntur. In bonis operibus temetipsum exerces, vt hæres cœlestis patriæ fias, hæres Dei, cohæres Christi. Vigila, *Pastor bone,* in omnibus labora, orationi insta, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, *doctrinæ opportunitate, & veritate, infirma resoue, vt firmentur, diruta consolida, deprauata conuerte, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ fa-*

mi-

milia dispende: vt hæc agens, hisque immorans deprehendaris, & gloriam à Domino Iesu Christo, tanquàm dispensator fidelis, & villicus vtilis, consequaris, & super omnia bona constituaris, idest, in Dei gloria collocèris. Prosperè intende, *vt verbis Dauìdis vtar; ac Deus sacerdotium istud, quo te ornauit, tecum gubernet, & omni calumnià & vexatione sublimius præbeat. (Ipse Dominus Iesus Christus, Dominus noster, Pastor bonus, & Pastor Creator omnium, Eminentiam tuam, vnà cum commisso tibi grege saluet semper, & muniat.) Amen.*

IN Congregatione habita corã Eminẽtiss.D.Card.Philamarino Archiepisc.Neap.sub die 12.Maij 1666. Fuit dictũ, quod R.P.M. Nicephorus Sebastus Melissenus Ord. Eremit. S. Augustini reuideat;& in scriptis referat eidem Congregationi.

Paulus Garbinati Vic. Generalis.

Can. D. Matthaeus Renzi S.T.D.& S.Off.Consul.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE.

QVamuis in Excellentiss. huius Libri Authorem ferendæ censuræ me imparem sentiam, non potui tamen eam denegare, præcipuè dum eandem extorqueat veritas, quæ, vt alibi Chrysostomus in sensu fidelium dominatur; talis siquidem Liber iste,vt cùm nullius indigeat suffragio, quo probetur, omnium meretur elogium, quo laudibus efferatur. Cõmendat eum in primis Authoris celebritas, quem,sicut Hispania Grandatem,& Parthenope Principem, ac Comitem veneratur,ita Sapientia Ducem; cõmendat deinde ipsa materiæ sublimitas, quam pulchrè præ cæteris Diuus Parens Augustinus exhibuit, dum Alumnis suis Eremitis in Regula sic præcipit: *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus: quia ista præcepta sunt principaliter nobis data; hæc igitur sunt, quæ vt obseruetis præcipimus*: Eandemq; tanta styli elegantia, & concinna Patrum, Scripturarumquè doctrina, adiectis optimis fidei, ac morum documentis Author hic explicat, dilucidatquè, vt digna sit, quæ omnium passim manibus, & ore feratur, ac publica lucis vsura fruatur, cùm in ea præcipuè tot stimuli,facesquè subministrentur, vt fidelium corda in Dei, & proximi amore inflammari queant, hoc præsertim sæculo, quo magis, magisque *Refrigescit charitas multorum*. Ita censeo. Datum Neapoli in Regio Cœnobio S.Patris Augustini 12. Augusti 1666.

Eminentiæ Vestræ.

Humillimus Seruus.

Fr.Nicephorus Sebastus, Melissenus Ord. Erem. S. P. August. ac Regij Neap.Col.S.T.Mag.Em.Principis Card.de Hassia Theol. S.R.& Vniuers.Inquis.Consultor Regni Neap.

IN Congregatione habita coram Eminentiss. Dño Card. Philamarino Archiep. Neap. hac die 7. Octobris 1666. Fuit dictum, quòd stante relatione supradicti Reuisoris. Imprimatur.

Paulus Garbinati Vic.Gen.

Can.D. Matthaeus Renzi S.T.D. & S.Off.Cons.

IL-

ILLVSTRISS. ET ECCELLENTISS. SIG.

IL Principe di Bisignano Conte della Saponara espone à V. Eccellenza, come pensa col fauore del Sig. Dio benedetto, dare alle Stampe il Trattato *De Dilectione Dei, & Proximi*, à maggior gloria di S. D. Maestà, & beneficio publico. Supplica V. Eccellenza restar seruita ordinare la recognitione, per ottenersi la licenza necessaria. E lo riceuerà à grazia da V. Eccellenza.

Reu. P. D. Ioannes Damianus, videat, & inscriptis referat S. E.

Galeota Reg. *Carrillus Reg.* *Ortiz Cortes Reg.*

Prouisum per S.Excel.Neap. die 18. Augusti 1666.

Villanus.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOM.

LIbrũ cui titulus *De Dilectione Dei, & Proximi* à D. Aloysio de S. Seuerino Principe Bisiniani, Comite Saponarie, &c. compositum, Tuo Iussu alacri animo percurri, nil dissonum Regiæ Iurisditioni offendens: Imò omnia consona, & maximoperè vtilia singulis in eximiæ charitatis, ac sacræ Doctrinæ erudictione desudantibus. Vt perillustris videatur Auctor genio, & ingenio elaborare; dum, quo plenus est, eructat. Ideò plausu, & prȩlo dignissimum censeo. Hæc est mei Iudicij Alea: si Tuȩ Eccell. voluntas arrideat. Dat. in nostra Domo S. Mariæ Angelorum die 3. Septembris 1666.

D. Ioànnes Damianus Præpositus Cleric. Regul. S. T. P.

Visà relatione Imprimatur: verùm tempore publicationis seruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. *Carrillus Reg.* *Ortiz Cortes Reg.*

Prouisum per S.Excel. Neap. die 6. Septemb. 1666.

Villanus.

ALOYSII DE S. SEVERINO PRINCIPIS BISINIANI, COMITIS SAPONARIÆ, ALTIMONTIS, &c.



DE DILECTIONE DEI ET PROXIMI.

LIBER PRIMVS.



E Amore amantis nostri Dei benedicti (quantùm paruitati meæ ipse præstare dignabitur) verba facturus, vndè potiùs initium sumam, quàm à verbis Saluatoris, ad dilectionem suam nos hortantis, scilicèt; Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Matth. 22. Et secundùm Marcum 12. Et ex tota virtute tua. Hæc est autẽ vera dilectio, vt inhærentes veritati, iustè viuamus: & ideò contemnamus omnia mortalia præ amore hominum, quo eos volumus iustè viuere. Ita enim, & mori pro fratribus vtilitèr parati esse poterimus, quod nos Dominus noster Iesus Christus exemplo suo docuit. Cum enim duo præcepta sint, in quibus tota lex pendet, & prophetæ, dilectio Dei, & dilectio Proximi, non immeritò plerumque scriptura pro vtroque, vnum ponit. Siuè tantùm Dei, si-

Hoc enim, & sapit dulciùs, & tractatur securiùs, & auditur vtiliùs. *Bernard.*

Ex Augustino lib. 8. de Trinit. cap. 7. tom 3.

cuti est illud: *Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Et iterùm: *Quisquis autem diligit Deum, hic cognitus est ab illo.* Et illud; *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: & alia multa. Quia & qui diligit Deum, consequens est, vt faciat quod præcepit Deus, & in tantum diligit, in quantum facit: consequens ergo est, vt & proximum diligat, quia hoc præcepit Deus. Siuè tantùm proximi dilectionem Scriptura commemorat, sicut est illud: *Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et illud: *Omnis enim lex in vno sermone impletur in eo, quod scriptum est: diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Et in Euangelio: *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines* (bona,) *ita & vos facite illis: Hæc est enim lex, & prophetæ.* Et pleraque alia reperimus in literis sanctis, in quibus sola dilectio proximi ad perfectionē præcipi videtur, & taceri de dilectione, cum in vtroque præcepto: *lex pendeat, & prophetæ.* Sed & hoc ideo, quia & qui proximum diligit, consequens est, vt ipsam præcipuè dilectionem diligat. Deus autem dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, 1. *Ioan.* 4. Consequens ergo est, vt præcipuè Deum diligat.

Rom. 8. — *1. Corinth. 8.* — *Roman. 5.* — *Ioan. 14.* — *1 Ioan. 2.* — *Galat. 6.* — *Galat. 5.* — Vulgata non habet *bona.* *Matth. 7.* — 1. Sentent. distin. 17. cap. Nè autem in re.

Non vobis dicitur, nihil ametis. Absit: Pigri, mortui, detestandi, miseri erimus, si nihil amemus. Amemus, sed quid amemus, videamus. Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur. Amor mundi, amor huius sæculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrenetur, charitas excitetur. Ipsa enim charitas benè operantis, dat ei spem bonæ conscientiæ: Spem enim gerit bonæ conscientię. Quomodo mala conscientia tota in desperatione est. Sicut bona conscien-

Ex eodem Augustino in Præfat. Psal. 31.

ſcientia tota in ſpe. Et erunt tria hæc, de quibus dixit Apoſtolus: *Fides, Spes, Charitas*. Amoris hęc vis eſt, vt his, quos amamus, etiam ſi abſentes ſint, hæreamus: dum affectum inſitum, nequaquàm aut locus diuellit, aut tempus. Adhæſit Deo propheta Rex, dum dicit: *Adhaſit anima mea poſt te:* non blandimentis ſæculi; [*aliàs, adulationibus, ſeù illecebris*] nec corporis vitijs, amorem ſuum ab eo, charitatemque retrahentibus: quia ſecundùm Apoſtolum: *adhærens Deo, vnus eſt ſpiritus cum eo*. Et Dominus pro diſcipulis orauit:: *Pater, ſicut nos vnum ſumus, vt, & illi vnum ſint in nobis*. Adhærens ergo Deo, ſuſceptus à Dei dexterà eſt; [*Iuxta illud: Dexteram tuam ſic notam fac, &c. &: Dextera tua magnificata eſt in fortitudine, &c. Pſ. 89. & Exod. 15.*] id eſt, per virtutem Dei, quæ ſignificatur in dextera, ab eo, qui Dei, & virtus, & Sapientia, & Verbum caro eſt factus, aſſumptus eſt conformis gloriæ corporis iam futurus. Diligi ſe Deus gaudet, qui ideò venit in hunc mundum, quia hunc mundum dilexit. Amari exigit, quia omnes amat, quia charitas eſt. Se præcepit diligendum, & tenero, ideſt, tenaci quodam, atque materno amandum cupiditatis affectu. Et quia amicus eſt, qui diligit: ſeruus eſt, qui timet, quaſi amicus, qui omnia fecerit, quæ præcepit ei Dominur: *Vos*, inquit, *amici mei eſtis: ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*. Sic Noe, qui fecit omnia, quæ præcepit & Deus, amplum illud encomium eſt ſortitus, vt à Deo iuſtus ſit vocatus. Quia enim ad oculum illum, qui falli, ſopirique nequit, reſpexit, ad hunc ſuæ mentis oculum direxit; poſteà tantùm populum videntem, ludificantem, ſubſannantem, obiurgantem, & cætera ſæculi huius ludibria æſtimans, deſpicere, & ſuperare potuit.

Ex Hilario in Pſal 63. Ver. Adhæſit, &c.

1. Corinth. 6.

Ioan. 17.

1. Corinth. 1.

Ioan. 1.

Ex Ambroſ. in Pſal 118 verſ. Ecce concupiui &c.

Ioan. 3.

Deuteron. 6.

Matth. 22.

Ioan. 15.

Iuxtà illud Apostoli dicetis: Non contemplātibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur? *Corinth. 4.*

Et profectò sic res habet, vt, cum quis hoc amore saucius fuerit, & in Deum desiderio suo tendit, nihil visibilium videat: sed continuò eum, quem desiderat, imaginetur, & in nocte, & in die, & dormiens, & surgens. Beatus ille Rex, & propheta, vir secundùm cor Dei, illius amore flagrans, & quasi vicem ei reddens, dicebat: *Deus cordis mei*. Quoniam enim nihil est, quod dignè Deo referre possimus: (quid enim referamus pro susceptæ carnis iniuria? Quid pro verberibus? Quid pro Cruce, obitu, sepultura?) Vè mihi, si non dilexero. Audeo dicere: Non reddidit Petrus, & ideò plus dilexit? Non reddidit Paulus? Reddidit quidem mortem pro morte, sed alia non reddidit, quia multa debebat. Audi ipsum dicentem, quia non reddidit: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Reddamus licèt Crucem pro Cruce, funus pro funere, nunquid reddimus, quòd ex ipso, & per ipsum, & in ipso habemus omnia? Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio. Plus enim diligit, cui donatur ampliùs.

Ex Ambrosio in Lucam cap. 7. vers. Et respondens Iesus, &c.

Roman. 11.

Ibidem.

Deus pater charitas est, Deus filius dilectio est, Spiritus sanctus amor patris, & filij est. Hæc charitas, & hæc dilectio aliquid simile requirit in nobis, scilicèt, charitatem qua velut quadam affinitate cōsanguinitatis ei sociemur, & coniugamur. Amor dignitatis nescius, reuerentiam nescit. Qui amat, per seipsum fiducialiter accedit ad Deum, familiaritèrque loquitur ei, nihil hæsitans. [*Iuxta illud: Ecce Deus saluator meus, fiducialitèr agam, & non timebo. Isai. 12. Et cum Psalmista dicit: Oculi mei semper ad Dominum. Et: oculi Domini super iustos.*] Perdit quod vidit, qui non diligit: qui autem diligit, ocu-

Ex Augustino in Manuali, cap. 19. & 9.

Quid in nobis Deus requirat sibi simile?

oculos suos semper habet ad Deum, quem diligit, quem desiderat, in quo meditatur, in quo delectatur, in quo pascitur, in quo impinguatur. Iste talis sic deuotus ita cantat, ita legit, & in omnibus operibus suis sic est prouidus, ac circumspectus, quasi Deus adsit præsens ante oculos eius, sicut reuerà adest. Ita orat, quasi sit assumptus, & præsentatus ante faciem maiestatis in excelso throno: vbi millia millium ministrant ei, ac deciès centena millia assistunt ei. *Daniel, 7.* *Apocalip. 5.* Animam, quam visitat amor, expergefacit dormientem, mouet, & emollit eam, & vulnerat cor eius, tenebrosa illuminat, clausa reserat, frigida inflammat, mentem asperam, & irascibilem, & impatientem mitigat, vitia fugat, carnales affectus comprimit, & mores emendat, reformat, & innouat spiritum, lubricæ ætatis motus, actusque leues coercet. *Bona vulnera charitatis.* Vide, quomodo Dauid Rex Deum amauit! Fecit cor castum, *Deus cordis mei: Et pars mea Deus in sæcula.* *Psalm. 72.* Et alibi: *Dominus pars hæreditatis meæ.* *Ibidem 19.* Factum est cor castum, gratis iam amatur Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud pręmium petit à Deo, & propterea vult seruire Deo, charius facit, quod vult accipere, quàm accipere, quàm ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum pręmium Dei? Nullum præter ipsũ. Præmium Dei, ipse Deus, hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor. *Ex Augustino in Psal. 72.* Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumperis; (Fęlix prorsùs, qui cor suum, & voluntatem deposuerit in manu Altissimi, de qua nullus rapere possit: *Ioan. 10.* & quocũque voluerit, inclinabit illud: sunt enim manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacintis. Et pulchrè manus sponsi, plenæ hyacintis esse dicuntur; *Cantic. 5.* quia quicumque illius opera puro corde imitantur, fęlicitatis

tis

tis æternæ muneribus in retributione ditantur.)

Ex Origene Præfat. in Cant. iuxt. Verſ. Hieronymi. Nota.

Primum charitatis nomen in Deo eſt: propter quod iubemur diligere Deum ex toto corde noſtro, & tota anima noſtra, & ex totis viribus noſtris: vtpotè eum, à quo habemus hoc ipſum, vt diligere poſſimus. In ipſo iam ſine dubio continetur, vt & ſapientiam, & iuſtitiam, & pietatem, veritatem, omneſque virtutes pariter diligamus. Vnum enim, atque idem diligere Deum, & diligere bona. Secũdo in loco, quaſi abuſiuo, & inde deriuato nomine, etiam proximum diligere iubemus, tanquàm nos ipſos. Tertium verò eſt, quod falsò ſub charitatis titulo nominatur, diligere, vel pecuniam, vel voluptates, vel omne quicquid ad corruptelam pertinet, & errorem. Non ergo intereſt: vtrùm amari dicatur Deus, an diligi. Nec puto, quod culpari poſſit

1. Ioan. 4.

ſi quis Deum, ſicut Ioannes charitatem, ita ipſe amorem nominet. Denique memini, aliquem ſanctorũ dixiſſe, Ignatium nomine, de Chriſto: Meus autem amor Crucifixus eſt: nec reprehendi eum, pro hoc dignum iudico. Sciendum autem, quod omnis, qui vel pecuniam diligit, vel ea, quæ in mundo ſunt, materiæ corruptibilis, virtutem charitatis, quæ ex Deo eſt, ad terrena, & ad caduca deducit: & rebus Dei abutitur ad ea, quæ non vult Deus. Non

Vulgata legit: *aporiamur, ſed non deſtituimur* *2. Corinth. 4.*

enim Deus dilectionem horum, ſed vſum hominibus dedit. Propter charitatis, vel amoris boni, Sancti, nec in tribulatione anguſtiantur, nec aporiati exporiantur, nec deiecti pereunt: ſed quod in præſẽti eſt, momentaneum, & leue tribulationis eorum

Ibidem.

ſupra modum æternum gloriæ pondus operatur illis. Non enim omnibus, ſed Paulo, & his, qui ei ſimiles ſunt, præſens hæc, & momentanea, ac leuis

Rom. 5.

dicitur tribulatio: quia perfectam charitatem Dei in

Chri-

Christo Iesu, per Spiritum sanctum habent in corde suo diffusam.

Omnia propter Christum agenda sunt, non propter mercedem. Ob hoc, & gehennam comminatus est, & Cælorum Regnum promisit, vt à nobis ametur: amamus igitur illum, vt amare quidem par est. Hoc enim magna certè merces, hoc Cælorum Regnum, voluptas, & deliciæ, & gloriæ, & honor: hoc lumen, hoc beatitudo infinita, quam ipsam, nec oratio repræsentauerit, nec mens comprehenderit. Sed, nescio quo pacto in huiuscemodi sermonem adductus sum, qui iubeam homines, neque Principatus, neque gloriæ præsentis contemptores, propter ipsum Christum, Regnum Cælorum contemnere: quamquàm magni illi, ac generosi viri, vel ad hūc charitatis modum peruenerunt. Audi igitur, vt Petrus, illius amore vstus ardeat, & animæ, & vitæ, & omnibus rebus illum anteponens: quem, dum abnegasset, non ob supplicium luxit, sed quòd, quem amabat, eum abnegasse se videret. [*Fortassè ideò trinam confessionem, quòd eum amaret, Iesus Dominus post resurrectionem exegit à Petro, vt iam cessaret à lachrymis, quas amaro fundebat affectu, quòd amatum Dominum, & omni amore dignissimum tèr negasset.*] Id quod nullo non supplicio amarius illi erat. Et quidem hæc omnia, spiritus gratià nondum acceptà præsetulit, assiduè quidem instans, ac dicens: *Quò vadis?* Et antea: *Ad quem nos recipiemus? Ioan.13.* Ac rursùs: *Sequar te quòcumq; profecturus fueris: Ibidem 6.* Omnia enim ipse illis erat: at neque Cælum, neque Cælorum Regnum amato præferebat: Tu enim mihi illa omnia, inquit. Enim verò quid miraris, si Petrus ita esset erga Deum animatus? Etenim audi quid propheta dicat: Quid enim

Ex Chrysostomo Homil. 5. in epistol. ad Roman. in Morali,

Nota.

Nihil perturbationes animi sic perimere solet, sicut ignis diuini amoris, quem in animà Deo deuotà Iesus Christus accendit.
Ex Chrysost.

enim mihi est in cælo? Et illud: A te quid volui in terra? *Psal.32.* Ac si dixisset, nullius prorsùs alterius rei, nec cælestis, nec terrestris, sed tui vnius desiderio teneor. Hoc sanè amor est, hoc amicitia: hoc modo si amauerimus, nec præsentia bona, nec futura quicquam esse præ amore eo arbitrabimur. Atque hinc cælestis Regni fructum decerpemus, copiosà, atque abundanti Dei charitate affluentes.

Ex eodē Chrysostomo libro 2. de Compunctione cordis t. 5. col. mihi 4. circ. fin. & seq.

2. Corinth, 12.

Ambros.

Hic ignis in anima Pauli per dies singulos, flante Spiritu sancto, magis, ac magis accendebatur; [*Ignis enim aurà flante fit grandior. Gregor.*] & ad superna tendens, secum eum vsque ad ipsum perduxerat cælum: immò, vt veriùs dicam, imposuerat eum non vsque ad primum cælum, neque vsque ad secundum tantùm, sed vsque ad tertium raptus est cęlum. (Eleuari assuetus, & rapi dicebat: Nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cũ Domino erimus, 1. Thessalon.4. De hoc Apostolo legi scriptum: Arbor est sapientia, in cuius frondentibus ramis ille Nicticorax in domicilio, ille passer singularis in ædificio, ille raptus in Paradisum, in aëra rapiendus, & nube, tuta iam in sede requiescit.) Amor autem eius, & desiderium, quod habebat erga charitatem Dei, non solùm tres penetrauerat cęlos, sed & omnes omninò trascenderat, & vsque ad ipsum peruenerat Christum. Et puto, quod non delinquat aliquis, si sanctum hunc tali cuidam conferat similitudini: vt si v.g. Flamma quædam immēsa vniuersam repleret terram, & indè ascendens repletis omnibus vsque ad ipsa perueniet cęli fastigia: sed, & indè superans omnia, etiam illum qui supra cęlum est, in aërem transcendere. Siuè aer ille dicendus est, siuè quid aliud: atque ibi etiam illa, quæ

ibi

ibi sunt, spatia compleret, ne illic quidem flammã hæc incrementa finiret, sed ascenderet adhuc vsq; ad tertium cęlum: & omnia hæc vno, atque eodem igne compleret, ita vt, nec terræ vllum, nec cęli, immò nec cęlorum spatium relinqueret vacuum. Ita debet amari Christus, ita oportet animam à rebus effici, & præsentibus, & visibilibus alienam.

O vim amoris! Stat martyr tripudians, & triumphans, toto licèt lacero corpore, & rimante laterã ferro, non modò fortiter, sed, & alacriter sacrumẽ è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? Nempè in tuto, nempè in petra; nompè in visceribus Iesu, vulneribus nimirũ patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea, ferrum profectò sentiret: dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, si exul à corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittiur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed cótemnitur. Spirituali lyrà nobis resonuit Himnographus Dauid, dum ait: *Lætabor, & exultabo in te, & psallam nomini tuo, Altissime.* Non enim est hoc paruum genus philosophię, lætari in Domino. Qui enim in Deo, vt oportet, lætatur, omnem, quæ ex ijs, quæ ad vitam pertinent, proficiscitur, expellit voluptatem. Quid est autem, *lætabor in te*? Cumẽ talem habeam Dominum, hoc est mihi uoluptas, hoc est exultatio. Si quis hanc nouit uoluptatemẽ, ita ut nosse oportet, non sentit aliam uoluptatemẽ, „Hoc enim est propriè uoluptas. Alia uerò omnia „sola sunt uoluotatis nomina, re ipsa defecta. Hæc „sublimem, & excelsum hominem efficit. Hæc ani-

Ex Bernardo sermon.61. super Cantica, circa finem.

Psal.11.

Ex Chrysost. Ibidem.

„ mam liberat à corpore. Hæc ad cęlum, eum pen-
„ natum reddit. Hæc terrenis, & ijs, quæ ad victũ pertinent, altiorem constituit. Hæc à vitijs liberat. Et meritò, si enim qui pulchra, atque præclara amant corpora, nihil eorum sentiunt, quæ ad vitam pertinent, sed in vno solo amicæ aspectu versantur: qui Deum amat, vt oportet, quidnam deinceps, vel boni, vel mali sensit eorum, quæ sunt in vitam? Nihil, sed erit ijs omnibus superior, se rerum immortalium voluptate perfundet. Talis enim est, qui ab eis amatur, qui enim amant alia, vel inuiti citò traducuntur ad obliuionem, cum intereant, & flaccescunt, quæ amantur. Hic amor est infinitus, qui nõ potest desinere, qui & maiorem habet voluptatem, & plus lucri, & hoc ipso amantem delectat, & recreat, quòd nunquam dissoluatur. Sponsa dicit in Canticis: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Seù: *Vulnerata charitate ego sum:* bona vulnera, quæ sanant vulnera; bonæ plagæ, quæ sanant plagas.

Canticor. 2.

Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittæ electæ. Sagitta hæc Christus est, qui dicit: Posuit me sicut sagittam electam. Bonum est ergo vulnerari hac sagitta. Non omnes possunt dicere: quia vulnerati sunt dilectione. Dicebant Apostoli, cum pro Christo lapidarentur, & Christum prædicarent. Dicebat Paulus, cum tèr virgis cęderetur, & die, ac nocte Christum adorandum Gentibus prædicaret. Dicunt hoc martzres, qui vulnerantur pro Christo: & quia vulnerari pro eius meruerunt nomine, plus diligunt.

Ex Ambros in Psal 118. Octonar 5. ver. 10. 2.
Isai. 49.
Act. 5.
2. Corinth. 11.

Habet clauum suum charitas, habet gladium suũ, quo anima vulneratur. Fęlix, qui hoc gladio meruerit vulnerari. Hæc sunt vulnera, quæ osculis

Ex eodem Ibidẽ Octonar 15. ver. 8. in fine.

præ-

præferuntur: vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. His nos vulneribus offeramus, quibus quicumque mortuus fuerit, mortem videre non poterit. Nam & alligati vinculis ipsum sequũtur, quia quos vulnerat, ligat. Ergo sunt etiam vincula charitatis, quibus ligatus est Paulus, qui ait: *Paulus vinctus Iesu Christi*. Vulnera autẽ charitatis esse docet Iob, quo nemo amplius, Christum dilexit. Qui diligebat etiam in ipsis sui corporis cruciatibus; vnde dicebat: *Sagitta autem Domini in meo corpore sunt, quarum furor ebibit sanguinem meum*: cum cæpero loqui compungunt me. Sunt ergo charitatis vulnera, & bona vulnera. Vulnera non timenda, sed optanda.

Prouerb. 25.
Isa. 45.
Osee 11.
Philemon.
Iob. 6.

Has pennas, veluti duas alas, duo præcepta charitatis, in quibus duobus tota lex pendet, & prophetæ, assumere volebat Sanctus Rex Dauid, cum diceret: *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris*. Has, inquit, alas, has pennas si recipiam sic, & habitabo in extremis maris, possum fugere à facie tua ad faciem tuam, & à facie irati ad faciem placati. Quid enim est extremum maris? possum fugere à facie tua ad faciem tuam, & à facie irati ad faciem placati. Quid enim est extremum maris, nisi finis sæculi? Illuc iam volemus spe, & desiderio, habentes alas geminæ charitatis, non sit nobis requies, nisi in extremis maris. Nam, si alibi requiem habere voluerimus, in mare præcipitabimur. Volemus, quousque finiatur mare; suspendamus nos pennis geminæ dilectionis. Ad Deum interim spe volemus, & illum finem maris spe fideli præmeditemur. Quid est autem diligere Deum ex toto corde? Id est, vt cor tuum non sit inclinatum ad vllius rei dilectionem amplius, quàm

Psal. 138.
Ex Augustino Ibidem.

Iuxta illud: Qui amat patrẽ, aut matrẽ, plusquã me, nõ est me dignus: Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus, *Matth. 10.*

ad Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi ampliùs, quàm in Deo, non in honoribus, non in auro, vel in argento, non in possessionibus, aut vineis, non in animalibus, aut mancipijs, non in ornamentis, aut vestibus, non in filijs, aut parentibus, aut amicis. Sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus Deum ames.

Ex Augustino lib. 10 de Ciuit. Dei cap. 4.

Vni verò Deo nos seruitutem, quæ latria Græcè dicitur, siuè in quibusque Sacramentis, siuè in nobis ipsis, debemus. Huius enim templum simul omnes, & singuli templa sumus, quia, & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quàm in singulis maior, quoniam, nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, eius est Altare cor nostrum, eius vnigenito, cũ Sacerdote placemus: ei cruentas victimas cædimus, quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus: & suauissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio, sanctoque amore flagramus. Ei dona eius in nobis, nosque ipsos vouemus, & reddimus, ei beneficiorum eius solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, nè volumine temporum ingrata subrepat obliuio, ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis feruidæ charitatis. Ad hunc vidẽdum, sicut videri poterit, eique cohærendum ab omni peccatorum, & cupiditatum malarum labe mundamur, & eius nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potiùs religentes, (amiseramus enim negligentes:) hunc ergò religentes, vndè & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quiescamus, ideò beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum,

Aliàs l. cuius.

Nota.

Iuxta illud propheticum: Imnola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.

Aliàs legi, nomini.

de

de cuius fine inter philosophos magna contẽtio est, nullum est aliud, quàm illi cohærere, cuius vnius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur, fæcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur, duci, & quos diligimus, ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet, & prophetæ: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua: & diliges proximum tuum, tanquàm te ipsum.* Vt enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, quę ageret, beatus esset. Non enim, qui se diligit, aliud esse vult, quàm beatus. Hic autem finis est, adhærendo Deo. Iam igitur scienti diligere se ipsum, cum mandatur de proximo diligendo, sicut se ipsũ, quid aliud mandatur, nisi, vt ei quantum potest, cõmendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hęc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita seruitus: [*totam magnitudinem, & latitudinem diuinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum, proximumque diligimus.*] Docet enim nos vnus cælestis magister, & dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum tuum, sicut te ipsum: In his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & prophetę. Si nunc ergo non vacat, omnes paginas sanctas perscrutari, omnia volumina sermonum euoluere, scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, vbi pẽdent omnia, vbi tenebis etiam, quod ibi non didicisti. Si enim nosti charitatem, aliquid nosti, vndè & illud pendet, quod fortè non nosti, & in eo, quod in scripturis non intelligis, charitas latet. Ille itaque

Phrasis Ps. 72. ibi: Mihi autẽ adhærere Deo, bonum est. Et in 62. Adhæsit anima mea post te.

Matth. 22.

Ex August. Ser. 39. de Tẽpore.

Magister vester vnus est Christus. *Matth. 23.* Vos vocatis me magister, & Domine, & benè dicitis: sum etenim, &c. *Ioan. 13. Matth. 22.*

te-

tenet, & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Quapropter fratres, sectemini charitatem, dulce, ac salubre vinculum mentium, sine qua diues, pauper est, & cum qua pauper, diues est. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel sacrificio grata, in Noe, per diluuium secura, in Abrahæ peregrinationibus mansuetissima: in tribus pueris iugulandis ignis innocenter expectat, in Machabęis sæuos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virũ. Libera in Paulo ad arguendũ, humilis in Petro ad obediendũ, humana in Christianis ad cõfitendũ, diuina in Christo ad ignoscendum. Aduersis probatur amor, affectio pẽsatur, periculis, pęnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur.

Nota

Genes. 4. Genes. 7. Daniel. 3. 1. Machab. 7. Daniel. 13. Luc. 2.

Hinc est, quod Christus intrat carnis iniuriam; subit contumelias passionum, pęnarum genera percurrit, mortem suscepit peramaram: quia damnari voluit, qui quod fecerat, sic amauit. Deitatis autẽ non est voluntas hæc noua, antiquæ legis prima vox hoc quæsiuit: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, quia vera dominatio est ipsa, quæ amore imperat, non timore: quæ per affectum sibi, & corpora subdit, & corda. quæ amando non inuitam, sed voluntariam sibi instruit seruitutem. Ergo, & prima causa est Dominicæ passionis, quia sciri voluit, quantùm amaret hominem Deus, qui plus amari voluit, quàm timeri. Si quid nimis molestum incidens viderimus, nequaquàm ad homines confugerimus, aut ad humanum

Ex Chrysost. Ser. 6. de Passione Domini, to 3

Deuteron. 6.

Ex Chrysost. homil. 4 de Pœnit. col. mihi 7.

num prospexerimus auxiliũ, sed vniuersi transeuntes, ad animarum medicamentum illud euolemus. Orationem corde semper versemus, [*Ad orationem scilicèt humilem, & mansuetam.*] atque huius fructus mansuetudinem dico, & humilitatem. Cor enim curare solus potest, qui finxit sigillatim corda nostra, intelligit semper omnia opera nostra: ipse ergo nostram subire conscientiam, mentem tangere potest, animam flectere. Si verò ille minùs inclinauerit corda nostra, superfluum erit, atque inutile quicquid ab hominibus exigetur. Quemadmodum etiam Deo exhortante, & consolante nos, quàmuis mille hominum molestauerint, haud in re sanè, vel in minima offendere potuerint. Nam, cum ille in solido cor posuerit, nemo id, vel moueri coëgerit. Sanctus Dauid loquitur, inquiens: *Quærens Deum meum effudi super me animam meam*, vt illum attingerem, non in me remansi. Ergo sperate in eum omne concilium plebis: effundite coram illo corda vestra, deprecando, confitendo, sperando. Nolite corda vestra retinere intra corda vestra. Effundite coram illo corda vestra. Non perit, quod effunditis, ille enim susceptor meus. Si suscipit, quid times effundere? *Iacta in Domino curam tuam, & spera in eum.* Alibi idem Sanctus propheta familiarius organum Spiritus sancti, *Voce mea*, ait, *ad Dominum clamaui*. Suffecerat, voce ad Dominum clamaui: fortè non frustra additum est, mea. Multi enim clamant ad Dominum non voce sua, sed voce corporis sui. Homo ergo interior, in quo cæpit habitare Christus per fidem, voce sua, non in strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamat ad Dominum, [*Licèt is qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diẽ.*

Auxilium nostrum à Domino, &c. Psal. 120. Consule, ibi August.

Psal. 32.
Prouerb. 12.

Consule Vulgatam.

Psal. 41.
Ex August. in Psal. 61.

Psal. 54.

Psal. 141.

Ephes. 3. ibi: Christum habitare per fidem in cordibus vestris Vtinam & in corde meo.

2. *Cor*. 4.] Non vbi homo audit, ibi Deus audit, nisi voce pulmonum, & laterum, & linguæ clames, homo te non audit. Cogitatio tua clamor est ad Dominum. Rursus in alio Psalmo dicit: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*

Psal. 118.

Ex August. ibidem, Concione 11. col. mihi 4.

Cum enim quisque legem scrutatus fuerit, & ad eius alta peruenerit, in quibus tota lex pendet, profectò debet Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & proximum suum tanquam seipsum. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ: hoc videtur promisisse, cum dixit: *Et custodiam illam ia toto corde meo.* Sed quia, & hoc non valet viribus proprijs, nisi adiuuetur ab illo, qui iubet, vt faciat, quod iubet, *Deduc me*, inquit, *in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Parum est mihi voluntas mea, nisi in eo, quod volui meipsum deducas. Et certè ipsa est semita, hoc est, via mandatorum Dei, quam se dilatato ab illo corde suo, curruriſſe iam dixerat. Quã propterea etiam semitam vocat, quia angusta est via, quæ ducit ad vitam, & cum sit angusta, nisi dilatato corde non curritur. Sed, quoniam adhuc proficiat, adhuc currit: & ideò diuinum auxilium, quò deducatur, inquirit, quia: *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* è vestigio non diligamus mundum, neque ea, quæ sunt in mundo, nam mundus transit: Non longe à fine absumus, sed iam mundus properat: hoc bella, hoc afflictiones, hoc terrçmotus, *hoc extincta charitas* significat. Et ideò diuinum auxilium, quo deducatur, inquirit, quia neque currentis, neque volentis, sed miserentis est Dei. Omnipotens Deus, qui nullo indiget, quia ipse summum, & vnum bonum est: qui nec de alio

Ibidem.

Supra eodem Psal.

Matth. 7.

Rom. 9.

Ex Chrysost. Homil 33. *in Ioann.*

Matth. 24. *ibi*: Quoniam abũdauit iniquitas, refrigescet charitas multorũ.

alio accipere poteſt, quo creſcat, quoniàm ex ipſo ſunt omnia: nèc de ſuo amittere, quò decidat, quoniàm in ipſo immutabilitèr conſiſtunt vniuerſa: ipſe rationalem ſpiritum creauit ſola charitate, neceſſitate, vt eum ſuæ beatitudinis participem faceret. Porrò, vt idem aptus eſſet tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem ſpiritalem, palatum cordis quodammodò per hanc ſenſificans ad guſtum dulcedinis internæ: [*Iuxtà illud: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Pſalm.* 118. *& alibi. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, &c. Pſalm.* 30.] quatenùs per ipſam videlicèt dilectionem ſuæ fælicitatis, iucunditatem ſaperet, eique infatigabili deſiderio inhæreret. Per dilecionem ergò copulauit ſibi Deus creaturam rationalem, vt ei ſempèr inhærendo, ipſum, quo beatificanda erat, bonum ex ipſo quodammodò per affectum ſugeret, & de ipſo per deſiderium biberet, & in ipſo ſempèr gaudium poſſideret. Suge, ò apicula, ſuge, ſuge, & bibe dulcioris tui inenarrabilem ſuauitatem: immergere, & replere, quià ille deficere neſcit, ſi tu non incipias faſtidire. [*Quaſi modo geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite* 1. *Pet.* 2. *Et in Canticis Cantic. Bibe vinum meum cum lacte meo Cantic.* 5.] Adhære ergò, & inhære, ſume, fruere: ſi ſempiternus guſtus fuerit, ſempiterna quoque beatitudo erit. Igitùr per amorem ſociata eſt Factori ſuo creatura rationalis, ſolumq; eſt dilectionis vinculum, quod ligat vtroq; in idipſum, & tantò fælicius, quantò fortius. Propter quod, vt indiuiſa ſocietas, & concordia vtrobique perfecta haberetur, geminatus eſt nexus in charitate Dei, & Proximi: vt per charitatem Dei omnes vni adhærerent, per charitatem Proximi, omnes vnum fierent: vt quod de illo, cui omnes inhærebant, quiſ-

Ex Auth lib de Subſtantia dilectionis, & amoris, cap. 3. *&* 4. *Inter oper. Aug. tom* 4.

Romanor. 10. 36

Charitate Deo connectimur.

Dilata os tuum, & implebo illud.

Et Apoſtolus: Lac vobis potū dedi, non eſcam 1. *Corinth* 3.

Fortis eſt, vt mors, dilectio

De gemino charitatis funiculo

que in semetipso non caperet, pleniùs, atquè perfe-ctiùs per charitatem Proximi in altero possideret. Hinc est, quod Rex sanctus Dauid cernens, quod cum adesset corpori, velùt quibusdam ligatus vinculis huius vitæ, aberat à salutare Dei, concupiscebat, desiderabat, deficiebat, & toto dissoluebatur affectu, vt totus illius fieret, quod desiderabat. Sicùt etiàm in posterioribus ipse dicit: [*Effundo in conspectu eius orationem meam: tribulationem meam ad teipsum pronuncio, in deficiendo ex me spiritum meum, Psalm.* 14.] Deficit enim eius spiritus, immò ab eo deficit spiritus suus, qni seipsum negat, vt adhæreat Christo. Vndè semitæ eius cognoscuntur à Domino, quià non sunt carnis, sèd Christi semitæ. Attollat igitùr se anima nostra, deficiens viribus suis, vt adhæreat salutari Deo, qui est Christus Dominus Iesus, quod interpretatione dicitur, Domini salus. Ipse est enim salus vera, veritas, virtus, atquè sapientia.

Defecit in salutare tuum anima mea, &c *Psalm.* 118.

Ex Ambr. ibidē. Octouar. 11.

1. *Corinth.* 6.

1. *Corinth.* 1.

Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ità diuersæ qualitatibus, sicùt diuiduntur Authoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aùt Dei amator est, aùt Mundi. In dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autèm Mundi, cuncta sunt noxia. Et ideò æternis bonis inseparabilitèr inhærendum, temporalibus verò transeuntèr vtendum est: vt peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quicquid de prosperitatibus Mundi huius, occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis. Ideò Beat. Apostolus prædicat dicens: *Tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquàm non habentes sint, & qui flent, tanquàm non flentes, & qui gaudent, tanquàm non gaudentes, & qui emunt, tanquàm non*

Ex Leone magno sermon. 5. *de ieiunio Septimi mensis cap.*

Nota.

Scientes, quoniā dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino. 2. *Cor* 5. & Obsecr. vos tanqā aduenas, et peregrinos etc 1. *Pet.* 2.

non possidentes, & qui vtuntur hoc Mundo, tanquàm non vtantur: Praterit enìm figura huius Mundi. Sèd quod de specie, de copia, de veritate blanditur, non facilè declinatur, nisi in illa visibilium pulchritudine Creator potiùs, quàm Creatura diligatur. Qui enìm dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*, in nullo nos vult ab amoris sui vinculis relaxari. Et cum huic præcepto, Proximi quoquè copulat charitatem, imitationem nobis suæ bonitatis indicit: vt, quod diligit, diligamus, & quod operatur, operemur. Quàmuis enìm Dei agricultura simus, & Dei ædificatio, *& nequè qui plantat, sit aliquid, nequè qui rigat, sèd qui incrementum dat Deus:* in omnibus tamèn exigit nostram in ministerijs seruitutẽ, & nos dispensatores suorum vult esse bonorum, vt qui fert Dei imaginem, Dei faciat voluntatem.

Animaduersio singularis. *Matth. 22.*

Matth. 5.

1. Corinth. 3.

1. Corinth. 4 ib. Sic nos existimet homo, etc.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniàm ipsi saturabuntur. Nihil hæc esuritio corporeum, nihil expetit sitis ista terrenum: sèd iustitiæ bono desiderat saturari, & in omnium occultorum introducta secretum, ipso Domino optat impleri, fęlix mens, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum. Quem vtique non expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset. Audiens autèm dicentem sibi propheticum spiritum: *Gustate, & videte, quoniàm suauis est Dominus. [Gustate priùs in affectu, & deindè videte in intellectu, quià gustatio spiritualium facit videre. Vg.*] accepit quendam supernæ dulcedinis portionem, & in amorem castissimæ voluptatis exarsit, vt spretis omnibus temporalibus ad edendam, bibendamque iustitiam toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem, dicentis: *Diliges Dominum Deum tuum ex*

Ex Leon magno hom. in eo, quod scriptum est. Videns Iesus turbas, &c. Matt. 5

Psalm. 33.

Deuteronom. 6.

Matth. 20. Marc. 14. Diligere Deum quid sit. Luc 10.

toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua: quoniàm nihil est aliud, diligere Deum, quàm amare iustitiam. Sanctus Rex, & Propheta loqnitur offerens holocaustum spirituale Domino Deo nostro, dicit: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo:* Totum, inquit, cor meum flamma tui amoris accendat, nihil in me reliquatur mihi, nèc quo respiciam ad meipsum, sèd totus in te æstuem, totus in te ardeam, totus diligam te, tanquàm inflammatus abs te. Nos itaquè intendamus cor nostrum, & verbum vitæ nobis venire à Domino postulemus.

Psalm. 137.

Ex Aug: ibidē.

Ex Ambros in Psalm 118 oct. 11. vers. Defecerunt oculi mei, &c.

Siquis de longinquo verbum Dei, obtutu mentis aspexerit, nondùm plenum, atquè distinctum: is velùt quibusdam oculis interioribus verbi nauigium appropinquare animæ suæ cernit. Quò autèm expressiùs videre cœperit, eò magìs quasi ad portum veritatis festinat accedere, vt sit proximus inuehendæ. Porrò vno oculo vulneratam se esse, sponsa scribit, dùm intellectum suum spiritalem in sui sponsi Iesu Christi amorem deflectit, dùm illius in se beneficia propendit, cum deniquè castissimo illo suo oculo nullam Mundi, carnisque lasciuiam expetit, sèd ei soli adhærere cupit, cuius esse amicam columbam formosam cognoscit. Sèd, quià oculus mentis, & oculus carnis, vnus oculus fiunt, & tùnc homo consolatione fulcitur, cum caro, & mens diuersa non cupiunt, sèd vnum desiderant, vnum requirunt; ideò intenti ad eum, qui ait: *Ego, & Pater vnum sumus:* isti quoquè oculi vnum esse se confitentur, quià vno, atquè eodem desiderio, officioque funguntur. [*Cantic. 4: ibi: Corde nos cepisti soror mea sponsa, corde nos cepisti ab vno oculorum tuorum.*]

Ex eodem, ibid. Corinth. 4.

Ioann. n. 10.

Ex Augu tract. 36, in Ioann.

Intendamus itaquè mentis obtutu, & adiuuante Domino, Deum requiramus: diuini Cantici vox est:

Quærite

Quærite Deum, & viuet anima vestra. Quæramus inueniendum: quæramus inuentum: vt inueniendus quæratur, occultus est, vt inuentus quæratur, immensus est: vndè alibì dicitur: *Quærite faciem eius sempèr.* Satiat enìm quærentem, in quantum capit, & inuenientem capaciorem facit, vt rursùs quærat implere, vbi plus capere cæperit: nòn ergò ità dictumq́ est: Quærite faciem eius sempèr. Quemadmodùm de quibusdam: sempèr discentes, & ad scientiam veritatis nunquàm peruenientes: sèd potiùs sicùt ille ait: Cum consummauerit homo, tùnc incipit, donec ad illam vitam veniamus, vbi sìc impleamur, vt capaciores non efficiamur, quià ità perfecti erimus, vt iàm non proficiamus: tùnc enìm ostendetur nobis, quod sufficit nobis. Quamdiù verò sumus in corpore, & peregrinamur à Domino, gustemus saltèm, quàm suauis est Dominus, qui dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus eius dulcedinem, & desideremus ipsum vitæ fontem, vbì sobria ebrietate inundemur, & irrigemur, sicùt lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, & dat fructum in tempore suo, & folia eius non decident. Dicit enìm Spiritus Sanctus: *Filij autèm hominum in tegmine alarum tuàrum sperabunt: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabit eos: quoniàm apud te est fons vitæ:* Talis ebrietas non euertit mentem, sèd tamèn rapit sursùm, & obliuionem præstat omnium terrenorum.

Psalt. 68.
Psalm. 104.
Ex eodē lib vno de Agone Christ, cap. 9. tom 3.
Psalm. 33.
2. Corinth. 5.
Psalm. 1.
Psalm. 35.

Sanat Deus contritos corde, quià illis propinquat, vt sanet, sicùt dicitur in Psalmo: *Propè est Dominus his, qui obtriuerunt cor.* [*Vulgata legit: Iuxtà est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit:*] Qui obtriuerunt cor? Humiles. Qui non obtriuerunt cor? Superbi. Contritum sanabitur,

Ex eodem Aug. in Psalm. 146
Psalm 33.



bitur, elidetur elatum. Ad hoc enim fortè eliditur, vt contritum sanetur. Nè velit ergò cor nostrum esse erectum, antequàm sit rectum. Malè erigitur, quod primò corrigitur. Sanat itàque Deus noster contritos corde, sanat humiliatos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes, in se seuerum iudicium exercentes, vt possint esse illius miseridordiam sentientes. Tales sanat, sèd perfecta eorum sanitas transacta mortalitate fiet, quandò corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: quandò nihil erit, quod ex carnis labe sollicitat, non solùm nihil, cui consentiamus, sèd nihil, quod suggeratur ex carne. Etenìm modo quantæ illicitę delectationes animū tangunt, quàmuis eis non consentiamus, membra nostra iustitiæ seruient, non iniquitati. Tamèn vèl delectari talibus, etsi non consentis, nondùm est perfecta sanitas. Sanaberis ergò, corde sanaberis contrito. Noli erubescere, contere cor, tales sanat Deus.

Nota.

1. Corinth. 15.

Roman. 5.

Pulchrè Petrus Apostolus cordis hominem dixit, eò quòd totus sapientiæ sit absconditus, sicùt ipsa sapientia, quæ non videtur, sèd intelligitur. Nemo ante ipsum tali expressione vsus est, vt diceret cordis hominem. Exterior enìm homo plurima in se membra habet: interior autèm cordis homo totus sapientiæ est plenus gratiæ, plenus decoris. In incorruptione, inquit, quieti, & modesti spiritus, qui est ante Deum diues. Et verè diues, qui in conspectu Dei potest diues videri, in cuius conspectu terra exigua, Mundus iste angustus est. Sèd solùm illum Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui non opum, sèd virtutum fructus recondat. Quià serpentis venenis infecta erant corda successionis humanæ, & peccatis obnoxia conscientia,

Ex Amb. ep. 27.
1. Petri 3.

Ibidem.

Nota.

Genes. 3.

tia, dùm desperat veniam, se reuocare non poterat: remedium pollicetur (miserator, & misericors Deus) indulgentiam; spontè pietatis suæ largitate promittit, vt reus non timeat, benè conscius gratuletur, quod bono Domino exhibeat ministerium seruitutis, qui nouerat peccata donare, honorare virtutes.

Bonum est sursùm habere cor, non tamèn ad se ipsum, quod est superbiæ, sèd ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitùr aliquid humilitatis miro modo quod sursùm faciat cor, & est aliquid elationis, quod deorsùm faciat cor. Hoc quidèm quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsùm, & humilitas sursùm. Sèd pia humilitas facit subditum superiori, nihil est autèm superius Deo, & ideò exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. [*Subiectio non solùm honorabilis, sèd gloriosa: quàm desiderabat Propheta Rex: inquiens: Nonnè Deo subiecta erit anima mea, &c. Psalm. 61. Et Subditus esto Domino, & ora eum. Ibidem 36.*] Elatio autèm, quæ in vitio est, eò ipso quò respicit subiectionem, cadit ab illo, quò non est quicquàm superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum: Deiecisti eos, dùm extollerentur. Non enìm ait, cum elati fuissent: vt priùs extollerentur, & posteà deijcerentur, sèd cum extollerentur, tùnc deiecti sunt. Ipsum quippè extolli, iàm deijci est. Hi sunt recti corde, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei est aliquandò, vt sanus sis, & aliquandò, vt ægrotus, si aliquandò sanus es, dulcis est voluntas Dei, & quandò ægrotas, amara est voluntas Dei, non recto corde es. Quare? Quià non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sèd Dei vis curuare ad tuam. Illa recta est, sèd tù es curuus. Voluntas tua corrigen-

Ex August. libr. 14 de Ciuit. Dei cap. 13.

Aliàs legitur. Humilitas exaltat cor.

Consideratio digna August.

Ex eod. in Ps. 35

da

da, est ad illam, non illa curuanda est ad te: & rectum habebis cor: Clamat Propheta Rex, & ait: Cor mundum crea in me Deus: Non quasi nouum aliquid institue, dicere voluit, sèd quià pœnitens orabat, qui commiserat aliquid, quod priùs, quàm committeret, innocentior erat, ostendit quemadmodùm dixerit: Crea: Et spiritum rectum innoua in visceribus meis. Perfectum, inquit, in me spiritum fac esse: Inueteratam erat, atquè curuata rectitudo spiritus mei. Discit enim ex alio Psalmo: *Curuauerunt animam meam*. Et quàndò se homo pronum facit ad terrenas concupiscentias, incuruatur cor quodammodò, cùm autèm erigitur in superna, rectum fit cor eius, vt bonus illis sit Deus: *Quàm bonus enim Deus Israel rectis corde*! Plenitudo delitiarum, & sufficientia diuitiarum ipse Deus, ipse idipsum, ipse, cuius participatio est Ciuitatis in idipsum: Ipse erit abundantia nostra. Sèd vndè? Per charitatem, hoc est, per virtutem; Valida est enìm sicùt mors dilectio. Si ergò valida est, fortis est, & magnæ virtutis, & ipsa est virtus, & per ipsam reguntur infirmi à firmis, terra à Cœlo, Populi à sedibus. Placeat tibi, Domine Deus, dirigere corda nostra in dilectionem Maiestatis tuæ.

Ex eod. in Psf. 50. — *Psalm. 56.* — *Psalm. 72.* — *Ex eod. in Psf. 121* — *Canticor. 8.*

Sunt enìm multa, quæ à dilectione tua, ò Deus, deflectunt, abducunt, & multa diuerticula, quæ illinc extrahunt: Primùm quidèm mammonæ, velùt impudentes quasdam manus animæ nostræ injicientis, & inuitos quoquè abducentis, & trahentis: & deindè vanæ gloriæ studium, & afflictiones sæpè numerò, & tentationes subuertunt. Quapropter quasi flatu quodam, diuino auxilio egemus, vt velum nostrum, velùt vehementi quodam vento ad dilectionem Dei transmittatur. Etenìm nè mihi dicas: Diligo

Ex Chrys. hom. 8. in 2 ad Thess.

Laudatur Dominus, vt ametur. Quid enim salubrius amatur? *Augustin.*

ligo Deum, & plusquàm meipsum. Verba sunt ista. Ostende hoc ipsis operibus. Si diligis eum plusquàm te ipsum, dilige plusquàm argentum,& tùnc credam, quod, & plus quàm teipsum, illum diligas. Cum verò pecunias propter Deum non contemnas,quomodò teipsum contemnas? Quid verò pecunias dico? Qui auaritiam non contemnis, quod tamèn etiàm sine præceptis Dei facere oportebat, quomodò contemnas teipsum? *Et in patientiam*, inquit, *Christi:* quid est in patientiam? Vt patiamur,quemadmodùm ille passus est, aùt vt eadem faciamus, aùt cum patientia ipsum expectemus: hoc est, vt prompti, & parati simus. [*Et vigilemus, quià beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Lucæ* 12.] Quoniàm enìm multa pollicitus est, & ipse venturus est ad iudicandum viuos, & mortuos, vt præstolemur eum, & patientes simus. Vbi verò patientiam dicit, ibi omninò afflictionem innuit: Hoc enìm est diligere. O ingenuitas Prophetæ dicentis: Cor mundum crea in me, Deus: ò desiderium ad Deum! vt loquaris mihi,iterùm quæro, vt ego tibi loquar. Amicitiam illam, & familiare colloquium quæro. Quid enìm? Quià liberatus à pœna sum, seuerus esse non possum? [*Ideò alibi dicebat: Cogitabo; vèl vt alij legunt: Anxius ero pro peccato meo,Psalm.* 37.] Mihi maior pœna est,fraudari colloquio tuo, insano tui amore flagro. Essentiam quidèm tuam videre nequeo, quòd ea sub sensum meum cadere nequeat: at præ amore opera tua conspicio, atquè exulto. Non te vidi, at Cœlum vidi, & exultaui, ac dixi: *Cæli enarrent gloriam tuam*. Terram vidi, ac dixi: *Domini est terra, & plenitudo eius*. Mare vidi, & voluptate affectus sum, & dixi: *Hoc mare magnum, & spatiosum*. Diem,ac

,, Verba verò ,, oportet in ,, operavertere.

2.Thessalon. 3.

Act. 10.42.& 1 Timoth. 4.

Psalm. 18.

Psalm. 23.

Psalm. 103.

Psalm. 73.

noctem vidi, atquè ad te exclamaui: *Tuus est dies, & tua est nox: tu perfecisti Auroram, & Solem.* Montes vidi, & admiratione perculsus, dixi: *Montes excelsi ceruis* [*Inuisibilia enim ipsius, (idèst, Dei) à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Roman.* 1.] Et quemadmodùm is, qui amat, & si eum, quem amat, non videat, si tamèn eius vestimenta conspiciat, eum sibi videre videtur, atque exultat, ac velùt quoddam solatium amoris capit; eodem modo ipse quoquè circa rerum cognitarum corpus læto animo, ac velùt furore percito obambulo, ac sine vlla intermissione his verbis ad te vtor: *Quemadmodùm desiderat ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te, Deus:* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei. [*Alia litera legit: Deum fortem viuum. Alia: Deum, Deum viuum.* At qui Rex es, diadema habes. Quid amplius vis? facessant, inquam, ista, pulchritudinem requiro, prophetiam volo: Potentiam hanc contemno, Cœlum hoc despicio, folia sunt hæc, & nox, & insomnium, ac fęnum. Pulchritudinem meam quæro, quandò veniet? Moras ferre nequeo: quandoquidèm fiduciam hanc perdidi, quam peccatum aduentu suo intercepit. Diligamus Dominum Deum nostrum, & pleno cordis affectu: diligamus tota rationis vigilantia, & circumspectione: Diligamus, & tota virtute, vt nèc mori pro eius amore pertimescamus, sicùt scriptum est: *Quoniàm fortis est, vt mors, dilectio, dura sicùt infernus, æmulatio.* Hoc est enìm diligere Dominum Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute. Amor quidèm cordis ad zelum quendam pertinere affectionis: animæ verò amor ad industriam, seù iudicium rationis,: virtutis

Psalm. 41.
Cantic. 8.
Deuteron. 6.
Matth. 22.

tis autèm dilectio ad animi potest referri constantiã, vèl vigorem. Sit suauis, & dulcis affectui nostro Dominus Iesus, contra malè vtiquè dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodùm clauum clauus expellit. Sèd sit nihilominùs intellectui præuia lux, & dux rationi, non solùm ob cauendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum versutijs custodiendam: verùm vt cautus quoquè sis nimiam, & indiscretam vehementiam vitare. Ergò amemus affectuosè, circumspectè, & valdè, scientes amorem cordis, quem affectuosum dicimus, absque eo, qui dicitur animæ, dulcem quidèm, sèd seductibilem: istum verò absq; illo, qui virtutis est, rationabilem esse, sèd fragilem. Et vide in manifestis exemplis hoc ità esse, vti dicimus. Cum ægrè ferrent discipuli, quod de ascensuri Magistri discessu ab eodem ipso audierant: *Si diligeretes me, gauderetis vtiquè, quià vado ad Patrem.* Ioann. 14. Quid ergò? Non diligebant, de cuius discessu dolebant? Sèd diligebant quodammodò, & non diligebant: Diligebant dulcitèr, sèd minùs prudentèr: Diligebant carnalitèr, sèd non rationabilitèr: Deniquè diligebant toto corde, non autèm tota anima. Dilectio eorum contra salutem eorum: Vndè, & aiebat: *Expedit vobis, vt ego vadam*: culpans consilium, non affectum. Nota. Ibidem.

Assume pennas, cum quibus ad Deum euoles. Pennæ, quibus euoles, sunt dilectio Dei, & Proximi. Dei, & Proximi dilectio apta est tui ipsius dispositio: *Diliges Proximum tuum, sicùt te ipsum. Dilectio Proximi malum non operatur.* De dilectione Dei, quid dicam? *Diliges Dominuum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Diligeat Deum oculus tuus, os tuum, manus tua, Ex lib. 1. de Visitation. infirm. cap 3. & 4. inter oper. Aug tom. 9 Roman. 1. Deuteronom. 6. Matth. 22.

pes tuus, omnis ſenſus tuus. Quicquid dilectionis in te eſt, tu totus diligas Deum. Hæ ſunt duæ alæ, quibus euoles ad Cœlos, tranſueharis ad Sanctos, inſeraris inter Angelos. Si otioſa ſit manus ab opere, pes à deambulatione, sèd nunquàm ſancta anima, vèl mens timens Deum, vacare poterit à dilectione. Sèd dicis: Diligo Deum: Benè: Vtinam ſit in te, quod promiſiſti ſermone: Dilectionis Dei probatio, mandatorum ipſius eſt completio: Operum tuorum voluntaria completio, amare, quod amat Deus, ardenti deſiderio amplecti, quod facit Deus. Dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentem. Non in furore, non in ira, sèd in miſericordia aperi pulſanti, deuotus eſto vocanti, gratias age miſeranti: redi ad te, cogita parumpèr, cogita de Deo, penſa ſi potes, quoniàm ſuper omnia opera ſua, ipſius miſerationes. Ipſe Deus eſt, ipſe Iudex eſt, nèc te vult damnari, nèc vult te malè iudicari, vult tui miſereri, flagellat te miſericorditèr, qui in eum deliquiſti pertinacitèr.

Ex Bern. ſerm. 50. ſuper Cant. *Roman. 1.* Legi inter alia, quæ ſcribit Apoſtolus: Magna, & grauia hominum mala, in hoc quoquè adnumeratū, ſcilicèt: ſine affectione. Sèd eſt affectio, quam caro gignit, & eſt, quàm ratio regit, & eſt, quam condit ſapientia. *Roman. 8.* Prima eſt, quàm Apoſtolus, legi Dei dicit non eſſe ſubiectam, nèc eſſe poſſe. Secunda, quā perhibet è regione conſentientem legi Dei, quoniàm bona eſt. Nèc dubium, diſtare inter ſe contentioſam, & conſentaneam. Longè verò tertia ab vtraque diſtat, quæ & guſtat, & ſapit: *Pſalm. 33.* quoniàm ſuauis eſt Dominus, primam eliminans, ſecundam remunerans. Nàm prima quidèm dulcis, sèd turpis: ſecunda ſicca, sèd fortis: Vltima pinguis, & ſuauis eſt. [*Iuxta illud: Suauis es Dominus vniuerſis, Pſalm. 144. Et: ſua-*

uitatem

uitatem fecisti cum seruo tuo, Domine: *Psalm*. 118. *Et: Si tamèn gustastis, quoniàm dulcis est Dominus*. 1. *Petri* 2.] Igitùr per secundam opera fiunt, & in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita, pinguescens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, sed quædam potiùs act ualis; quæ, etsi nondùm dulci illo amore suauitèr reficit, amore tamèn amoris ipsius, vehemētèr accendit. [*Secundum illud propheticum: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis, qui sperant in te, Psalm*. 30.] Non diligamus, ait, verbo, nequè lingua, sed opere, & veritate. Vides, quomodò causa! medius incedit inter vitiosum, atquè affectuosum amorem, ab vtroque paritèr hanc distinguens actualem, & salutiferam charitatem? Nèc lingua mentientis in hac dilectione recipit fictum, nèc rursùs efficientis exigit sapientię gustum. [*Secundum illud Psalmistæ: Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei*. *Psalm*. 77. *Quod vitandum omninò, Ioan. Apostolus præcipit*.] Opere, inquit, diligamus, & veritate, quod videlicèt moueamur ad benè operandū, magìs quodam viuidæ veritatis impulsu, quàm sapidę illius charitatis affectu. Habet anima affectus suos, quibus ambulat. *1. Ioann. 5.* *Ibidem.*

Prudentia enìm rationis humanæ est: fortitudo vim magnam ferocientis virtutis habet, mortisque contenptum: Temperantia sacratæ vinculo charitatis, misteriorumque contemplatione cœlestium negligit corporis voluptates: Iustitia in alto quodā suggestu locata videt, exploratque omnia, quæ alijs potiùs nata, quàm sibi, non tàm suas vtilitates, quàm publica emolumenta, rimatur. Meritoque animo operata iustitiam, formam aquilæ accipit, quod ter- *Ex Ambr lib. 3. de Virginibus.* *Ezech. 1.*

rena defugiens, totaque cœlesti sublimis, & intenta misterio, resurrectionis gloriam pretio æquitatis adipiscitur. Propter quod ad eam dictum est: *Renouabitur, sicùt aquilæ, iuuentus tua*. Est ergò, & iuxtà Dauid alis spiritalibus anima fulta, quam eousquè volucrem nobis voluit declarare, vt alibi quoquè diceret: *Anima nostra, sicùt passer, erepta est de laqueo venantium*. Et alibi: *In Domino confido, quomodò dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicùt passer*. Habet igitùr alas anima suas, quibus se possit libera leuare de terris. Alarum autèm remigium non materialis compago pennarum, sed continuus ordo bonorum factorum est: qualis ille Dominicus, cui benedicitur: *In vmbra alarum tuarum sperabo*: non solùm enim manus Domini affixæ Cruci in modum volantis extentæ, sed etiàm facta cœlestia, velùt vmbra refrigerante salutis æternæ, mundi feruentis incendia temperarunt. Ergò, quià volandi nobis data est copia, excitet in se vnusquisque gratiam Dei, ac posteriora obliuiscens, priora appetens, ad destinata contendat.

Psalm. 102. *Psalm. 113.* *Psalm. 10.* Nota. *Psalm. 56.* *Iuxta illud*: sub vmbra alarum tuarũ protege me, &c. *Psal. 16.*

Quomodò distortum lignum, etsi disponas in pauimento æquali non collocatur, non compaginatur, nèc adiungitur, sed sempèr agitatur, & nutat. Non quià inæquale est, vbi posuisti, sed quià distortum est, quod posuisti: ità & cor nostrũ, quandiù prauũ est, & distortum, non potest collimari rectitudini Dei, & nõ potest in illo collocari, vt hęreat illi, & fiat rectũ. *Qui autẽ adhæret Domino vnus spiritus est*. Ideò recti corde gloriamini, propheta dixit. Quomodò recti corde gloriantur? Audite gloriationẽ ipsorum: *Non solũ autèm*, dicit Apostolus, *sed, & gloriamur in tribulationibus*. Nàm non est magnum gloriari in laudibus, gloriari in lætitijs, rectus corde etiàm tribulatione gloriatur. Et audi, quomodò gloriatur in tribulatione, quià non frustrà

Ex Aug in Psal. 31. col mihi penult. *Psalm. 31.* *Roman 5.*

frustrà quisque, non superuacuè. Vide rectum cor! *Scientes*, inquit, *quià tribulatio patientiam operatur, patientia autèm probationem, probatio verò spem, spes autèm non confundit, quià charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* *Ibidem.*

Sìc est ergò rectum cor. *Sedes tua Deus*, ait Psalmographus, *in sæcula sæculorum. Virga directionis, Virga Regni tui.* Apostolus legit: *Virga æquitatis.* Virgam verò regulam diuinæ significat æquitatis, quæ veracitèr recta dicitur, quià nulla prauitate curuatur. Virga ista iustos regit, impios percutit. Hæc virga nempè fortitudo inuicta est, & æquitatis rectissima, atquè inflexibilis disciplina. [*Propheta ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus Populi sui. Esaiæ 3. Tu nè putes flexibile quippiam inueniendum in iudicibus iunctis petræ. Qui adhæret Deo, Apostolus ait, 1. Corinth. 6. Vnus spiritus est, qui, & petræ iungitur, lapis vnus. Ad quod sanè Propheta non immeritò suspirans: mihi, inquit, adhærere Deo, bonum est. Ità ergò absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. Psal. 72. & 140. Bernardus serm. 8. In Psal. Qui habitat*] Directionis virga est, quæ dirigit homines. [*Secundū illud: Dirige me in semitam rectam propter nomen tuum. Et dirige gressus meos in semitis tuis. Et: Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.*] Curui erant, distorti erant, sibi regnare cupiebāt, se amabant, facta sua mala diligebant. [*Ecce enìm in incuruatione conceptus sum: sìc aliqui legunt, vbi Vulgata: In iniquitatibus, Psalm. 50.*] Non voluntatem suam Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant. *Psalm 44.* *Hæbreor. 1.* *Ex Ambrosio.* *Ibidem.*

Accede ad istam virgam, sit tibi Rex Christus, regat te ista virga, nè frangat te. Virga enìm ferrea est *Ex Aug in Psal. 44.*

Psalm. 2. alias conteres.

est illa inflexibilis. Et quid dictum est? *Reges eos in virga ferrea, tanquàm res figuli confringes eos.* Alios regit, alios conterit: regit spirituales, conterit carnales. Ergò accede ad istam virgam, quid in ea times? Hæc est tuta virga: *Dilexisti, iustitiam, & odisti iniquitatem,* Quid times? Sed fortè iniquus eras, audis enim Regem tuum, quià odit iniquitatem, & times. Est quod facias. Quid? odit iniquitatem. Nunquid te? Sed in te est iniquitas. Odit illam Deus, oderis, & tu, & vnam rem ambo oderitis, eris enìm Deo amicus si odisti, quod odit, ità & amabis, quod amat. Displiceat in te ipso tibi iniquitas tua, & placeat tibi creatura ipsius: Homo enìm es iniquus. Duo dixi nomina; duo nomina, homo, & iniquus. In istis duobus nominibus vnum est naturæ, alterum culpæ. Vnum tibi fecit Deus, alterum tu fecisti: ama quod Deus fecit, oderis quod tu fecisti, quià & ipse hoc odit.

23, quæst. 4. can. Duo ista.

Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ità vt non sint, &c. *Psalm.* 103.

Sicùt amor immundus inflammat animam, & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit: sìc amor sanctus ad superna eleuat, & ad ęterna inflammat, & ad ea, quæ non transeunt, neque moriuntur, excitat animam, & de profundo Inferni leuat ad Cœlum. Habet tamen omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est, vt ducat. Sed vis nosse, qualis amor sit? Vide, quò ducat, non enim monemus, vt nil ametis, sed monemus, nè mundum ametis, vt eum, qui fecit mundum, liberè ametis. Obligata enìm anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata verò ab affectibus sordidissimis sperali, tanquàm extentis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, idest, duobus præceptis dilectionis

Ex Aug. in Psal 121. ennarr.

Matth. 22.

nis Dei,& Proximi, volat. Quò? nisi ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando! Subtile cor Sanctorum, coagulatum est verò cor superborum. Vt enìm lac natura sui purum speciosum, atquè sincerum est, sed corruptione coacescit: sic mentis,& cordis humani natura pura, si vera, perspicua est,priusquàm vitiorum admixtione coacescat. Coagulato enim lacte fit quædã coniunctio, nèc suauitatem habens eamdem, & gratiam. Ità homines, qui ante sedulitate gratiæ, suauita te verborũ,lactis speciem præferebant, nulla inuidia corruptam, si ceperint inuidere, coagulatur in vitium cor eorum per superbiam, per inuidiam, quæ lenitate naturæ fluentem beneuolentiam militiæ concretione vitiarunt. Iniquorum ergò cor coagulatur, iustus autèm humiliatur,Legis præcepta meditando,qui habet humilitatis magisterium. *1.Petr.2.* *Psalm. 118.*

Curuatur qui agit pęnitentiam, eò quod ceruicem suam curuat, dùm humiliatur ad Dominum, & interiorem magìs ceruicem, [*idèst ceruicem*] mentis, & cordis.Nàm de hac ceruice dictũ est:Nèc si flectas,vt circulũ,collum tuum. Qui enìm cor suum non flectit, frustrà ceruicem suam flexerit,[*Quorum mandatorum summa in amore Dei, & Proximi consistit: sic docente Domino Iesu Christo, humilitatis Magistro. Ceruix fortè intellectus est, ceruix cordis voluntas, vtramque animæ potentiam flectere coram Domino debemus, & humiliare illi animas nostras. Vtinam hoc operetur in nobis Deus dilectionis, & pacis, vt possimus dicere: Confortauit seras portarum nostrarum, benedixit filijs nostris in nos. Psalm.* 147.] Docet etiàm Ieremias Propheta humilitatem, hac interpretatione signari:Ait enìm sub hac littera,idèst: Caph in Threnis: *Quià non repellet in æternum Dominus; quià cum* *Ex Ambr.ibidē. Octonar.9. circ. finem.* *Esaia 58.* *Thren.3.*

humiliauerit, miserebitur secundum multitudinem misericordiæ suæ, quià non humiliauit ex toto corde suo, nequè repulit filios hominum. Bonum ergò curuari, vt humiliemur Domino, & Dominus misereatur.

Sanctus Rex Dauid: *Iucunda animam serui tui, quoniàm ad te Domine animam meã leuaui.* Iucunda eam, quià ad te leuaui eam. In terra enìm erat, & in terra amaritudinem sentiebat: nè in amaritudine contabesceret, ne omnẽ tuæ gratię suauitatem amitteret, leuaui ad te, iucunda eam apud te. Solus enìm tu es iucunditas, amaritudine plenus est mudus. Certè rectè admonet membra sua, vt sursùm corda habeant. Audiant ergò, & taceant, leuent ad Cœlum, quod malè est in terra. Ibi enìm non putrescit cor, si leuatur ad Deum. Frumentum si haberes in iinferiotibus, nè putresceret, leuares ad superiora: frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? Frumentum leuares in superiora, cor leua in Cœlum. Et vndè, inquis, possum? Qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? Gradus, affectus sunt, iter tuum, voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo discendis.

Psalm. 85.

Ex August. ibid.

Stans in terra, in Cœlo es, si diligas Deum. (Sìc Ioannes Præcursor Domini, specie homo, gratia Angelus: quià nihil carnis erat in eo, nisi visio sola: corpore tenebatur in carcere, anima autèm in Cœlo.)

Ex Auth. homil. 35 in Matth ho. 27 inter opera Chrysost. tom. 2.

Conuerti itaquè ad Dominum Deum Patrem omnipotentem puro corde, & in quantum potest, paruitas nostra, maximas, atquè veras gratias agamus, precantes toto animo singularem mansuetudinem eius, vt preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: Inimicum quoquè à nostris actibus, & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet

Oratio deuotiis ante conspectũ Domini, crebro fundenda; *Ex August. serm 49. de Temp in fine*

cet fidem, & mentem gubernat, ſpiritales cogitationes concedat,& ad beatitudinem ſuam perducat,per Ieſum Chſiſtum Dominum noſtrum filium ſuum, qui cum eo viuit, & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Charitas fraternitatis vinculum eſt,fundamentum pacis: tenacitas, ac firmitas vnitatis, quæ & ſpe, & fide plena eſt: quæ, & opera, & martyria præcedit: quæ nobiſcum ſempèr æterna apud Deum in regnis cæleſtibus permanebit. Tolle illi patientiam,& ſubſtantiam, & nullis radicibus, ac viribus perſeuerat. Apoſtolus deniquè, cum de charitate loqueretur, tolerantiam, & patientiam iunxit: *Charitas, inquit, magnanima eſt, charitas benigna eſt charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit,omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Oſtendit indè illam perſeuerare tenacitèr poſſe, quod norit, omnia ſuſtinere. Et alio in loco: *Suſtinentes*, inquit,*inuicem in dilectione,ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis:* probauit, nèc vnitatem ſeruari poſſe, nèc pacem, niſi ſe inuicem fratres mutua tolerantia foueant, & ad concordiæ vinculum,patientia intercedente,cuſtodiant.

Ex Cypr. lib. de Bono Patientiæ.

1 *Corinth.* 13

Ibidem.

Nam ſi non tolerat, facilè diſſoluitur.

Epheſ 4.

Aduertere quoquè oportet, quod ſicùt locus eſt corporis,ſpatium corporale:ità locus eſt mentis,vnaquæque intentio cogitationis. Quæ dùm huc,illucq; impellitur, ſi delectatione aliqua cogitationis ſuæ libentèr occupatur,velùt in quodam loco ponitur,vt requieſcat. Nàm in cogitationẽ quotiès,victi tędio à cogitationẽ ducimur:quaſi feſſa mẽte de loco ad locũ intramus. Tot itaquè loca culmen mentis inclinant, quot ſubortæ cogitationes vnitatem bonæ intentionis diſſipant. Recta etenìm mens ſtaret, ſi vni, cui debuerat cogitationi, ſempèr inhæreret. Recta

Ex Greg lib 16. Mor. c. 16 & ſeq.

Locus mentis.

Cauſa inſtabilitatis mentis.

mens staret, si non se innumeris motibus, fluxa mutabilitate, prosterneret. Sed, dùm nunc ista pertractat, nunc ad alia labitur, quasi per locorum multitudinem à statu suæ rectitudinis inclinatur: & dùm per plura se tendit, ab vna, cui adhærere debuit, intentione se deijcit. Qui tamèn mutabilitatis vsus ex primæ præuaricationis vitio, iàm quasi in naturam venit. Nàm cum stare animus in semetipso nititur, à semetipso, aliquo modo etiàm nesciendo deriuatur. Humana namque anima ab vnaquaque re, cui intendituri, fastidio impellente remouetur. Sed, dùm inhians cogitanda appetit, & repentè cogitata fastidit, docet, quod aliundè pendet, quæ quòlibet posita non requiescit. Ad illud quippè suspensa est, à quo formata. Et quià ad Deum solum appetendum facta est, omne autèm, quod infrà appetit, minus est, iure ei non sufficit, quod Deus non est. Hinc est, quod hùc, illùcque spargitur, & ab vnaquaque re, vt diximus, fastidio impellente remouetur. Delectationis igitùr alia, quæ erit, quò pauset: vnum verò non sufficientèr habere poterat, amisit. Vndè nùnc per multa ducitur, vt quià qualitate rerũ non potest, saltèm varietate, satietur. Sancti autèm viri, quià cauta se obseruatione custodiunt, nè ab intentione sua mutabiliter dissoluantur: & quià idem esse appetunt ad cogitationem, qua Deum diligunt, se solerter astringunt. In contemplatione namque Creatoris hoc accepturi sunt, vt vna semper mentis stabilitate perfruantur, nulla eos tunc mutabilitas dissipat: quià scilicet eorum cogitatio sibimetipsis semper indissimilis perseuerat. Hoc ergò cum labore nùnc conantes imitantur, quod post in munere gaudentes accipiunt. Cui se propheta immutabilitati, virtute amoris astrinxerat, cum dicebat: *Vnam pety à Domino hanc*

Origo mutabilitatis.
Nota.
Cur anima remoueatur à re, cui intendit.
Nota.
Cautela Sanct. virorum.
Dilectio Dei firmat animæ cogitatum.
Merces temporalis laboris, æterna est quies
Psalm. 26.

hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. Hinc Paulus, vnitati, intentione adhæserat, dicens: *Vnum autèm, quæ retrò sunt, oblitus, ad ea, quæ ante sunt, extentus, sequor ad palmā supernæ vocationis Christi*, Nàm, si quid in eorum corde humanitùs diffluunt, mòx hoc discussio seuera restringit: & cum quasi pueriliter cogitatio labitur, iuuenili mòx correctioni refrenatur. Vnde fit, vt sparsam mentem contiuuò colligant, & in vna, quantùm præualent cogitatione, componant. Philipp. 3.

Dolendum quippè est, quod frequentèr irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites, animoque voluas: quod cauere difficile est homini, exuere autèm impossibile. Deniquè vot! eam magis esse rem, quàm effectus, testatur propheta, dicendo: *Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiā.* Non enim in potestate nostra est cor nostrum, sed nostrę cogitationes, quæ improuisò offusæ mentem, animumque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu proposueris, ad sęcularia reuocant, mundana inserunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt. Vnde ipso in tempore, quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena, plerumque deijcimur. Quis autem tàm beatus in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio diuino, qui fieri potest? Nullo profectò modo. Deniquè suprà eadem scriptura dicit: *Beatus vir, cuius est ipsi auxilium abs te Domine, ascensus in corde eius*. Beatus planè, quem delectatio non reuocat, quem non inclinat voluptas, qui ad inferiora non respicit.

Ex Amb. lib. de fuga saeculi c. 1, tom. 1.

Nota.

Psalm. 118. Roman. 7.

Psalm. 83.

Ignem quidem Dominus Iesus sparsit in nouo testamento, qui secretos mentium, diuinę ardore cogni- tionis

Ex eodem Amb. in Psalm. 118. Octon. 18. vers. Ignitum,

tionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei, & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Hyeremias: *Et erat ignis flammigerans in ossibus meis*. Hoc sermonum igni cęlestium vaporati Cleophas, & ille alius, qui simùl cum Domino ab Ierusalem vsque ad Castellum confecerant iter, dicebant: *Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis scripturas?* Ignis ergò hic sermo Christi est. Et bonus ignis, qui cacalefacere nouit, & nescit exurere. Hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud aurum probatur. 1. *Corinth*. 3. Hoc igne illud morum, vel operum examinatur argentum; *Psalm*. 11. Hoc igne prętiosi illi lapides illuminantur, fęnum, aurum, & stipula consumitur 1. *Corinth*. 3. Mundat ergò hic ignis animum, consumit errorem. Vnde & Dominus ait: *Iàm vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Hic est ignis, qui ardet ante Dominum. Nisi enim quis flagrantiam deuotionis sumpserit, præsentiam Domini habere non poterit. Accende hunc primum ignem in mentibus suis, vt Christi sibi lumen effulgeat. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo Diuinus, vt corrigat conscientiam peccatis, non exurit, vt perdat. Hic ignis hebetare, hic ignis extinguere materialium sæua flammarum consueuit incendia. Denique Hæbrei hoc igne succensi, fornacis ardentis vaporem, nec timere, nec sentire potuerunt.

[Margin: Hierem. 20. / 2. Corinth. 4. / Ioann. 15. / Luc. 24. / Exod. 3.]

Studeamus, obsecro, & nos diligere Christum. Nihil enim aliud Christus requirit à nobis, quàm vt ipsum diligamus ex toto corde, & faciamus mandata eius.) Iuxtà illud: *Manete in dilectione mea. si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo*

[Margin: Hom. 55. in Gen. ex Chrysostom.]

neo in dilectione eius, Ioan. 15.) Qui enim diligit, ſicut oportet, Deum, manifeſtum, quòd & mandata eius facere nititur. Quando enim quis erga aliquem fraternè afficitur, omnia facere ſtudet, vt dilectum attrahere poſſit in amorem ſuum. Et nos quoque, ſi Dominum fraternè dilexerimus, mandata eius implere, nihilque earum, quæ exacerbare poterunt dilectam, facere ſtudebimus. Hoc fuerit Regnum cœlorum, infinitaque bona, & fructum bonorum aſſequi, ſi germanè, * ſicut oportet, eum dilexerimus, & propter charitatem in eum, & erga cõſeruos multam declarauerimus dilectionem: *In his enim duobus mandatis*, inquit, *Lex, & prophetæ pendent*; nempè, vt diligas Dominum tuum ex toto corde, & proximum tuum, ſicut teipſum. Hæc omniũ virtutum ſumma, hoc fundamentum. Simul enim cum charitate in Deum ingreditur dilectio proximi; Nàm qui Deum diligit, non deſpiciat fratrem: neq; opes diuinis præferet, ſed magnam præſeferet benignitatem. (Memor eius, qui dicit: *Qui fecerit aliquid vni horum minimorum, mihi fecit*,) & cogitantes, quòd propter miniſterium in conſeruum, Deus ipſe ſit, qui ſibi vendicet factum, magna cùm alacritate hoc operabitur, magnumque ſtudium habebit eleemoſynæ: nec ad vtilitatem reſpiciens pauperis qui apparet, ſed ad magnitudinem eius, qui promiſit ſe habiturum perindè, ac ſibi factum eſſet, quæcumque illi facta fuerint:

*Alias ſincerè.

Matth: 22.

Noto.

Matt 25.

Qui tribuit in hilaritate. *Rom.* 12 Et Hilarẽ datorem diligi Deus. 2. *Cor.* 9.

Beatus ille Paulus nos erudiuit, dicens: *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei: qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Vide animam ignitam, vide mentem alatam, vide rationem incenſam Dei amore! Quòd enim, inquit, nunc viuo, in fide viuo. Non enim, inquit, putetis me facere

Galat. 2. *Ex eod. Chryſ. hom* 14. *in Gen.*

cere

cere aliquid huius vitæ causà: Nàm, licèt carne vestitus sim, necessitatibusque carnis alligatus, in fide tamen viuo, quæ in Christum despiciens omnia præsentia, & spe, quæ in illum est, omnia prætercurrens, intentam in Cœlum mentem habeo. Denique, vt discamus excellentiam amòris sui dicit: In fide viuo filij Dei, qui me dilexit, & tradidit semetipsum propter me. Consideremus, quàm eminens gratitudo! Quid dìcis, ò Beate Paule? paulò ante dicebas: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ*, & nunc dicis: *Qui dilexit me:* & vt proprium, vsurpas commune beneficium? Profectò, inquit: nàm licèt pro omni hominũ genere sacrificium oblatum sit, tamen propter amorem in eum, id, quod factum est omnibus, proprium mihi facio. Ita, & prophetis mos est facere, & dicere: *Deus, Deus meus*, quàmuis totius orbis sit dominus. Sed peculiare hoc est amori, vt ex communibus propria faciat. *Filij Dei*, inquit, *qui dilexit*. Quid dicis? Te solum dilexit? Omnem, inquit, hominum naturam dilexit, sed ego ei gratias debeo, quasi me solum dilexissset, & tradidisset semetipsum pro me solo. Quid igitur? Pro te solo crucìfixus est? An non dicit: *Quando exaltatus fuero, traham ad me omnes*. (*Vulgata lectio habet: omnia traham post me: Aliàs: ad me. Vbi Augustinus:* Non autem dixit: omnes, sed, omnia: Non enim omniũ est fides. Non itaque hoc ad vniuersitatem hominũ retulit, sed ad creaturæ integritatem, idest, spiritũ, & animam, & corpus, & illum, quo intelligimus, & illum quo viuimus, & illum quo visibiles, & contractabiles sumus: qui enim dixit: *Capillus capitis vestri non peribit*, omnia trahit post se. Aut, si omnia, ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata

Rom. 8.

Psal. 17. & 117. & 141.

Psal. 23.

Nota.

Ioan. 12.

1. Thessal. 5.

Luca 21.

nata

nata ad salutem, possumus dicere. Ex quibus omnibus, ait, nihil esse periturum, cum supra de suis ouibus loqueretur, &c.) Nonnè tu dixisti, quod pro nobis omnibus tradidit semetipsū? Profectò, inquit, non loquor pugnantia, sed meum amorem, ita solor. Hic sequitur doctrina Chrysostomi.

Id, quod Christus discipulis suis præcipiens, & admonens dicebat, nè solos diligentes diligerent, sed & inimicis charitatē exhiberent. [*Præcipit, vt Dominus: admonet vt magister, Io. 13.*] hoc Isaac multò ante implet, & tāta hospitalitate tractat eos, qui ita oderant: omnemque vindictæ cupiditatem animo suo exclusit. Qua igitur nos venia digni erimus, qui post tantam doctrinam, & Saluatoris præcepta, neque ad huius iusti mensuram peruenire valemus? Et quid dico ad eius mensuram? Neq; propè astare possumus. Tanta enim nunc malitiæ abundantia obduxit omnia, vt rarum nunc sit, & diligentes diligere: Sicut, cum grati sumus hominibus, qui nobis benè fecerunt, clariores reddimur: ita & si in Deum fuerimus grati, nos ipsos illustriores facimus. Quoniam, non vt nostra celebratione opus habens, hoc fieri vult; sed vt quicquid id lucri est, iterum ad nos redeat, & dignos faciamus nos ipsos maioribus subsidijs, quàmuis autem non possimus id facere, vt dignum est: vel quomodo hoc fieri posset, cùm tàm fragiles naturà simus. Et quare dico humanam naturam? Ipse etiam incorporeæ, & inuisibiles Virtutes, & Principatus, & Potestates, & Cherubim, vt dignum est, glorificare illum non possunt, etiamsi iuxta vires suas gloriam illi offerāt. Nihilominus iustum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, & indesinentèr glorificare Dominum nostrum, & per benedictionem crebram, & per vitam optimam. Ista enim est clarissima

Ex eodē Chrys. hom. 52. in Gen.

Matth. 5.

Genes. 27.

Nec Petrū audierat dicentē: Hospitales inuicē sine murmuratione. *1. Petri 4.*

Ex eod. Chrys. hom. 26. in Gen.

Nota

Nota

ma Dei magnificatio, quãdo per innumeras linguas glorificationem offerimus. Nam, qui virtute prædi- tus est, facit, vt omnes, qui intuentur eum, Dominũ suum laudent: & glorificatio hæc ei, qui occasio- nem præbuit, magnam, & ineffabilem Dei miseri- cordiam conciliat. Quid igitur nobis beatius foret, nisi glorificaremus non solum nostris linguis bonũ Deum, sed & proximos quoque, vt nostro nomine eum glorificent, incitaremus? Tantum enim virtu- tis robur est, vt innumeris linguis laudare queat. Dilecte, nihil vtique vitæ virtutis studiosæ compa- rari potest. Vndè & Christus dicebat: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona ope- ra, & glorificent Patrem vestrum, qui est in Cælis.* Vidisti, quomodo lumen, cum apparuerit, dispellit tenebras? Ita & virtus, si conspicua fuerit: & mali- tiam effugat, & erroris tenebras abigit, mentemque viuentium excitat ad eum glorificandum. Quocir- ca satagamus, vt sic luceant opera nostra, quò & Dominus noster glorificetur. [*Magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electio- nem faciatis.* 2. *Petr.* 1.] Laudemus ergo, inuoce- mus, hymnum dicamus Deo nostro, *Sacrificium lau- dis*, ait, *glorificabit me*. Et quid? Maior gloria erit Deo, quia glorificas eum? Aut addimus glo- riam Deo, quando ei dicimus: glorifico te, Deus meus? Aut sanctiorem eum facimus, quando di- cimus, *benedico te, Deus meus*? Ipse, quando nos benedicit, facit nos sanctiores, facit nos fœliciores, quando nos glorificat, facit nos gloriosiores, facit honoratiores, quando eum glorificamus, Glorio- sum dicendo, non faciendo. Sit itaque spes nostra Deus noster: qui fecit omnia, melior est omnibus: qui pulchra fecit, pulchrior est omnibus: qui fortia, for-

Matt. 5.

Ex Aug. in Ps. 39.

Psal. 49.

Psal. 44.

fortior est: qui magna, maior est: quicquid amaueris, ille tibi erit. Disce amare in creatura Creatorē, & in factura factorem, nè teneat te, quòd ab illo factum est, & amittas eum, à quo & ipse factus es. Meritò clamat diuina scriptura, & dicit: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Sed, quamdiù necesse est sustinere? Prorsus, donec misereatur tui. Quęris quādo? *Misereor*, inquit, *super turbam, quia iam triduo sustinent me*: viam enim trium dierum eas, necesse est in deserto, si gratum Deo tuo offerre volueris sacrificium, & triduo sustineas Saluatorem, si miraculi panibus desideras satiari, Prima est dies timoris, dies, inquam, ille clarans, & illuminans tenebras tuas, interiores scilicet, & horrendum gehennæ supplicium demonstrans: in quo sunt tenebræ exteriores; huiuscemodi siquidem cogitatio, sicut ipsi nostis, vestræ solet exercere primordia conuersionis. Secunda est pietatis dies, qua respiramus in luce miserationum Dei. Tertia dies est rationis, qua veritas innotescit, vt tanquam ex debito quodam naturæ sine aliqua contradictione Creatori subiecta sit creatura, seruus seruiat Redemptori. Beati profectò sunt, qui sic diligunt Deum, vt omnia visibilia negligant, & dum in æterna mente tendat, ad omnia temporalia penè insensibiles fiunt. In his nimirùm, vt mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio, & naturali appetitu interficit: sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere, mentem aliàs intentam compellit. Huiusmodi mortuis, & viuis dicebat Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hi proculdubio vitam suam cum Christo abscondunt, quia dùm

Psalm.26.

Marci 8.

Phrasis Psal 17 ibi. Deus meus illumina tenebras meas.

Matth.22

Cant 8.
Ex Greg. ibidē.

Coloss 3.

omnia, quæ videmus, postponunt, in his, quæ nó videmus, beatitudine scilicet, Christi, veraciter, & secretè viuunt. Pulchrè quoque legimus in eodem Epithalamio amoris: Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. In corde enim sunt cogitationes, & in brachio operationes. Super cor ergo, & super brachium sponsæ dilectus, vt signaculum ponitur: quia in sancta anima, quantùm ab ea diligatur, & voluntate, & actione designatur. Signum quippè sancta mens interius, & exterius Christum portat, quia dum in eius meditationibus assiduè laborat, in exteriori actione imitari non cessat, quo eius dilecta esse dubitari non debeat, [1. *Corinth.* 11. *ibi: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*.] De quo signo ipse sponsus discipulis suis aiebat: *In hoc cognoscent omnes, quia verè discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Dilectio est signum, quo cognoscuntur veri Catholici.

Io. 13 34.

De lege amoris, veritatis voce dicitur: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, Ioan.* 15. De hac Paulus ait: *Plenitudo legis est dilectio*. De hac iterum dicit: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Lex etenim Christi, quid congruentiùs intelligi, quàm charitas potest? Quàm tunc verè perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus. Sed hæc eadem lex multiplex dicitur; quia studiosa solicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quæ à duobus quidem præceptis incipit, sed se ad innumera extendit. Huius namque legis initium dilectio Dei est, & proximi. Sed Dei dilectio per tria distinguitur: quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligi Conditor iubetur. Quà in re notandum est, quòd diuinus sermo, cùm Deum diligi præcipit, non solum

Ex Greg. lib. 10 Moral. cap. 5. & 6.

Rom 13.
Galat. 6.

lùm narrat ex quo, ſed etiam informat ex quanto, cùm ſubiungit: Lex tota; vt videlicet qui perfectè Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta deriuatur, cùm & per quemdam iuſtum dicitur: Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per ſemetipſam veritas dicit: *Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Quibus duobus, ſcilicèt vtriuſque teſtamenti mandatis, per vnum malitia compeſcitur, per aliud benignitas prærogatur: vt malum, quòd pati non vult, quiſque non faciat, ceſſet à nocendi opere: & rurſùm bonum, quòd ſibi fieri appetit, impendens, erga vtilitatem ſe proximi exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo, dũ ſolicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum miniſteria tenditur, ne vel ad inferenda, quæ non debet deſiderijs inquieta mens ferueat, vel erga exhibenda quæ debet, otio reſoluta torpeſcat. Nam, cùm cauet alteri facere, quod nequaquã vult ab altero ipſa tolerare, ſolicita ſe intentione circumſpicit, ne ſuperbia eleuet, & vſque ad deſpectum proximi, animum deijciens, exaltat, nè ambitio cogitationem dilaniet: cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, anguſtat, nè cor luxuria polluat, & ſubiectum deſiderijs per illicita corrumpat: nè ira exaſperet, & vſque ad proferendum contumeliã inflammet: nè inuidia mordeat, & alienis fœlicitatibus æmula ſuà ſe face conſumat: nè immoderatè linguã loquacitas pertrahat, eamque vſque ad laſciuiam obtrectationis extendat: nè odium malitia excitet, & hos vſque ad iaculum maledictionis irritet. Rurſum, cùm cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ipſe ſibi fieri ab altero expectat, penſat nimirùm, vt malis bona, & bonis meliora reſpondeat. Vt erga pro-

Nota. Iob. 4. Matth. 7.

caces

caces mansuetudinem longanimitatis exhibeat: vt malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat: vt discordes pace vniat, & concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat: vt indigentibus necessaria tribuat: vt errantibus vitam rectitudinis ostendat: vt afflictos verbo, & compassione mulceat; vt accensos in huius mundi desiderijs increpatione restringat: vt minas potentum ratiocinatione mitiget: vt oppressorum angustias, quanta præualet, ope, leuet: vt foris resistentibus opponat patientiam: vt intus superbientibus exhibeat cùm patientia disciplinam: vt erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenùs à iustitiæ studio non eneruet: sic ad vltionem zelus ferueat, nè tamen pietatis limitem feruendo transcendat: vt ingratos beueficijs ad amorem prouocet: vt gratos quosque ministerijs in amore seruet: vt proximorũ mala, cùm corrigere non valet, taceat: vsque cùm corrigi loquendo possint, silentium, consensum esse pertimescat, vt sic ea, quæ tacet, toleret, nec tamen in animo virus doloris occultet: vt sic maleuolis munus benignitatis exhibeat, nè tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat, vt cuncta proximis, quæ præualet, impendat, sed hæç impendendo non tumeat: vt sic in bonis, quæ exhibet, tumoris præcipitium paucat, nè tamen ab omni exercitio torpescat, vt sic quæ possidet, tribuat: quatenùs, quanta sit largitas remunerantis, attendat, nè cum terrena largitur, suam plusquàm necesset est, inopiam pertimescat, & in oblatione muneris, hilaritatis lumen tristitia obscuret.

Regnum Christi, regnum decoris, & luminis, denique regnum est dilectionis, iuxtà illud: *Eripuit* Coloss. 1. *nos Deus de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum*

gnum filij dilectionis suæ. Vndè idem Beatus Apostolus Paulus adhortans, & docens nos, vt quicũq; illuminati sumus Christi lumine, tenebras nocturnę conuersationis effugiamus, & in factis, & in operibus luminis ambulemus: *Nox*, inquit, *præcessit, dies aduènit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die decenter, & honestè ambulemus, non in commessationibus, neq; ebrietatibus, neque cubilibus, & lasciuijs, non in rixa, & zelo*. Si autem discesserunt à pectore tuo tenebræ, & nox indè expulsa est: si illustrauit sensum tuum splendor diei, & homo lucis esse cœpisti, quæ bona sunt, Iesu Christo gratias age, quia lux, & dies Christus est. Quj autem dicit, se in lumine esse, & fratrem suum odit, in tenebris ambulat, ipso scelere cæcatus. Vadit enim nesciens in gehennam ignis, & præceps fertur ad pœnam, separatus à lumine Christi dicentis: Ego sum lux mundi huius, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Sequitur autem Christum, qui insistit mandatis eius, qui per diem doctrinæ eius ambulat, qui per vestigia, & per vias eius currit, qui imitatur illa, quæ Christus fecit, & docuit: sicut & Petrus Apostolus suadet, & præcipit, dicens: Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vias eius, in vestigijs eius ambulemus.

Ex Chrysost. homil. 7. col. pen. tom. 5 Qua est, de eruditione disciplina, &c.

Roman. 13.

Ioan. 8,

Et alibi: Splendor eius, vt lux erit, &c.

Abacuch, 3.

Nota Sequi Christũ, quid.

Denique, ait homo, qui inuentus est secundum cor Dei: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti*, (seù, vt alij legunt) *cum dilataris cor meum*: Neque enim poterat viam currere, si cor eius coarctaretur angustijs. Currentibus viam Domini, ait Apostolus: *Dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cùm infidelibus*: Et de se ait: *Os nostrum patet ad vos, ò Corinthij, & cor nostrum dilatatum*

Psalm 118.
Ex Ambr. Ibid. Octonar. 4 in fine.

2. Corinth. 6. Ibidem.

tatum est: Ideò & de Salomone dicitur: *Latitudo cordis eius, sicut arena maris*. Et vide distan-
„ tiam! via sit angustior, cor latius, vt Patris, & Fi-
„ lij, & Spiritus sancti sustineat mansionem: vt ve-
„ niat Verbum Dei, & pulset, & videns cordis eius
„ angustias, dedignetur habitare. Denique sapientia in exitu canitur: In plateis autem cum fiducia agit: Plateæ latæ sunt. Non igitur in vijs, sed in cordis latitudine sapientia decantatur.

3 Reg. 4: Ibi enim constringuntur fluctus, Ioan 14. Apocal. 3. Proverb.

In hoc igitur campo interioris hominis, non in angustijs mentis currendum nobis est, vt comprehendamus. Scriptum est enim: *Sic currite, vt cōprehendatis*. Denique comprehendit, qui ità cucurrit, vt diceret: *Cursum consummaui*. Quemadmodum enim id, quod calorem affert, dilatare solet, ità etiàm charitatis munus est, dilatare; Calida quippè, & feruens est virtus. Hæc os quoque Pauli aperiebat, & cor dilatauit. Neque enim solo ore amicus sum, sed habeo etiam consonum cor. Propter hoc cùm fiducia loquor toto ore, totaque mente. Nihil enim latius corde Pauli. Diligamus & nos Dominum Deum nostrum sincerissimis medullis, castisq; suspirijs, ipsi adhæreamus, quo iucūdius nil inuēiri potest, quo salubrius, quo melius, quo diuturnius: quid .n. tàm diuturnū, quàm quòd est æternū?

1. Corinth. 9. 2. Timoth. 4. Homil. 13. in secundam ad Corinth. tom. 4. ex Chrysost.

Et si quando aliquid patimur proptèr Christum, non solùm generosè feramus: sed & gaudeamus. Diligamus nos inuicem, tanquàm & eadem dilectione diligentem nos Deum, dilecturi: [*Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, &c. 1. Ioan. 4.*] Apud homines quidem si eum, quem aliquis alius diligit, dilexerit, repugnabit illius amator; hìc verò dignatur te Deus amoris sui communione, ac non communicantem odit. Humanus quidem amor zelo, & inuidia plenus est. Diuinus

Ex eod. Chrys. ibid. hom. 12. in Morali.

Ex eod. Homil. 23. in epist. ad Rom. in morali.

uinus verò ab omni huiuſmodi affectus morbo liber eſt; propterea & quærit, qui ſecum in amore communicant. Dilige, ſiquidem inquit, mecum, atq; tùm potiſſimum te magis diligam, & ego. Vides verba vehementis amoris? Si dilectos meos dilexeris, arbitrabor, & meipſum plurimùm abs te diligi. Vehementer quippè ſalutem noſtram deſiderat, atq; hoc ab initio declarauit; Cùm enim hominem formaturus eſſet, audi quid dixerit: *Faciamus hominē*, inquit, *ad imaginem noſtram*; & iterùm: *faciamus ei adiutoriùm: Neque enim bonum eſt, eum eſſe ſolùm.* Deindè cùm tranſgreſſum increparet, vide quàm manſuetè: Non enim illi dicebat: ſceleſte, cùm tanta beneficia per me receperis, poſt illa omnia fidem habuiſti diabolo, benefactoremque tuum relinquens, attendiſti malo dæmoni? Sed quid dicebat? Quis tibi dixit, quòd nudus ſis, niſi quòd de ligno, de quo ſolo, nè comederes, tibi præceperā, comediſti? Quemadmodum ſi pater cùm filiolo, nè machæram contingeret, præcepiſſet, deindè, cùm non obediuiſſet, vulneratuſque iàm eſſet, diceret, vndè vulneratus es: hinc ſcilicèt, quòd me non audiſti? Agnoſcis verba plus amici, quàm domini, amici, inquam, contempti quidem: neque ſic tamen ab amore ceſſantis? Imitemur ergo illum, & nos, & ſi quando delinquentem increpauerimus, eandem ſeruemus manſuetudinem.

Gen. 1.

Ibidem.

Apoſtolus dicit: *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Ad aciem quippè nos dies, & ad pugnam vocat. Pugnam verò audiens, & arma, non eſt quòd timeas. In armatura quidem ſenſibili durum eſt, & exoſum armari: hic verò iucundum, & dignum, quòd expetatur etiam. Lucis quippè ſunt arma, vndè & radijs ſolaribus illuſtrio-

Roman. 13.

Ex Chryſ. ibidem hom. 24

rem te faciunt, multum emittentia fulgorem, atque in tuto etiam optimè munitum constituunt, arma siquidem sunt, deindè & splendidum faciunt sunt enim arma lucis. Quid igitur? An non est necesse, vt preliaris? Necesse quidem vt prelieris, non tamen vt fatigeris, aut laboris molestiam subeas, neque enim bellum hoc est, sed chorea, & panegyris. Talis est videlicèt armorum istorum natura, talis Ducis huius potestas, ideò sequitur Apostolus dicens: Induimini Dominum nostrum Iesum Christum. Hunc enim indutus omnem simul in vniuersum virtutem habet. Quando verò dicit: induamini, vndique nos illa circumdari iubet, quemadmodum & alibi dicit: *Sit verò Christus in nobis*: Et iterùm: *In interiore nostro homine habitare Christum*. Vult enim animam nostram illi donum esse, illoque nos veluti vestimento circumdari, vt is omnia nobis sit, siuè interna, siuè externa respicias. Est enim plenitudo omnia in omnibus adimplentis. Est vir, est sponsus: *Despondi enim*, inquit, *vos vni viro virginem castam*: Est radix, potus, cibus, & vita. Viuo enim, inquit, non iàm ego: sed viuit in me Christus. Est Apostolus, summus sacerdos, præceptor, pater, frater, cohæres, & sepultura nobiscũ, & Cruce communicans: Consepulti siquidem, inquit, illi simus, & institij facti simul cùm illo per similitudinem mortis eius. Est etiam supplex nobis factus: *Pro Christo enim legatione*, inquit, *fungimur, tanquàm Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliamini Deo*. Et ad Patrem aduocatus noster est, *Etenim interpellat*, inquit, *pro nobis*. Domus etiàm, simul & hospes: *Ille enim*, inquit, *in me manet, & ego in illo*. Et amicus: *Vos siquidem*, inquit, *amici mei estis*. *Et fundamentum est*,

Nota.

Nota.

Roman 8.

2. Cor 11.

2. Cor. 5.

Sup. 8.

Ioan 8.

Ibidem.

est, & lapis angularis, & nos ipsius sumus, & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites, & cooperarij. 1. Corinth. 3. Ephes. 2.
Quid enim nobis esse non vult omnibus modis, nos sibi conglutinans, & coniungens? Id, quod vehementèr amantis est.

Charitas est, non in solis verbis, nec penitùs in salutationibus, sed cura, & in ipsis rebus officium; puta paupertatem tollere, ægrotantibus subuenire, eruere periculis, in necessitatibus assistere, flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus: nàm, & hoc charitatis est. Et quàmuis parum esse videatur, gaudentibus gratulari, tamèn valdè magnum est, & exercitatæ mentis opus habens. Multos quidem inueniemus, quod acerbius quidem est, præstãtes, ad hoc autem infirmos. Nàm multi flent quidem cum flentibus, cum gaudentibus autem non etiàm gaudent: sed gaudentibus alijs ipsi lugent, quod est liuor, & inuidia. Ex eod. hom. 53. ad Popul.

Diaboli inuidia mors intrauit in Orbem terrarum, inuidus Cain ex maligo iusti fratris sui Abel patrauit homicidium. Omnibus itaquè viribus ab animis nostris eliminemus inuidiam. Perniciosissima enim est omnium affectionum, nostramque salutem corrumpit, vtpotè Diaboli inuentum. Idcireò, & sapiens quidam dicebat: Inuidia autem Diaboli mors intrauit in mundum. Postquàm enim vidit improba bestia factum immortalem protoplastum, per propriam nequitiam eum in mandati prçuaricationem induxit, & per eam fecit, vt mortis pçnam attraheret. Itaquè inuidia deceptionem fecit, obedientiam deceptio, mortem inobedientia; propter eà ergò dicit: *Inuidia Diaboli intrauit in Mundum.* Vidisti, quanta sit vitij pernicies, immortalitate decoratum morti subiecit. Sed nostræ quidem salutis inimicus propriam Sap. 2. Ex Chrys. hom. 46. in Genes. & 43. ad Popul. Stipendia enim peccati mors. Roman. 6. Sap. 2. Nota.

mouens inuidiam, immortalem protoplastum morte fecit damnari. Creator autem, & misericors Dominus per propriam mortem rursùm nobis immortalitatem donauit: & his, quæ perdidimus, inuenimus maiora. De paradiso proiecit, & in Cœlum nos reduxit: nè morti dãnaremur, effecit, & immortalitatem nobis largitus est: paradisi priuauit delitijs, & nobis regnum parauit Cœlorum. Vides industriam Domini tui, & quomodò à Diaboli inuidia contra nostram facta salutem, in ipsius rursùm caput conuertit? [*Iuxta illud: Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet, Psalm.* 7.] Non enim tantùm nos maioribus dignos effecit, sed & eundem illum nobis subditum dedit, cum dixit: Dedi vobis potestatem ambulandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. Hæc igitur omnia cogitantes, & inuidiam ex nostris exterminemus animis, & à Deo beneuolentiam allicere studeamus. Hoc enim scutum est nostrum inexpugnabile, hæ maximæ nobis diuitiæ.

Luc. 10. *Et in Psalm* 9. supra aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonẽ, & draconem.

Quæ autem causa inimicitiarum, nisi inuidia? sicut Palamon ait: *Quià inuidia Diaboli mors intrauit in Orbem terrarum.* Inuidiæ autem causa, beatitudo hominis in Paradiso positi. Et ideò, quoniàm ipse Diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, inuidit homini, eòquod figuratus è limo, incola Paradisi esset electus. [*Diabolus verus inimicus est generis humani. Inimicus seminauit zizania, Diabolus est, Matth.* 13. *Et paulò ante interrogatus, vndè haberet illa bonum semen iactatum in agro; respondit Dominus: Inimicus homo hoc fecit.*] Considerabat enim Diabolus, quod ipse, qui fuerat superioris naturæ, in hæc sæcularia, & mundana ceciderat, homo autem inferioris naturæ, sperabat æterna. Hoc est ergò

Ex Ambr lib. de Paradis. cap. 12.

Genes. 2.

Ezech. 18.

ergò, quod inuidet, dicens: Iſte inferior adipiſcetur, quod ego ſeruare non potui? Iſte de terris migrabit ad Cœlum, cum ego de Cœlo lapſus in terram ſim?

Amemus ergò Dominum Ieſum Chriſtum, in quo eſt æterna benedictio, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum amoris ſui. Nè quęſo obliuiſcamur ſaluifactorem noſtrum, Redemptorem noſtrum, veritatem noſtram, viam noſtram, Dominum noſtrum, qui eſt Saluator, via, veritas, & vita: qui ſe obtulit, vt nos non captiui remaneremus. Qui libertatem donauit nobis, qui cor illuminauit toto ſæculo. [*Secundum illud: Deus meus illumina tenebras meas. Et: Deus illuminat vultum ſuum ſuper nos:*] Quid pro ijs omnibus retribuemus ei? Quæ ſunt compenſationes operum noſtrorum? Quis laudet, quis definiat tantam potentiam, tantam magnificentiam, tantam virtutem, niſi quod debemus agnoſcere nos, qui ex nihilo fecit nos? Peccauimus inobedientia Patris noſtri protoplaſti, & regenerati ſumus in illo, qui venit de ſinu Patris reconciliare nos ei, à quo eramus longè, vt faceret nos propè.

Ex Chryſoſt. in Pſalm. 24.

Ioann. 14.

Pſalm. 115.

Qui eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. *Eph. 2.*

Nolite obliuiſci tanta bona Muneratoris Dei. Sæpè & pigras mentes amor ad opus excitat, & inquietas in contemplatione timor refrenat. Anchora enim cordis eſt pondus timoris, & plerumque fluctu cogitationum quatitur, ſed per diſciplinæ ſuæ vincula retinetur, neque hoc tempeſtas ſuæ inquietudinis ad naufragium pertrahit, quià in Diuini amoris littore perfecta charitas aſtringit. Vndè neceſſe eſt, vt quiſquis ad contemplationis ſtudia properet, ſemetipſum priùs ſubtilitèr interroget, quantùm amet. Machina quippè mentis eſt vis amoris, quæ hanc, dùm à Mundo extrahit, in alta ſuſtollit. Priùs ergò diſcutiat, ſi ſumma inquirens, diligit, ſi diligens timet, ſi

Ex Greg. lib. 6. Moral. cap. 27.

Nota.

ſi nouit incognita, aut amando comprehendere, aut non comprehenſa timendo venerari. In contemplatione etenim mentem, ſi amor non excitat, teporis ſui torpor obſcurat: ſi timor non aggrauat, ſenſus hanc per inania ad nebulam erroris leuat: & cum clauſa ei ſecretorum ianua tardiùs aperitur, ab ea longiùs ipſa ſua præſumptione repellitur: quià irrũpere appetit hoc, quod non inueniens quęrit: cumq; ſuperba mens errorem pro veritate percipit, quò quaſi intùs greſſum porrigit, foràs tendit. Hinc eſt enim, quod legem daturus Dominus in igne, fumoq; deſcendit, quià & humiles per charitatem ſuæ oſtenſionis illumınat, & ſuperborum oculos per caliginem erroris obſcurat. Priùs igitùr mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiſcentiæ delectatione tergenda eſt, & tunc ad arcem contemplationis erigenda. Vnde & cum lex accipitur, Populus à monte prohibetur, vt videlicèt quò infirmis adhùc mentibus terrena deſiderans, conſiderare ſublimia non præſumat. Magnus ille Apoſtolus, qui dilectionis Domini Ieſu coràm accipere meruit, in reuelationibus ſuis: Accepit, inquit, Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne Altaris, & miſit in in terram. Et paulò ante: Aſcendit fumus aromatum de orationibus Sanctorum, &c. Per ignem Spiritus ſanctus deſignatur: Angelus itaque, ideſt, Chriſtus, thuribulum, ideſt corda Diſcipulorum, de igne Altaris, ideſt, de Spiritu Sancto impleuit, quandò poſt Aſcenſionem ſuam in Cœlum, decima die Spiritu ſancto miſſo de Cœlo, corda Diſcipulorum impleuit Spiritu ſancto miſſo de Cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere: ac ſcientiam omnium linguarum dedit. Nimirum itaquè ſi igne Spiritus ſancti repletis Apoſtolis dicitur à Domino Redemptore:

Exod. 19.

Nota.

Act. 1.

ptore: Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in filio: sine hoc igne iacet oratio, nèc eleuatur. Ex hoc igne odor exit, de quo dicitur: Odoratus est Dominus odorem suauitatis: Et; Quasi mirrha electa dedi suauitatem odoris: Iterum: Odor vestimentorũ tuorum, sicut odor thuris.

Nihil profectò quicquam est, quod non vincat amor: cum autem & Dei amor extiterit, tùm demùm omnia infrà se posita habet: quo quidem amore quisquis incensus fuerit, huic certè nequè morbus, ac non ipsa quidẽ mors, aut quoduis aliud id genus, graue, molestumque videbitur. Quin is potiùs omnia ea deridens, Cœlum versùs volitabit, nihilosecius affectus, animatusque, quàm animati sunt, qui inibi vitam transeunt: oculos non aliò intendens, nõ Cœlum, non terram, non mare contuens, sed ita animo compositus, vt ipsius oculis Diuinæ illius gloriæ pulchritudo vna obseruetur: quem, neque vitæ pręsentis incommoda deprimere, neque blanda, ac voluptatẽ in se habẽtia attollere, inflareuè poterũt. Huic igitur amori adhæreamus (neq; enim quicquam est, quod cum hoc conferri possit,) cũ ob præsẽtia, tũ ob futura, atquè adeò, vel in primis ob ipsam amoris naturam. Per eum enim amorem à supplicijs vitæ, tùm præsentis, tùm futuræ liberabimur, ac tandem Cœlorum regno potiemur. Immò verò neque à gehenna liberatio, neque Cęlorum Regni assecutio quicquam esse debet prę eò, quod dicturus sum. Omnium enim horum maximum, si Christum vnà, & abs te amatum, & tui amantem nactus fueris. Nam, si hoc inter homines dùm contingit, nullam non voluptatem exuperat: cum in ipso Deo amando hæc vtraque euenerit: quæ tandem oratio, quæ immò cogitatio animæ

Ex Chrys hom. 9. in Epist. ad Roman. in mor.

Cogitatus subtilis, atquè deuotus.

sic

Mutuatus amor inter Deum, & hominem, inexplicabilem habet fęlicitatem.

sic affectæ fęlicitatem repræsentare poterit? Certè nec oratione, nec cogitatione vlla, sed ipso solùm periculo facto, quàm dico fęlicitatem comprehendere potes. Pulchrè quidem sanctus Rex, & Propheta Dauid: *Tibi dixit cor meum*, inquit, *quæsiui vultum tuū: vultum tuum, Domine, requiram: nè auertas faciē tuam à me. Nè declines in ira à seruo tuo.*

Psalm. 26.

Ex August. ibid.

Magnificè nihil dici diuiniùs potest. Sentiunt hoc, qui verè amant. Alius vellet beatus, & immortalis esse in his, quas diligit terrenarum concupiscentiarū voluptatibus: & fortè propterea Deum coleret, & adoraret, vt diù hic viueret in delitijs suis, & non ab eo aliquid periret, quod terrena possidet cupiditas, nec aurum, & argentum, nec si quid prædiorum oblectaret oculos eius: nec amici morerentur, nec filij, nec coniux, nec clientes, in delitijs vellet semper viuere. Sed, quià non potest semper, nouit enim se mortalem, & fortè ad hoc colit Deum, & ad hoc orat Deum, & ad hoc gemit Deo, vt ista illi omnia vsque in finem suppetant. Et si diceret ei Deus: ecce facio te in his immortalem: pro magno bono acciperet, & exultatione gaudiorum gratulatus, non se caperet. Non vult hoc iste, qui vnā petijt à Domino: sed quid vult? contemplari delectationem Domini per omnes dies vitæ suæ.

Ex Greg lib. 3. in 1. Regum cap. 3. tom. 2. fol. 275.

Samuel à Domino ter vocatur, ter iterùm ab Heli dormire præcipitur. Quid est hoc, nisi quià tres gradus dilectionis esse, ipsa veritate docente, didicimus? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Sed quid in corde accipimus, nisi consilium? Quid autem in mente, nisi voluntatem? Quid verò in virtute, nisi amoris affectio designatur? Sed & per consiliū, quid aliud, quàm veritatis certitudinem inuestigamus? Et

per

per voluntatem quid diligentes, nisi bona valdè concupiscimus? Per affectionem quid, nisi veri gaudij perfruitionem quærimus? Per gratias namque dilectionis ad summa sustollimur, cum cordis nostri consilio veritas reuelatur, & voluntati mentis bonitas vera conceditur, atque affectioni virtutis nostræ per infusionem Diuinæ gratiæ, spiritale, & verum gaudium datur.

Amor castus in se esse debet, quo amore desideres videre non Cœlum, & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, nõ fulgores, nitoresque gemmarum, sed desideres videre Deum tuum, amare Deum tuum. Quià dictum est: *Dilectissimi, filij Dei sumus, & nondùm apparuit quid erimus: scimus, quod cum apparuerit, similes ei erimus, quoniàm videbimus eum sicuti est*. Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam visionem noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum in hac peregrinatione, ad illum toto amore suspira, illum desidera. Si in cordibus nostris aliqua inuenitur scintilla gratuiti amoris Dei, ipsam nutriamus. Ad hanc augendam nos aduocemus prece humilitatis, dolore pœnitentiæ, delectatione iustitię, operibus bonis, gemitibus sinceris, conuersatione laudabili, amicitia fideli. Hanc scintillam boni amoris Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Luc. 13. Afflemus in nobis, nutriamus in nobis, ipsa cum creuerit, & flammam dignissimam fecerit, omnium cupiditatum carnaliũ ligna consumet.

Ex Aug. hom. 9. & 50. tom. 10.

1. Ioann. 3.

Sicut ignis, aura flante fit grandior, ità scintilla amoris Dei crescit in flammã, si Spiritus amoris, tanquàm ventus vehemẽs aduenerit.

Nota.

Verè pius Deus, verè Saluator, qui in tantùm dilexerit opus suum, qui in tantum reputauerit seruum suum, idest humanum genus vniuersum, vt culpam eius suo verbere expiaret, vulnera eius suo liuore sanaret.

Ex eod. Aug. ser. 122. de tempor.

ſanaret. Denique ille peccat, hic vapulat, ille præuaricatur; iſte crucifigitur, Quis hoc exiſtimet, & quis hoc cogitet? Quis compenſet Dominum pro ſeruis mori dignatum? Et hoc pro quibus? Pro ſceleratis, pro impijs. Quid tibi, Domine, retribuat opus tuũ bonum à te factum, propria voluntate per-
,, uerſum, ſed tua miſeratione reparatum? Volens
,, ſubuenire terræ, ſed excedere volens modum
,, iuſtitiæ, mortalem morte tua redimere cogitabas, ſed vnde mori poſſes ex te, nihilominùs nõ habebas. Tu omnipotens, ego egens: Tu immortalis, ego
,, mortalis. Accepiſti ex me egeſtatem pulueris,
,, ſumpſiſti de me mortẽ carnis, fudiſti pro me pre-
,, tium redemptionis. O pretium perditorum!
,, *Dicant nùnc, qui redempti ſunt à Domino, quos liberauit de manu hoſtis; confitemini Domino, quoniàm bonus, quoniàm in ſæculum miſericordia eius*: Dicat ei terra redempta, terra irrigata, redempta ſanguine, irrigata baptiſmate: Magna iniquitas mea, ſed maior eſt redemptio tua. [*Pretio empti eſtis, 1. Corinth. 7. & licèt ſuperiùs dixerat, pretio magno, Ibidem 6. quàm magnum non dicit, hoc enim nemo ſcit. Quis namque metiri, quod ſine menſione eſt, vnquam poterit? ac definire, quod definiri non poteſt?*]

Roman. 5. Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, &c. Et Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit, &c.

Pſalm. 106. Pſalm. 117. & alibi ſupra.

Audiat ergò vocem Domini mei, humani generis Aduerſarius, & nihil iam ſibi applaudat elatus, quià pro totius mundi facinore in Cruce pependit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. *Nunc*, inquit, *iudicium eſt mundi, nùnc Princeps huius mundi mittetur foras. Et ego cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum.* Eſt amor vtilis, eſt amor noxius, amor amore impeditur: amor noxius recedat, & amor vtilis ſuccedat. Sed, quià homines nolunt illinc recedere, ideò in illos non poteſt aliàs introire: pleni ſunt, fundant, &

Matth. 17.

Ioann. 12.

Ex eod. Auguſt. hom. 37. ex 50.

capiant

capiant. Pleni enim ſunt amore voluptatum carnalium, pleni ſunt amore vitę pręſentis, pleni ſunt amore auri, & argenti, poſſeſſione ſæculi huius. Quià ergò pleni ſunt, ſic ſunt quomodò vaſa. Vis vt intret mel, vnde acetum nondùm fudiſti? Funde quod habes, vt capias, quod non habes. Ideò prima renunciatio eſt huic ſęculo, & deindè conuerſio ad Deum. Qui renunciat, fundit, qui conuertitur, impletur, ſed ſi non fiat corpore ſolo, ſed & corde. Quæritur autē, fratres, quomodò creſcat iſte amor? Habet enim initia ſua, habet augumenta ſua, habet perfectionem ſuam. Et debemus noſſe qui cæperit, vt cum augmento cohortemur: quiſnè cæperit, vt cum quo, incipiat moneamus: quis & cæperit, & creuerit, vt eum ad perfectionem incitemus. Primò illud attendat charitas veſtra, & amores omnes, & dilectiones priùs ſunt in hominibus de ſe, & ſic de alia re, quam diligunt: ſi diligis aurum, priùs te diligis, & ſic aurum, quià ſi tu mortuus fueris, nullus erit, qui aurū poſſideat. Ergò dilectio vnicuique à ſe incipit, & non poteſt, niſi à ſe incipere, & nemo monetur, vt ſe diligat. Hoc enim non ſolùm ineſt hominibus, ſed & pecoribus: Videtis enim fratres, queadmodum non tantùm ingentes beſtiæ, & magna animalia, vt ſunt boues, aut cameli, vel elephanti, ſed & muſcæ, ſed & vermiculi minimi quomodò nolunt mori, & diligunt ſe: Omnia animalia mortem fugiunt. Ergò diligunt ſe, cuſtodire ſe volunt; alia velocitate, alia latebris, alia reſiſtendo, repugnando. Omnia tamen animalia pro vita ſua pugnant, mori nolunt, cuſtodidire ſe volunt. Amant ergò ſe. Incipit, & aliud amari. Sed quod eſt ipſum aliud? Quicquid amaueris, aut hoc eſt, quod, aut inferius te eſt, aut ſuperiùs te eſt: Si inferiùs te eſt, quod amas, ad conſolandum

ama, ad tractandum ama, ad vtendum ama, non ad illigandum. Verbi gratia, aurum amas, noli te illigare auro, quantò melior es, quàm aurũ: Aurum enim terra est fulgẽs, tu autẽ, vt illuminareris à Domino, ad imaginem Dei factus es. Cum sit aurũ creatura Dei, non tamen fecit Deus aurũ ad imaginẽ suam, sed te. Ergò posuit sub te aurum. Amor ergò iste cotẽnendus est. Ad vsum assumẽda sunt ista, non eis vinculo amoris, quasi glutino, hærendum est. Non facias tibi membra, quæ cum cæperint præcidi, dolebis, atque cruciaberis. Quid ergò? Assurge ab isto amore, quo amas inferiora, quàm tu es, incipe amare paria, idest, quod tu es. Sed quid multis opus est? Si volueris, benè poteris. Quod ordine autem verum honorem, & verã charitatẽ habere possimus, ipse Dominus dixit nobis in Euangelio, euidentèr ostendẽs, sic enim

Math. 22. ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis: & proximum tuum, sicut teipsum*. Primùm ergò dilige Deum, deindè teipsum, post hæc dilige Proximũ tuum, sicut teipsum. Priùs tamen disce amare teipsum, sic dilige Proximum tuum, sicut teipsum. Nam teipsum non nosti amare, quomodò Proximum poteris in veritate diligere? Putant enim nonnulli homines legitimo ordine se amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini seruiunt, quando per diuersas calumnias iniusta lucra conquirunt. Isti tales audiant scriqturam dicentem: Qui diligit

Psalm 10. iniquitatem, odit animam suam; si ergò amando iniquitatem, teipsum non solùm non diligis, sed etiam

Matth. 5. odio habes: quomodò autem Deum, & Proximum diligere poteris? Si ergò vis veræ charitatis ordinem custodire, fac iustitiam, & dilige misericordiam, fuge luxuriam, incipe secundum præceptum Domi-

ni,

ni, non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere: Et hæc, cum fidelitèr custodire toto corde contenderis, istis virtutibus, quibusdam gradibus, poteris ascendere, vt merearis Deum toto animo, & tota virtute diligere. Et cum ad istam fęlicem perfectionem veneris, omnes concupiscentias istius mundi, tanquã stercora computabis: Et cum Propheta poteris dicere: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est*. *Psalm. 72.*

In Psalmis dictum à Propheta Rege legimus: *Psalm. 83.* *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. *Ex eod. August. hom. 33. tom. 10* Exultauit, inquit, sed in Deum viuum, hoc est, non exultauit in hoc mũdo, nec exultauit in aliqubus oblectamentis, quæ mundi sunt, idest, non in diuitijs, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in vanitatibus mortuis, & citò cum omni suo amore morituris, sed in Deum viuum. Quare non dixit in Deũ tantùm, sed addidit: in Deum viuum? Vt ostenderet, scilicèt, quià totum, quod non pertinet ad Dei *Nota.* cultum, deberemus habere quasi mortuum. Simulq; considerare, vtile est, huius dicti subtilitatem sermonis sacri! Cor meum, inquit, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Nunquid non suffecerat dicere, cor meum exultauit in Deum viuum, nisi addidisset: & caro mea? Videamus ergò, quomodò in Deum, & cor simul, & caro hominis exultat. Quomodò, nisi vt homo, & carne, & corde Deo seruiat. Cor enim exultat in Deum, quando honesta, & sancta cogitat, quando religiosa opera, & Deo placita concupiscit. Caro autem exultet, quando pudica est, quando sobria, quando nulla impuritate polluitur, quando nullis immundis actibus sordidatur. Videte enim è diuerso, & agnoscite, quàm vera sint, quę dico, si viderit aliquis vestrum hominem iniusta dicentẽ, nunquid dicere potest, quod cor illius exul-

tet

tet in Deum? Aut si quis alium viderit ebriosum, impudicum, fornicatorem, nunquid dicere potest, quod caro eius exultet in Deum viuum? Nulla enim caro exultat in Deum, quæ viuit in vitio. Ideò ergò Propheta dicebat: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Quià & corde retinebat plenam Religionis fidem, & carne seruabat deuotam corporis sanctitatem.

Ex August. in Manual. cap. 18

Anima, insignis Dei imagine, illustris similitudine, habet in sese ex Deo, quo admoneatur semper, aut stare cum eo, aut redire, si mota suis affectibus, immò defectibus fuerit. Et non solùm habet, vnde respirare queat in spe veniæ, & misericordiæ, sed etiàm vnde audeat aspirare ad nuptias Verbi, & cum Deo inire fœdus societatis, atquè cum Rege Angelorum ducere iugum suaue amoris. Hæc omnia facit amor, si anima exhibeat se similem Deo per voluntatem, cui similis est per naturam; diligens, sicut dilecta est. Solus enim est amor ex omnibus animæ moribus, sensibus, atquè affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo respondere auctori, vel sibi mutuã rependere vicem. Amor vbi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captiuat affectus. Amor per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse prçmium, ipse causa, ipse fructus, ipse vsus: per amorem coniungimur Deo. Amor facit vnum spiritum de duobus, amor facit idem velle, & idẽ nolle. Amor facit priùs mores componere, postmodùm omnia, quæ adsunt, tanquàm non adsint, considerare. Tertio verò loco munda cordis acie superna, & interna conspicere. Per amorem primùm in sæculo benè geruntur honesta, postmodùm etiàm honesta sæculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur.

In

In Euangelijs legimus dictum à Domino Saluatore: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Duplicitèr autèm est videre Deum, & in hoc sæculo, & in illo. In hoc quidem sæculo, secūdum quòd scriptum est: Qui videt me, videt & Patrem meum. Mundo enim corde sunt, qui uon solùm non faciunt malum, nec cogitant: sed adhuc etiàm qui omne bonum & faciunt semper, & cogitant. Quià est interdum facere bonum, & non cogitare, qui non proptèr Deum faciunt bonum, & tale bonum non remunerat Deus: quia non remuneratur à Deo bonum, quod fit, sed id, quod benè fit. Qui autem proptèr Deum facit bonum, sinè dubio, & cogitat bonum. Qui ergò omnem iustitiam facit, & cogitat mente sua, Deum videt, quoniam iustitia figura Dei est: Deus enim iustitia est. Secundùm ergò quòd eripuerit se quis à malis, & fecerit bona: Secundum illud, & Deum videt, aut turbulentè, aut mundè, aut modicè, aut amplius, aut ex parte, aut perfectè, aut interdùm, aut semper, aùt secundum possibilitatem humanam. Hoc ipso, & qui malè agit, & cogitat, diabolum videt: quia omne malū diaboli est figura. In sæculo autem illo, hoc modo mundi corde Deum videbunt faciè ad faciem, iam non per speculum in ænigmate sicut hic.

Marci 5.
Ex Auctore operis imperfecti in Matth. Hom. 9

Remuneratione simpliciter, ac principaliter sumpta.

1. *Corinth.* 13.

Sicut oculis ista corpora, sic Deus mentè conspicitur, corde attenditur, & videtur. Et vbi est cor, vndè ille videatur? *Beati*, ait, *mundi corde, quoniā ipsi Deum videbunt*. Audio, credo, vt possum, intelligo corde videri Deum, nec posse nisi mundo corde conspici: sed audio aliam scripturam; *Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Attendi ergò vniuersam creaturam, quantùm potui, corporalem animaduerti

Ex Aug. Enarrat. in Psal. 99. col. 3. & seq.
Matt. 5.
Prouerb. 25.

ti in cœlo, & in terra, ſpiritalem autem in me ipſo, qui loquor, qui membra vegeto, qui vocem intendo, qui linguam moueo, qui verba pronuncio, ſenſuſque diſcerno. Et quando comprehendo me in me? Vndè ergò poſſum quòd ſupra me promittitur? Tamen cordi humano viſio Dei, & indè dicitur quędam operatio mundandi cordis, hoc dicitur à ſcriptura; Para, vndè videas quòd amas, antequàm videas. Audito enim Deo, & nomine eius, cui non dulce eſt, quòd audit, niſi impio multùm remoto,
Pſalm. 27. multum longè facto? *Quoniàm ecce*, inquit, *qui longè faciunt ſe à te, peribunt:* ſequitur: *Perdiſti omnem, qui fornicatur abs te*. Nobis autem quid? Quia illi longè, & ideò in tenebris, & ità ſauciatis oculis in tenebris, vt lumen non ſolùm non deſiderent, ſed etiam perhorreſcant, nobis in longinquo inuẽtis quid dicitur? Accedite ad Deum, & illuminamini. Vt autem accedas, & illumineris, diſpliceāt tibi tenebræ tuæ: damna quòd es, vt merearis eſſe, quòd non es: Et iniquus, eſſe debes iuſtus; Nunquàm iuſtitiam percepturus es, ſi adhuc tibi placet iniquitas. Contere illam in corde tuo, & munda; expelle illam de corde tuo, vbi vult habitare, quem vis videre. Recogitemus quæsò, Apoſtolum fidei diſputatorem, & gratis magnum defenſorem, dicentem: *Pax fratribus, & charitas cùm*
Ephеſ. 6. Ex Aug. homil. 27. ex 50. *fide magna*. Tria dixit: *Pax, charitas, fides*. A fine cœpit, ad initium terminauit. Initium eſt enim in fide, finis in pace, quia enim credimus, ipſa eſt fides. Sed fides debet eſſe Chriſtianorum, non dæmoniorum. Nàm ſicut Iacobus dicit, & demones dixerunt Chriſto; *Tu es filius Dei*: Confitebātur demones, quòd non credebant homines: Illi tremuerunt, illi occiderunt. Quid enim? quia di-
Iacobi 2. Marci 3.
ne-

xerunt dæmones: *Tu es filius Dei, scimus qui sis;* ideò regnaturi sunt cùm filio Dei? Absit. [*Dicebat diabolus, vt scriptum legimus: Scio te quis sis: tu es filius Dei, Marc. 1. Lucæ 4. Dicebant Iudæi: Nescimus, quis sit, Ioan. 9. Ambros. ser. 5. de Sanctis circ. finem: Vides quomodo diabolus, cùm sit nequissimus, peiores post se discipulos erudiuit. Motiuum ex eod. Ambrosio.*] Discernenda est ergo fides dæmonum, à fide sanctorum. Planè discernenda vigilantèr, & diligentèr. Nàm & Petrus hoc dixit Domino dicenti: *Quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei*: & Dominus: *Beatus es Simon Bar-iona.* O Domine hoc tibi dixerunt, & dæmones: Quare ipsi non sunt beati? Quare? quia dęmones hoc dixerunt timore, Petrus amore, ideò initium est à fide. Sed quali fide? Quàm definiuit Apostolus: *Neq; circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides.* Dic, quæ fides? Quæ per dilectionem operatur. Hanc dęmones non habent fidem, quæ per dilectionem operatur, sed soli serui Dei, soli sancti Dei, soli fide filij Abrahæ, soli filij dilectionis, filij promissionis. Ideò est & charitas dicta. Tria illa dicta sunt ab Apostolo, pax fratribus, & charitas cũ fide. Vnde pax, & charitas? Vndè charitas cùm fide? si enim non credas, non amas. Dixit ergò Apostolus, sic incipiens à fine, & veniens ad initium, pax, charitas cùm fide. Nos dicamus, fides, charitas, pax. Crede, ama, regna. Si enim credis, & non amas, adhuc non discreuisti fidem tuam ab eis, qui timebant, & dicebant: Scimus, quia sis filius Dei viui. Ergò tu ama, quia charitas cùm fide ipsa te perducit ad pacem. Quam pacem? Verã pacem, plenam pacem, securam pacem. Vbi nulla pestis, nullus hostis. Ipsa pax est finis omnium

Matth. 16.

Galat. 5.

Ibidem.

Ephes. 6.

Et timor ille odio plenus erat.

De qua pace dicit Apostolus Et pax Dei, quę exuperat omnẽ sensum, custodiat corda vestra

stra, & intelligentias vestras in Christo Iesu *Philip.* 4.

desideriorum bonorum. Charitas cùm fide: & si sic dicas, benè dicis: fides cùm charitate. Magna ergò bona commemorauit Apostolus, pax fratribus, & charitas cùm fide. Magna bona, sed dicat, vndè bona istà, vndè sunt à nobis, an à Deo? Si dicis à nobis, in te gloriaris, non in Deo. Si autem didicisti, quòd ait ipse Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur:* confitere pacem, charitatem cùm fide non tibi esse, nisi à Deo.

1. *Corinth.* 1.

Ex lib. 65. *quæstionum quæst.* 13. *Inter Opera Aug. tom.* 4.

De Arca loquitur, quã præcipiente domino, iustus Noe fabricauit.

Psal. 118.

Vtile quoque erit, considerare, quid significet, quòd Arca in lõgitudine habuit trecentos crubitos, & in latitudine quinquaginta, & in altitudine triginta? Sancta Ecclesia, vt faciat mãdata Dei, adiuuatur spiritu Dei, dicente Psalmographo: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meũ.* Nisi dilatatũ cor habuisset, viam Domini minimè cucurrisset. Et vndè dilatatur cor, nisi per charitatem spiritalem? Hinc & beatus Paulus Apostolus simili, Psalmographo voce consentit: *Os nostrum patet ad vos, ò Corinthij, cor nostrũ dilatatũ est.* 1. *Cor.* 16. Vndè, quæsò, dilatatum est? gratia, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, *Rom.* 5. Ergò accepto Spiritu sancto operatur Ecclesia talem dilectionem. scilicèt, præcepta Dei, quæ sine gratia Spiritus sancti nequaquàm poterit operari. Hunc enim Spiritũ septiformem scriptura sancta commemorat, & cõmendat. Septies ergò septem fiunt quadragintanouem, & addito, vt compleatur numerus, fiunt quinquaginta. Vndè & Dominus ascendens in cœlum quinquagesimo die misit Spiritum sanctum, vt corda credentium dilataret. Trecenti verò cubiti significent decem præcepta legis: Decies autem triginta, fiunt trecenta. Sed hæc præcepta non possunt im-

Act. 1. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tãquã ignis, &c.

impleri, nisi charitate fauente, idest, Spiritu sancto, qui significatur in latitudine quinquaginta cubitorũ. Idcircò Arca vtrumq; numerũ habet. Nàm & ipsa opera bona propter supernũ finẽ facit Ecclesia: quòd significant triginta cubiti altitudinis. Re enim vera spiritus est altitudo nostra, ipse scilicet trecenarius doctrinam Euangelicam consecrauit. Ipse est, & superius finis; atque omni bono opere indubitanter Ecclesiam replet. Amemus itaque Dominum toto corde, & ex omni mente; si semper amemus, semper laudabimus, semper quem diligimus, offendere magnoperè timebimus. Adhæreamus Domino Deo nostro plenissima deuotione; sint in Deum affectus nostri. Humeri Christi, brachia Crucis sunt, illic peccata nostra deponamus: in illa nobilis patibuli ceruice quiescamus.

In Christo Iesu animarum nostrarum medicinæ sunt aduersus dæmones: ibi sunt arma, & scutum contra eos, qui interno, atque inuisibili modo nos bello lacessunt, confligendum est: *Neq; enim*, vt ait diuinus Apostolus, *est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principatus, & Potestates, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus*: Bellum autem illi in nos gerunt, non quòd voluntati nostræ saltem post diuinum baptismum, vim ac tyrannidem inferre possint; absit, (hoc enim enim magnus quoque Apostolus his verbis declarauit: Lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati, & mortis, *Rom.* 8.) Sed quòd diuinorum mandatorum curam abijciamus, atque animi inductione voluptatibus nos ipsos addicamus. [*Præsertim ea, quæ dilectionem Dei habent, & proximi, in quibus tota lex pendet, at prophetæ, Matth.* 22.] Nisi enim mẽs nostra velut dormitarit, diabolus vtique ignitis suis

Contra venena serpentis.

Ephes. 6.

Ex Elia Cretẽse in orat. 1. *Nazianzeni n.* 58.

Quale sit dæmonum in nos bellum.

telis aduersùs nos vti minimè poterit, [*Phrasis Apostoli Ephes. 6. ibi: In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*] nos videlicèt ad nefarias libidines inflammans, & ad cupiditates à ratione auersas, incendunt, atq; per coniūctas cùm infidelitate, ac desperatione. Quorum impetum Dauid quoque quondam prçnoscens, aiebat: *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius.* Hi enim antè peccatum quidem benignum, & misericordem Deum proponunt, vt nos ad peccandum inducant: post admissum autem peccatum, desperationis plenas cogitationes subijciunt, vt per eam in peccato inhæreamus.

Segnities nostra diabolo vires præbet. Et in Psalmo: Dormitauerunt, qui ascenderunt equos. *Psalm. 73.*

Qui verò mentem suam accendit, & animam erexit, tanquàm ad cœlestia migraturam, atq; ità Dominum suum inuocauit, peccatisque in memoriam reductis de eorum remissione, cùm illo collocutus est, obsecrans vt placatus, ac propitius sibi esse dignetur: is post tales orationes omnem præsentem vitæ curam abijcit, alasque sibi comparat, quibus supra omnes humanas affectiones extollitur: Et siuè inimicum post precationem viderit, iàm non tanquàm inimicum aspiciet: siuè mulierem formosam, inuiolatus ab eius aspectu permanebit, durante adhuc igniculo per precationem intus accenso, & omnem absurdam cogitationem à se propellente. Sed, quoniàm homines cùm simus, facilè ad segnitiem relabimur: exacta vna, alteraùe, aut tertia post precationem hora, vbi senseris pristinum illū feruorem paulatim frigescere, recurre quantociùs ad preces, frigescentem mentem rursus accende. Si per totam diem feceris, per internalla crebris precationibus seipsum accendens, non dabis occasionem diabolo, aut vllum ad tuas cogitationes aditum,

Ex Chrys. hom. contra concurrentes ad theatra, &c. col. 10. tom. 5.

Imò ipsa propitiatio, vt ait beatus Apostolus, & Euangelista Ioan. & ipse Dauid ante eum: Apud te propitiatio est, &c. 1. Ioan. 2. Ps. 129.

tum: & quemadmodum in apparando prandio, quotiès calido potu opus est, si aqua parum caleat, ad focum admotam recalefacimus; ità, & hìc faciendum est, & os nostrum ad precationem, quasi ad prunas admouendum, vt hoc pacto mens ad pietatem rursus accendatur.

Quàm deuotè sancta Mater Samuelis prophetæ locuta est dicens: *Confirmatum est cor meum in Domino, exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Nec simplicitèr dixit: in Deo, sed, in Deo meo, sibi ipsi vsurpans eum, qui toti orbi communis est: hoc autem fecit, non illius dominium dìminutura, sed suum desiderium indicatura, & consolatura. Sic enim amatores solent, non ferunt vna cum multis amare, sed eximium quędam, ac peculiarem amorem pręseferre volunt. Sic & propheta dicebat: *Deus Deus meus, ad te de manè vigilo.* Nominatà enim eius communi denominatione addidit, & eam, qua peculiariter sanctorum Dominus est. Et rursum: *Deus meus intende in me, quare dereliquisti me?* Et rursùm: *Dicam Deo protector meus es.* Animæ enim feruentis, accensæque desiderio sunt hæc verba. Idē & hæc mulier fecit. Cæterum homines ità facere, nihil mirum, cùm verò Deum hoc ipsum facere videris; tum verò meritò obstupescas, quemadmodum enim hi non in commune illum inuocant, sed proprium faciendo, suum eum esse Deum volunt: ità, & ipse non solùm communiter vnà cùm alijs eorum etiam Deum se profitetur, sed priuatim ipsorū; quapropter dicebat: *Ego sum Deus Abraham, & Isaac, & Iacob:* non contrahens suum imperium, sed extendens potiùs: quòd non tàm multitudine subditorum, quàm eorum virtute censeri vult: neque enim tantùm Deus cœli, & terræ, & maris, & eo-

1. Reg. 2. Ex eodem ibid. col. 8. tom. 5.

Iob 34.

Psalm. 62.

Psalm. 21.

Psalm. 145.

& eorum, quæ in eis sunt, appellari gaudet: quãtùm si Deus Abraham, & Isaac, & Iacob vocetur: & quòd in hominibus non solemus, id in Deo videre licet. Apud homines enim à dominis serui appellationem sumunt, & ità omnes ex more loquimur: ille, vel ille procurator, aut dispensator illius, vel illius Ducis, aut Præfecti. Nemo autem sic loquitur: ille vel ille Dux, aut Præfectus illius, vel illius procuratoris, aut dispensatoris: sed minores à maioribus semper denominare consueuimus. De Deo autem contrà fit, non solùm enim Abraham Dei dicitur, sed Deus etiàm Abraham, atquè ità Dominus à seruo denominatur. Hoc idem igitur, & Paulus subindicans dicebat: Quàmobrem non erubescit Deus vocari Deus ipsorum. [*Beatus, cuius Deus Iacob, adiutor eius, &c. Psalm.* 145.] Non erubescit, inquit, Dñs à seruis appellationẽ sumere.

Hebræor 11. Vulg. legit: *Non confundit, &c.*

Os Domini locutum est per Isaiam prophetam: *Si volueritis, & audieritis me: bona terræ comedetis, Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos consumet.* Ostendit Dominus hominem se liberum condidisse; ostendit viuendi compotem: ostẽdit propriæ voluntatis authorem. Sed beata volũtas est, quæ seruiendo comparat libertatem: Misera seruitus, quam generat libertatis excessus. Beata, inquàm, libertas, quæ seruit legi; obtemperat iudici: pàret authori, quæ humilis Deo est, subiecta Christo; quæ imperata tenet, iusta complet, pręcepta conseruat, contendit, vt placeat: vt promereatur, instat, timet offendere, veretur delinquere, amat diuina monita frequentare. Vt enim obsequia legis obtinent libertatem, ità contemptus generat seruitutem. Domini vox est: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Cessat enim culpæ defensio, vbi le-

Isai. 1. *Ex eod. Chrys. hom super illud sapientiæ: Iustorum animæ in manu Dei sunt, &c. tom.* 5.

Ioan. 8.

legis præcessit contemptio: nec facilè seueritas iudicis flectitur, vbi edicti admonitio annullatur. Inexcusatus est Deus, cui per contemptum legis iudex fuerit inimicus: nec in iudicio merebitur veniam, qui audactèr contraxerit culpam. Quarè iudex admonet, nè peccetur, cùm obseruari iusta persuadet, dum se obseruantibus patrem, contemnentibus iudicem comminatur. Ama patrem præseruantē, time iudicem comminantem, Vtrumque enim salutare, & bonum est. Si enim amas, obaudi: si times deserui. Promissi pręmij, & destinati supplicij antè oculos diuersa constitue. Nullum momentum sit, quo non ista pertractes: nullum tempus, quonon, quæ destinata sunt, cogites.

Meditabar, Dauid Rex cecinit in Psalmis, *in præceptis tuis, quæ dilexi nimis*. Pulcherrimus ordo iste, vt primò meditemur, & eorum præceptorum, quæ diligimus, sit nobir assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœlestium, operis boni vsus inolescit. Nàm, sicut meditationi verborum finis memoria est, vt quæ meditamur, verba teneamus: sic meditationis præceptorum cœlestium intentio, vel finis, operatio est, actusque directus ad implenda præcepta diuina: quæ nisi quis diligat, implere non poterit. [*Iuxta illud: proprio ore Dominico dictum Apostolis: Si diligitis me, mandata mea seruate. Et: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Rursus: Vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Io. 14. Vides, quomodo sēper amor præcedit obseruantiam mandatorum.*] Nec solùm diligat, sed etiam nimis diligat. Ideò priùs posuit: Meditabar in præceptis tuis, quæ dilexi nimis, & subiecit: Et leuaui manus meas ad præce-

al. Ps. 118. Ex Ambros ibidem Octonar. 6. circ. fin.

Ergo eorū obliuione exolescit,

pta

pta tua, quæ dilexi nimis. Post meditationem etenim bonum est leuare actus nostros ad præcepta Dei, atq; id facere cum charitate, & gaudio, vt non ex necessitate sit bonum nostrum: non cum mærore, atquè mæstitia, sed voluntarium: quià seruus inuitus facit, amicus voluntarius. Nos autem studeamus, vt dicatur nobis: *Iàm non dicam vos seruos, sed amicos:* quià, quasi amici mandatum Dei ex voluntate fecistis. Qui autem meditatur, & diligit, & actus suos leuat, vt faciat quæ placeant Deo, Is debet non negligere, nèc transcurrere mandata diuina, sed exercere se in his, immorari plurimùm, iustificationes Dei crebrò reuoluens, solicitè mentis affectu.

1. Corinth 9.

Ioan. 15.

Ex Chrys. hom. De Daniel. & Saul. &c.

Psalm. 118.

Ex Aug. ibidem Concione 4.

Alibi idem sanctus Dauid, (qui vsque in hodiernum diē canitur illustris in terra, illustris in Cœlo,) *Vtinam*, inquit, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Præcepisti quidem tu, sed vtinam, quod præcepisti, fiat mihi. Vbi audis, vtinam, vocem optantis agnosce, & agnita voce optantis depone superbiam præsumentis. Quis enim se dicat optare, quod sic habet in arbitrij potestate, vt nullo indigens adiumento, id possit efficere? Ergò si optat homo, quod præcepit Deus, vt det ipse quod præcepit, rogandus est Deus: à quo enim optandum est nisi ab illo Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, sancta scriptura teste, descendit? Proptèr eos autem, qui putant hoc solo nos ad faciendam iustitiam diuinitùs adiuuari, quod Dei præcepta nobis in notitià proferuntur, vt ea cognita iàm sine vlla Dei gratia solis nostræ voluntatis viribus impleantur, non optat hic dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Dei, nisi iàm eius acceptis, ipso præcipiente, mandatis. Ad hoc enim pertinet, quod præmisit: Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis,

nimis,tanquàm diceret,iàm legem accepi,iàm noui: Tu enim præcepisti mandata tua custodiri nimis, & mandata tua sancta, & iusta, & bona, sed peccatum meum per bonum mihi operabitur mortem, nisi adiuuetur gratiâ. Vtinam ergò dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas,tunc nõ confundar, dùm inspicio in omnia mandata tua. Mandata Dei, siuè cum leguntur, siuè cum memoriâ recoluntur, tanquam speculum intuendum est,secundùm Apostolum Iacobum dicentem: *Si quis auditor est verbi, & non factor,hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt,& statìm oblitus est,qualis fuerit: qui autem perspexit in legem perfectam liberatis,& permanserit in ea, non obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Talem se iste vult esse,vt inspiciat tanquàm in speculum,mandata Dei,& non confundatur, quià non auditor eorum tantùm vult esse, sed factor. Propterea optat dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Dei. Vnde dirigi,nisi gratia Dei, alioquì Legem Dei habebit,non vbi gratuletur,sed vbi confundatur,si voluerit mandata inspicere, quæ non facit. *Iacobi 1.*

Omnes Fideles,& immensâ Dei misericordiâ eruditi in schola Christi,lucidis præceptis oculos mentis illuminantibus illustrati, diligere debemus Dominũ Deum nostrum ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente. Anima verò multis nominibus appellatur. Dicitur enim spiraculum,vt in illo loco: Inspirauit Deus spiraculum vitæ. Dicitur etiàm hoc ipsum,quod appellatur, hoc est Anima: vt in illo loco: Factus est in animam viuentem. Dicitur itèm imago Dei,vt cum ait scriptura: Deus ad imaginem suam hominem fecit. Dicitur præterèà Spiritus, vt *Matth.22.* *Anima varijs modis nominatur.* *Ex Helia in Or. 1.Nazianz.129* *Genes.2.* *Genes.1.*

in alijs Scripturæ locis vir loquitur, dicens: Coniunges feruorem cum spiritu, hoc est corpus cum anima, & componens animal visibile, & inuisibile, illud propter corpus, hoc propter spiritum: cæteraque similitèr reddes. Quoniam autem puto hominem Deum attingere, nec tamen comprehendere, atquè ad Deũ appropinquare, & tamen procùl remoueri dicat, ad hunc modum intelligemus. Diuinum Numen (vt sanctus Dionisius ait) si essentiam spectes, nullo modo cogitari, nec comprehendi potest: Nequè enim eius, aut sensus, aut imaginatio, aut sermo, aut scientia, aut contactus vllus est. Verùm ex rebus effectis congruenti modo consideratur, (alia nimirum ex alia specie ad vnum quoddam veritatis simulacrum coeunte) antequàm teneatur, fugiens, antequam cogitetur, sese proripiens. Non enim solùm cogitatus non tenetur, sed non perfectè quidèm cogitatur: verùm cum cogitari cæperit, sese subducit, ac mentem etiàm celerrimam anteuertit, itaùt comprehendi nequeat. Quippè & vltra essentiam omnem est, & ab omni cogitatione semotus. Ergò mens humana summoperè purgata Deum quidèm attingit (nimirum ex effectis rebus obscurè quoddamodò conspiciens) Verum id, quod cogitatum est, comprehendere, atq; arctè, & firmitèr tenere, minimè potest, vtpotè priùs sese proripiens. Quemadmodùm autem mens eum attingere, nec tamen comprehendere dicitur: ità etiã iuxtà eamdem rationem, & ad eum appropinquare, (itaùt comprehensura esse videatur,) & procùl ab eo remoueri, & nimirum concepta fugam concipiente. Aut etiam hoc modo: Vt exiguum lumen noctu lucens illuminare quidèm, exiguè saltèm, videtur: eodem modo mens etiàm purissima, siquidem per se consideretur, mediocris saltèm luminis particeps esse videtur:

Nota. (margin, beside "& componens animal visibile")

Simile (margin, beside "Aut etiam hoc modo")

videtur: at, cum paulatim progrediendo ad Deum, qui puriſſimum lumen eſt, appropinquauit, tenebras iam eſſe exiſtimat: & quò magis ad Deum appropinquat, eò magis remouetur, ſuam nimirum caliginem agnoſcens: Etenim, ſi eum incomparabili Dei charitate, ac puritate, non modò mors omnis humana, verum Angeli ipſi comparentur, meræ tenebræ eſſe reputabuntur. Pijſſime Domine, qui ſic nos amaſti, & ſaluaſti, ſic viuificaſti, & ſublimaſti, pijſſime Domine, quàm dulcis eſt memoria tua! Quantò magìs in te meditor, tantò es mihi dulcior, & amabilior. Idcircò delectant me valdè bona tua puro mentis intuitu, & dulciſſimo pij amoris affectu in loco peregrinationis meæ iuxta modulum meum: interim quandiù his fragilibus ſubſiſto mẽbris, miram tuam delectionem, & pulchritudinem indeſinentèr cupio deſiderare, & conſiderare. Tuæ enim charitatis iaculo vulneratus ſum, tuo vehementèr deſiderio flagro, ad te peruenire cupio, te videre deſidero. Idcircò ſuper cuſtodiam meam ſtabo, & vigilantibus oculis pſallam ſpiritu, pſallam & mente, & totis viribus meis te factorem, & refectorem meum collaudabo, polum penetrabo mente, & deſiderio tecum ero: vt præſenti quidèm miſeria ſolo corpore tenear, tecum autem cogitatione, & auiditate, atquè omni deſiderio ſim ſempèr, quatenùs ibi ſit cor meum, vbi tu es theſaurus meus deſiderabilis, incomparabilis, multumq; amabilis. Sed eſt Deus meus pijſſime, & miſericordioſiſſime, dùm tuæ immenſæ bonitatis, & pietatis gloriam conſiderare volo, cor meum non ſufficit: excedit enim omnem ſenſum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, tua gloria, tua magnificentia, tua maieſtas, & tua charitas. Sicut ineſtimabilis eſt tuæ gloriæ ſplendor, ità ineffabilis eſt

Mens ad Deum appropinquans tenebroſam ſe agnoſcit.

Ex Auguſt. in Manua. cap. 14 tom. 9.

æternæ tuæ charitatis benignitas, quà illos, quos de nihilo creasti, adoptas in filios, & tibi coniungis.

Ex Hilario in Psalm. 127. vers. laborem fructuum tuorum manducabis.

Habemus hic dono superni Numinis cibum spiritualem, animam nostrã in vita alentem, bona, scilicèt opera bonitatis, misericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum nostrorum vitia laborandum est. Horum laborum fructus in æternitate est, sed labor hic æternorum fructuum antea comedendus est per cibum bonorum laborũ, obtinentes panem viuum, panem cœlestem ab eo, qui dicit: *Ego sum panis viuus de Cælo*. Quem qui indignè secundum mandatum Apostolicum acceperit, iudiciũ sibi acquirit: [*Vulgata significantiùs legit: Iudicium sibi manducat, &c. dùm enim manducat vitam, reus fit mortis. Spiritus, & vita sub speciebus panis, & vini Iesus est, sed indignè sumenti non est*.] Hi sunt ergò labores fructuum manducandi: eorum scilicèt fructuum, qui in Cœlo metuntur. [*Iuxta illud; Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes, seù infatigabiles, Galat. 6. Ex eodem Hilario Canone* 18. *in Matth. vers. Videte nè contemnatis, &c.*] Hæc enim nunc animam saturant, hæc in Cœlum suis fructibas prosequuntur.

Ioann. 6.
1. Corinth. 11.

Amator generis humani Deus noster, vt ingentem esse in Cœlis lætitiam reditu humanæ salutis ostenderet, comparationis posuit exemplum eius, qui oues nonaginta nouem in montibus reliquisset, & errantẽ vnam requisisset: qua inuenta plus gaudij sit, quàm habebatur in nonaginta nouem, cõuersatione lętitię. Ouis vna, homo intelligendus est: & sub homine vno vniuersitas sentienda est. Sed in vnius Adæ errore omne hominum genus aberrauit. Ergò nonaginta nouem non errantes, multitudo Angelorum cœlestiũ opinanda est, quibus in Cœlo est lætitia, & cura salu-

Luc. 15.

Amoris vinculum ponitur, & vtilitas cõmendatur.

Roman. 5.

tis

tis humanæ. Igitùr & quærens hominem, Christus est: & nonaginta nouem relicti, cœlestis gloriæ multitudo est; cui cum maximo gaudio, errans homo in Domini corpore est relatus. Meritò igitùr hic numerum per literam, Alpha, & Abrahæ additur, & consummatur in Sara: ex Abram enim, Abraham nuncupatur, & ex Sarai, Sara accepit nomen. In vno enim Abraham omnes sumus, & per nos, qui vnum omnes sumus, cœlestis Ecclesiæ numerus explendus est: Atquè ideò, & creatura omnis reuelationem filiorum Dei expectat. Ideò congemiscit, & dolet: vt numerus qui per Alpha Abrahæ additus est, & qui in Alpha consummatus in Sara est, ad cœlestem constitutionem incremento credentium compleatur. *Roman. 8. 19. & seqq.*

Dominus Saluator noster, nè periret hominum genus, extendit brachia sua in Cruce, & expendit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Saluatoris mei, & viuere volo, & mori cupio, ibi securus decantabo: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nèc delectasti inimicos meos super me.* Saluator noster caput inclinauit in morte, vt oscula daret suis dilectis. Totiès Deum osculamur, quotiès in eius amore compungimur. O anima mea insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis, dilige illum, a quo tantùm dilecta es. Intende illi, qui intendit tibi, quære quærentē te, ama amatorem tuum, à quo amaris, cuius amore præuenta es, qui est causa honoris tui. Ipse est meritum, ipse pręmium, ipse fructus, ipse vsus, ipse finis. Esto solicita cum solicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. Qualis apparueris Deo, talis oportet, vt appareat tibi Deus suauis, & mitis, & multæ misericordiæ: suaues, mites, dulces, humiles,

Ex Aug. in Monial cap. 23. & 24.

Psalm. 29.

Hæc oscula prisci illi sancti patres ardentèr expetierent, dicentesq; osculetur me osculis oris tui *Cant. 1. Psalm. 85.*

miles, & misericordes requirit. Ama illum, *qui eduxit te de lacu miseriæ, & luto fæcis*. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui, cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem seruabit. In die sepulturæ tuæ, cum omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquit, sed tuebitur à rugientibus preparatis ad escam, & conducet te per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernæ Sion, & ibi collocabit te cum Angelis ante faciem maiestatis suę, vbi audies illud Angelorum melos, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Ibi est canticum letitiæ, vox exultationis, & salutis, gratiarum actio, & vox laudis, atquè alleluia perpetuum. Ibi est cumulus fęlicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia, & omnia bona. O anima mea suspira ardentèr, desidera vehementèr, vt possis peruenire in illam supernam Ciuitatem, de qua tàm *gloriosa dicta sunt*, in qua *sicùt lætantium omnium habitatio est*. Amor potes ascendere, amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Anima, quæ amat, ascendit frequentèr, & currit familiaritèr per plateas cœlestis Ierusalem, visitando Patriarchas, & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum, & Confessorum, Chorosque Virginum speculando. Cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, non cessant mihi dicere, vt amem Dominum meum. Cor humanum in desiderio æternitatis non fixum, nunquàm stabile potest esse, sed omni volubilitate volubilius, de alio in aliud trāsit, quęrens requiem, vbi non est. In his autem caducis, & transitorijs, in quibus eius affectus captiui tenentur, veram requiem inuenire non valet, quoniam tantæ est dignitatis, vt nullum bonum præter summum bonum ei sufficere possit, tantę enim est libertatis, vt in aliquod vitium cogi non possit.

Psalm. 88. *Psalm. 86.* *Animæ hominis dignitas.*

Etiàm

Etiàmsi in carne viuamus, nostris cogitationibus ad eum minimè conuertamur, sed ad solam aspiciamus animam,& omnes dilectionis significationes puras,& impollutas dedicemus bono Deo, qui omnem superat intelligentiam: cui solùm est rerum, quod dulce, & iucundum, expetendumque, & amabile: cuius,quæ sempèr existit fruitio, fit materia,& occasio maioris cupiditatis, bonorum participatione intendens desiderium. Ità Moses Deum diligebat, ità Elias,ità Ioannes sponsum diligebat,dicens, *Qui habet sponsam,est sponsus: amicus autem lætitia afficitur propter sponsum*. Ità Petrus rogatus an amet, liberè,& confidentèr fatetur,dicens: *Domine scis, quòd amo te*: Ità cæteri Apostoli, ità Paulus, qui priùs persecutor,cum dilexisset Christum,quem non viderat, scripsit, dicens: *Despondi vos Virginem castam exhibere Christo*. Ita quæ nùnc est Ecclesia sponsa, sponsum diligebat,conuenientèr ei virgini,quæ dicit in Cantico, *Osculetur me osculo oris sui*. Sic ille,qui dignus est habitus cum Deo loqui facie ad faciem,vt testatur Scriptura, eiusmodi osculorum maiori tenebatur desiderio,postquàm ei totiès Deus apparuisset, rogans,vt videret, quam desiderabat: perindè ac si nunquàm eum esset contemplatus. Ità cæteri in imis penetralibus nunquàm suum satiarunt desiderium, quicquid eis diuinitùs eueniebat, quò fruerentur eo, qui desiderabatur, materiam arripientes, & fomitem maioris desiderij. Quomodò etiàm,quæ nùnc quoquè Deo coniungitur anima, satiari non potest fruitione,quò copiosiùs fruitione impletur,& vehementiori vigens desiderio. [*Anima, quæ Deo coniungitur, satiari non potest fruitione: iuxta illud: qui edunt me,adhùc esurient: & qui bibunt me adhùc sitient*.] Quià enim verba Sponsi,spiritus sunt,& vita,quicunque

Ex Gregor Niss. hom. 1. in Cant.

Ad carnem non esse conuertenda cogitatio, sed ad animam; & omnes dilectionis significationes Deo sunt dedicandæ.

Ioann. 3.

Ioann. 21.

2. Corinth. 11.

Cantic. 1.

Exod. 33.

Ioann. 5.

que autem conglutinatur spiritui, fit spiritus, & qui vitæ coniungitur, transit à morte ad vitã, congruentèr voci Domini propterea desiderat appropinquare animam, fonti vitæ spiritualis virgo anima. Fons autẽ est os Sponsi, vnde scaturientia verba vitæ æternæ implent os ea attrahentis, sicut faciebat Propheta per os trahens spiritum. Quia ergò oportet ori addere potum, qui attrahitur ex fonte: fons autem est Dominus, qui dixit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, propterea animã vult suo ori vitam haurienti os admouere, dicens: *Osculetur me osculis oris sui:* Et qui omnibus scatere facit vitã, & vult omnes esse saluos, neminem vult eorum, qui salui fiunt, esse expertem huius osculi, est enim eius osculum purgamentum cuiusuis sordis. Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobare Simoni leproso: osculum mihi non dedisti. Reuerà enim fuisset mundatus ab ægritudine, si ore attraxisset puritatem. Sed ille quidem meritò id non est expertus, vt cuius caro supra modũ excreuisset per morbum ob suam cupiditatem, ità manens, vt exinaniri non posset à vitio. Anima autem expurgata ab omni carnali leprà aspicit bonorum thesaurum, thesauro autem nomen est cor. Propheta quoquè rogabat, vt sibi crearetur cor mundũ, à quo lac diuinum suppeditatur vberibus, quo nutritur anima conuenientèr proportioni fidei attrahens gratiam. [*Bonorum thesaurus est cor: iuxta illud; Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: Et malus homo de malo thesauro profert malum, Luc. 6. vers.* 45.] Quamobrem dicit: Bona sunt vbera supra vinum, ex loci positione, per vbera cor tacitè significans. Porrò osculum spiritale amicorum propriè est, qui sub vna lege amicitiæ tenentur. Non enim fit oris attactu, sed mentis affectu, non coniun-

Psalm. 118. *Ioann. 7.* *Cantic. 1.* *Psalm. 50.* *Ex August. lib. de Amic. c. 6. tom. 4*

ctione

ctione labiorum, sed commixtione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, & ex sui participatione cœlestem immittente saporem. Nam ipse hunc sacratissimum inspirat affectum, vt videatur alteri quasi vnā animam habere in diuersis corporibus. Psalmista: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Anima sic affecta ad osculum intellectuale suspirat, & cum maximo desiderio clamans: *Osculetur me osculo oris sui:* vt iàm terrenis affectibus mitigata, & omnibus, quæ de mundo sunt cogitationibus, desiderijsq; sopitis, in soliùs Christi delectatur osculo, & quiescat amplexu, exultans dicit: *Leua eius sub capite meo.*

Psalm. 132.

Cantic. 5.

Quantò quisque Deum plus amat, tantò felicior, & beatior efficitur. In tantum enim nos amauit, vt etiā pro nobis mori dignatus sit: & manus eius, quæ virtutes plurimas faciebāt, clauis pro nostra redemptione affixæ sunt; & ori mellifluo, quo salutaris doctrina profluxit, fel pro cibo impij porrexerunt: & qui neminem læsit, cæsus est, & qui nullum maledixit, opprobria, & maledicta pro nobis pertulit [1. *Petr.* 2. *ibi: Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, &c. Opprobria exprobantium ceciderunt super me. Psalm. 68.*] Accedamus ad eum, vt vitam æternam habeamus. Sit in nobis etiàm dilectio Proximi: Qui enim diligit Proximum, legem impleuit. Qui autem è contrario, odit, homicida est. Qui diligit fratrem suum, in tranquillitate est cor eius; fratrem verò odiens, tempestate circundatus est. (Qui diligit fratrem suum in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem fratrem suum odit, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat. Quià tenebræ obcæcaueuerunt oculos eius.) Vir mitis, & benignus, etiamsi

Ex Auth lib. de salutaribus documentis, cap. 21. & seq. inter oper. Aug. tom 4

Luc. 6. ibi: omnis turba quærebat eum tangere.

Psalm. 37 ibi: In flagella paratus sum, &c.

Clariùs verò *Io. 19 ibi:* Tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.

Roman. 13.

1. Ioann. 2.

patitur mala, pro nihilo ducit: iniquus autem, etiam paruum verbum audiens à Proximo, contumeliam arbitratur. Qui charitate plenus eſt, tranquillo animo, & ſereniſſimo vultu, procedit. Vir odio plenus, ambulat iracundus.

Ex Aug lib. 14. de Ciuit. Dei c 9.
Affectus rectos habet vita iuſtorum.

Non mouetur anima pedibus, ſed affectibus, nec vocem, ſed affectum audit Deus. Ciues ſanctæ Ciuitatis Dei in huius vitæ peregrinatione ſecundum Deum viuentes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus eſt amor eorum, iſtas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, dolent in ſe, quià ipſi in ſemetipſis adhùc ingemiſcunt adoptionem, expectantes redemptionē corporis ſui. Gaudent in ſpe, quia fiat ſermo, qui ſcriptus eſt: *Abſorpta eſt mors in victoria*. Item metuunt peccare, cupiunt perſeuerare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Vt enim metuant peccare, audiunt: *Quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcit charitas multorum*: Vt cupiant perſeuerare, audiunt, quod ſcriptum eſt, *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*. Vt doleant peccatis, audiunt: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Vt gaudeant in operibus bonis, audiunt: *Hilarem datorem dilidit Deus*. Item ſicuti ſe infirmitas eorum, firmitaſque habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari: dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus. Vt enim metuant tentari, audiunt: *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui ſpiritales eſtis, inſtruite huiuſcemodi in ſpiritu manſuetudinis, intendens teipſum, nè, & tu tenteris*. Vt autem cupiant tentari, audiunt quendam virum fortem Ciuitatis Dei, dicentem: *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum*. Vt doleant in tentationibus, vident

Inter ſpem, & metum medij fluctuamus.
Hieronym in vita Malchi.
Roman. 8.
1. Corinth. 15.
Matth. 24.
Matth. 10.
1. Ioann. .
Galat. 6.
Pſalm. 25.

Petrum

Petrum flentem: Vt gaudeant in tentationibus, audiunt Iacobum dicentem: Omnia gaudia existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Non solùm autem propter semetipsos his mouentur affectibus, verùm etiàm propter eos, quos liberari cupiunt, & nè pereant, metuunt, & dolent, si pereunt, & gaudent, si liberantur. Illum quippè optimum, & fortissimum virum, qui in suis infirmitatibus gloriatur, vt eum potissimùm commemoremus, quem in Ecclesia Christi ex Gentibus inuenimus Doctorem Gentium in fide, & veritate, qui & plus omnibus suis Coapostolis laborauit, & pluribus epistolis Populos Dei, non eos tantùm, qui præsentes ab illo videbantur, verum etiàm illos, qui futuri præuidebantur, instruxit: Illum, inquam, verum atletam Christi dictũ ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosũ in illo, in theatro huius mundi, cui spectaculũ factus est, & Angelis, & hominibus, legitimè magno agone certamen, & palmam æternæ vocationis in anteriora sectantem, oculis fidei libentissimè spectantem, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, foris habentem pugnas, intùs timores, cupientem dissolui, & esse cum Christo, desiderantem videre Romanos, vt aliquem fructum habeat in illis, sicut & in cæteris Gentibus: æmulantem Chorinthios, & ipsa æmulatione metuentem, nè seducantur eorum mentes à castitate, quæ in Christo est: magnam tristitiam, & continuum dolorem cordis de Israelitis habentem, quod ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non erant suibiecti, nèc solum dolorem, verum etiam luctum suum denunciantem de quibusdam, qui ante peccauerunt, & non egerunt, pœnitentiam super immunditia, & fornicationibus suis. Hi motus, hi affectus de amore boni, & de

2. Corinth. 11.
1 Timoth 2.
Philipp. 3.
2. Corinth. 7.
Roman. 1.
2. Corinth. 11.
Roman. 9.
2. Corinth. 12.

ſancta charitate venientes, ſi vitia vocanda ſunt, ſinamus, vt ea, quæ vitia ſunt, virtutes vocentur. Sed cum rectam rationem ſequantur iſtæ affectiones, quando, vbi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbidas, ſeù vitioſas paſſiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipſe Dominus in forma ſerui agere vitã dignatus humanam, ſed nullum habens omninò peccatum, adhibuit eas, vbi adhibendas eſſe iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus. Cum ergò eius in Euangelio iſta referuntur, quod ſuper duritia cordis Iudæorum cum ira contriſtatus ſit, quod dixerit: *Gaudeo propter vos, vt credatis i* quo Lazarum ſuſcitaturus, lachrimas etiam fuderit: quod concupiuerit cum Diſcipulis ſuis manducare: quod propinquante paſſione triſtis fuerit anima eius vſque ad mortem, non falsò vtique referantur. Verum ille hos motus certæ diſpenſationis gratià, ità cũ voluit, ſuſcepit animo humano, vt cum noluit, factus eſt homo. Proindè quod fatendum eſt etiam, cum rectas, & ſecundum Deum habemus has affectiones, huius vitæ ſunt, non illius, quam futuram ſperamus, & ſępè illis inuiti credimus. Itaquè aliquando, quamuis non culpabili cupiditate, ſed laudabili charitate moueamur, etiã dũ volumus, flemus. Habemus ergò eas ex humanę conditionis infirmitate, non autẽ ità Dominus Ieſus, cuius & infirmitas fuit ex poteſtate. Sed, dùm vitæ huius infirmitatem gerimus, ſi eas omninò nullas habeamus, tunc potiùs non rectè viuimus. Vituperabat enim, & deteſtabatur Apoſtolus quoſdam, quos etiam eſſe dixit ſine affectione: Illos etiam culpauit ſacer Pſalmus, de quibus ait; *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit*. Nam omninò non dolere, dùm ſumus in hoc loco miſeriæ, profectò

ſicùt

Aliàs lege. Chriſtus non caruit affectibus.

Marc 3.

Ioann. 2.

Luc. 22.

Pſalm. 68.

ſicut quidem etiam apud ſęculi huius literatos ſentit, & dixit: *Non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore*. Quò circà illa, quę ἀπάθεια Græcè dicitur, quæ ſi latinè poſſet, impaſſibilitas diceretur: ſi ità intelligenda eſt (in animo quippè, non in corpore accipitur) vt ſine his affectionibus viuatur, quæ contra rationem accidunt, mentemque perturbant, bona plenè, & maximè optanda eſt, ſed nèc ipſa huius eſt vitæ. Non enim qualiſcumcunque hominum vox eſt, ſed maximè piorum, multumque iuſtorum, atque Sanctorum: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Tùnc itaquè ἀπάθεια iſta erit, quando peccatū in homine nullū erit. Nùnc verò ſatis benè viuitur ſine crimine: ſine peccato autē qui ſe viuere exiſtimat, non id agit, vt peccatum non habeat, ſed veniam non accipiat. Porrò ſi ἀπάθεια illa dicenda eſt, cum animū contigere omninò non poteſt vllus affectus, quis hunc ſtuporē non omnibus vitijs iudicat eſſe peiorem? Poteſt ergò non abſurdè dici, perfectam beatitudinem ſine ſtimulo timoris, & ſine vlla triſtitia futuram. Non ibi autem futurum amorē, gaudiūq; quis dixerit, niſi omninò à veritate ſecluſus: ἀπάθεια illa eſt, vbi, nèc metus vllus exterret, nèc angit dolor, auerſanda eſt in hac vita, ſi rectè hoc eſt, ſecundum Deum viuere volumus. In illa verò beata, quæ ſempiterna promittitur, timor planè ſeparandus eſt. Timor namque ille, de quo dicit Apoſtolus Ioannes: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem:* quià timor pœnam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in charitate: non eſt eius generis timor, cuius ille, quo timebat Apoſtolus Paulus, nè Corinthij ſerpentinà, ſeducerentur aſtutià: hùnc enim timorem habet charitas, immò

Cic. 3 Tuſc qu.

1 Corinth 3.

1 Ioann 4.

immò non habet nisi charitas, sed illius est generis timor, qui non est in charitate, de quo, & ipse Apostolus Paulus ait: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore.* Timor verò ille castus permanens in seculum sæculi, sic erit, & in futuro seculo: nam quo alio modo potest intelligi permanere in seculum sæculi? Non est timor exterrens à malo, quod accidere potest, sed timens in bono, quod amitti non potest. Vbi enim boni adepti amor immutabilis est, profectò si dici potest, mali cauendi timor securus est. Timoris quippè casti nomine ea voluntas significata est, qua nos, necesse erit, nolle peccare: & non solicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus; sed tranquillitate charitatis cauere peccatum. Aut, si nullius omninò generis timor esse poterit in illa certissima securitate perpetuorum, feliciumque gaudiorum, sic dictum est: *Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi.* Quemadmodùm dictum est: Patientia pauperum non peribit in æternum. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi vbi toleranda sunt mala, sed æternum erit, quò per patientiam peruenitur. Ità fortasse timor castus in sæculum sæculi, dictus est permanere, quià id permanebit, quò timor ipse perducit. Quæ cum ità sint, quoniam recta dicenda est, qua perueniendum sit ad beatam, omnes affectus istos vita recta rectos habet, peruersa peruersos. Beata verò, eademque æterna amorē habebit, & gaudium, non solùm rectum, verū etiam certum: Timorem autem, & dolorem nullum. Vnde iàm apparet vtrumque, quales esse debeant in hac peregrinatione Ciues Ciuitatis Dei, viuentes secundum spiritum, non secundum carnem, hoc est secundum Deum, non secundum hominem, & quales in illa, quò tendunt, immortalitate futuri sint. Ciuitas porrò

Roman. 8.
Psalm. 18.
Psalm. 9.

porrò, hoc eſt ſocietas impiorum, non ſecundum Deum, ſed ſecundum hominem viuentium, & in ipſo cultu falsè, contemptuque veræ diuinitatis, doctrinas hominum, dæmonumuè ſectantium his affectibus prauis, tanquam morbis, & perturbationibus quatitur. Et, ſi quos ciues habet, qui moderari talibus motibus, & eos quaſi temperare videātur: ſic impietate ſuperbi, & elati ſunt, vt hoc ipſo in eis ſint maiores timores, quo minores dolores. Et ſi nonnulli tantò immaniore, quanto rariore vanitate hoc in ſeipſis adamauerint, vt nullo prorsùs erigātur, & excitentur, nullo flectantur, atque inclinentur affectu, humanitatē totā potiùs amittunt, quàm verā aſſequantur tranquillitatem. Non enim quia durum aliquid, ideò rectum, aut quia ſtupidū eſt, ideò ſanū.

Præclarè quidem præcipimur in tota mente amare Deum: Nam quantùm attinet ad hominis naturam, nihil eſt in eo melius, quàm mens & ratio, ſed non ſecundum ipſam debet viuere, qui beatè vult viuere: alioquin ſecundum hominem viuit, cùm ſecundum Deum viuendum ſit, vt poſſit ad beatitudinem peruenire, proptèr quam conſequendam, non ſeipſa debet eſſe contenta, ſed Deo mens noſtra ſubdenda eſt. Ipſo enim fruitur, vt beata ſit, tanquàm ſummo bono ſuo. Vt quid ei præceptum eſt, vt ſeipſam cognoſcat? Credo, vt ſe ipſam cogitet, vt ſecundum naturam ſuam viuat, ideſt, vt ſecundum naturam ſuam ordinari appetat, ſub eo, ſcilicèt, cui ſubdenda eſt, ſupra ea, quibus præponenda eſt: ſub illo, à quo regi debet, ſupra ea, quæ regere debet. Multa enim per cupiditatem prauam, tanquam ſui ſit oblita: ſic agit. Videt enim quædam intrinſecus pulchra in præſtantiore natura, quæ Deus eſt. Et cum inſtare debeat, vt eis fruatur, volens ea ſibi tri-

Ex Aug. lib. 1. Retract. cap. 2. tom. 1.

Ex eod. lib. 10. de Trinit. cap. 5. tom 3.

Nota.

tribuere, & non ex illo similis illius, sed ex seipsa esse, quòd illa est, auertitur ab eo, moueturque, & labitur in minùs, & minùs quod putatur amplius, & amplius, quia nec ipsa sibi, nec ei quicquam sufficit recedenti ab illo, qui solus sufficit. Ideòque per egestatem, ac difficultatem fit nimis intēta in actiones suas, & inquietas delectationes, quas per eas colligit: atque ità cupiditate acquirendi notitias ex ijs, quæ foris sunt, quorum cognitum genus amat, & sentit amitti posse, nisi impensa cura teneatur, perditque securitatem, tantòque seipsam minùs cogitat, quantò magis secura est, quòd se non possit amittere.

Ex Chrysost. lib. 5 de compunct. cord. col mihi 17. & seq. to. 1.

1. Cor. 3.

Phrasis psal 17 ibi: Ignis à facie eius exarsit, &c.

Non video, quòd flens dico, quòd aliquis nostrum vera, & perfecta cupidine cœlestium teneatur: alioquin omnia, quæ videntur esse grauia, vmbras putaremus, & risum. Et hoc non ego ex verbis meis, sed illius, qui huiusmodi amore insaniuit insania salutari, docere tentabo: illum dico Christi amatorem, qui tanto igne amoris eius exarsit, vt moras vitæ huius, & dilationem profectionis suæ, qua redire morabatur ad Christum, ingemisceret, & doleret, & querelas suas per hæc verba signaret: *Positi*, inquit, *in tabernaculo isto, ingemiscimus. 2. Cor. 5. Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse: multò enim melius est. [Amoris vi, voluntati Dei, etiam in dilata sibi visione, ipsius conformis erat.]* Sed, quoniam, inquit, hoc placet illi, quem amo, permanere in carne necessarium propter vos. Vt enim fides Christi prædicetur, & vt ipse ab omnibus ametur, propterea & famem, & sitim, & nuditatem, & vincula, mortesque sustineo, & maris pericula, & naufragia, cunctaque omninò, quæ inferuntur, in me libens perfero. Et non solùm nihil

Philip. 1.

Amoris vi, voluntati Dei etiā in dilatā sibi visione ipsius cōformis erat.

2. Cor. 15.

mihi

mihi graue eſt, ſed & pro his omnibus glorior. Cauſa autem mihi gloriandi pro his, charitas Chriſti eſt. [*Alibi: Charitas Chriſti vrget nos.*] *In his*, inquit, *omnibus ſuperamus proptèr eum, qui dilexit nos.* Quod ſi amor hominum frequenter etiàm mortem ſubire perſuaſit, quomodo non amor Chriſti, non ſolùm laboris patientiam, ſed etiàm mortis tolerantiam perſuadebit? Sicut & huic amatori eius, quem ſupra oſtendimus, omnia pro nihilo ducenti, dùm nimis amoris eius inhæreret; neque præſentem hanc vitam cùm hominibus ducere, ſed tanquam, ſi iàm eſſet in cœlis, & cùm Angelis haberet conuerſationem ſuam, & quaſi facie ad faciem conſpiceret bona futura, ità ſpernebat cuncta, quæ in præſenti vita, vel delectabilia, vel triſtia videbantur; Nulla ei cogitatio, nullus ſermo de requie erát, quòd nos, & frequentiùs, & ſolicitiùs quærimus, ſed clamabat dicens: *Vſque ad hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemati deprecamur, tanquàm purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.* Per ſingula enim oculos mentis ſuæ conuertens ad cœlum, & decore cœleſtium tractus reuerti ad terrena rurſùm recuſabat: ſed ſicut is, qui in paupertate poſitus intrà vile, & humile tugurium vixit, ſi fortè Regem videat auro multo, & margaritis, ac purpura refulgentem, vltrà iàm non vult tugurij pauperis recordari, nec penuriæ ſuæ ad animum reuocare memoriam, ſed agit omnia, quatenùs poſſit à ſplendore, & gloria Regis, quem contuens admiratus eſt, & dilexit, inſeparabilis effici. Ità & Paulus, vbi perſpexit illa,

Rom. 4 ibi: Sed. & gloriamur in tribulationibus &c.

Ibid. 8.

1. Corinth: 4.

quæ in cœlis ſunt, contempſit iſta, quæ egeſtatis, & ſqualoris in terra plena ſunt, & cùm hominibus quidem prò neceſſitate terreni corporis conuerſabatur: mente verò, & ſolicitudine totum ſe illùc transferebat, quò eum amoris ſui ducebat intentio, etiamſi triſte hìc aliquid perferebat, animo ibi occupato non ſentiebat: & ſi delectabile, & ſuaue aliquid videbatur, illa delectatio, & illa ſuauitas, quam per ſpiritum contuebatur, delectationes huius ſuauitatis obſcurabat. In tantùm enim ſuccenſus erat igne Chriſti, vt ei etiàm ſi flammas mortales, adhibeas, neſciat, non ſentiat, non vratur. Multò namque vehementior eſt ignis Chriſti, quo vritur per amorem. Non enim Paulus erat, ſicut nos mercenarij, qui timore gehennæ regnum Chriſti requirimus: ſed ille alio quodam pacto multò præſtantiore, ac beatiore deſiderio conſtrictus, ità fert omnia, vt ex his, quas patitur, pœnis, ſolatia magis amoris ſui capiat, quàm dolorem corporis ſentiat. Ità enim totam mentem eius deuinxit amor Chriſti, vt etiam hoc ei, quod præ cæteris omnibus amabilius erat, eſſe cum Chriſto rurſùm idipſum, quia ità Chriſto placeret, contemneret: ſed & cœlorum regno, quòd videbatur laborum eſſe remuneratio, pro Chriſto nihilominùs carere pateretur, ab ipſo etiàm Chriſto anathema eſſe prò Chriſto optabile haberet. Sed fortaſſe minùs planum videtur eſſe, quòd dico: quòd tamen, ſi explanare voluero, tunc iàm non obſcurum, ſed incredibile videbitur his dumtaxat ipſis, quibus priùs videbatur obſcurum. Quòd tamen etiàm beatus ipſe, quia incredibile nobis futurum eſſe perſpexit, cùm quadam proteſtatione ſignauit, dicens: Veritatem in Chriſto dico: non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spi-

Conſule ad intellectum, eundem Chryſoſt. hom. 29. in Gen. vel mihi 5. Et Et Hieronym. in Ion. c. 1. circa initium. Et in Zachar. c. 14. verſ. In die illa &c. circ. fin. Vide quoque [illegible]

Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ, (Rom. 9.) Et tamen cùm protestatus sit, & cõscientiam suam ad testimonium inuocauerit, adhùc minùs credibile videtur apud homines, quòd ab ipso velit anathema fieri, prò quo vult, & anathema fieri. Quid verò illud est, quòd cum disputasset de his, quæ in hoc sæculo agerentur, malis, addidit, dicens: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Et enumerans omnia, quę in terris sunt, ascendit etiam in cœlum: Et ostendere volens, quia nihil magnum est, si contemnat terrena supplicia proptèr Christum, adiecit etiam hoc: *Neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quòd autem dicit, tale est: Non solùm homines abstrahere me non possunt ab amore Christi, nec Angeli quidem, neq; omnes simul virtutes cœlorum, si conueniant in vnũ, ab eius charitate separare me nõ possunt: nec si à regno decidere me necesse sit, aut etiàm in gehennam tradi pro Christo, nè hoc quidem mihi metuẽdum est. Quòd enim ait; Altitudo, & profundum, vita, & mors: non aliud mihi indicare videtur, quã regnum cœlorum, & gehennam. Hæc autem dicebat, non quod Angeli affectare possent eum aliquando à Christo separari, sed etiàm ea, quæ impossibilia sunt. Verbi gratia, fieri posse dixit, magis quàm se à Christi amore seiungi, vt per hæc, quanta in eo vis esset Dei charitatis, ostenderet. Hìc enim

Rom. 8.

Nota hunc cogitatum; & quã sublimis sit, perpende.

Aduertè, quomodo in ipso sermone de Iesu Christo, amor in ipsum, & dilectio augescebat: & verba veluti scintilla quædam, simul iuncta ignem magnũ conflabant.

amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessarijs suis, & charis efferunt, & produnt, & flammas suas intrà pectus cohibere non possunt. Enarrant frequentiùs: vt ipsa assiduitate narrandi immensi amoris sui solatium capiant, & refrigeria immensi ardoris assumant. Sic ergo facit beatus hic, & eximius amator Christi. Omnia, quę sunt, & quæ erunt, quæque accidere possunt, & quę omninò accidere non possunt, simul sermone vno complectitur, visibilia, & inuisibilia, omnem requiē, cunctaque supplicia, & quasi non sufficientibus bonis solis, ad amoris sui vim, & magnitudinem cōplectendam, assumit & tristia. Sed & ea, quæ non sunt, commemorat, vt ostendat, quia etiàm, si essent ea, quæ non sunt: se tamen mouere à proposito, aut mutare non possent. Nèc creatura alia, vtique de his dicit, quæ non sunt. Quod si illi non sufficiunt omnia, quæ sunt, vt moueatur à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, sed & ea, quæ non sunt prouocat quodammodo ad certamen, & ab initio ad tàm excelsa conscendens, nos qui iubemur eius esse imitatores, nèc istas quidem ferimus tribulationes, quæ communes nobis habentur cùm cæteris, sed dissoluimur, & relaxamur, & quasi febribus defatigati deficimus, tanquàm longa, & diutina ægritudine consumpti, & de omni sanitatis spe penitùs desperamus. Diligamus, quæsò, non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Neque solùm diligamus proximum nostrum simpliciter, puro corde, non ficto, sed etiàm deamemus, Non enim dilectionem tantummodò sine simulatione esse oportet, inquit Apostolus, sed & auctam, & feruentem, & ignitam. Quæ namquæ fuerit vtilitas, si præter dolum quidem dilexeris, non dilexeris autem feruenter? Vndè & dicit

Iuxta illud: Concaluit cor meū intrà me, & in meditatione mea exardescit ignis: *Hoc est:* Exarsit zelus, qui est quidam ignis, & feruor in interioribus meis.

Nota.

1. Cor. 13.

Rom 12.

Ex eodē Chrys. hom. 21. in epis. ad Rom.

dicit Alius: In alium dilectione propensi; hoc est, & feruenter dilige. Noli in hoc consistere, vt diligaris ab alio, sed tu potiùs erga alium prior diligendo prosili. Ità quippè & eius, qua ipse te diliget, dilectionis mercedem recipies. Posita itàque causa, qua debeamus nos inuicem diligere, subiungit etiàm quomodo fiat, vt immotè persistat nostra dilectio. Vndè & subdit: Honore alius alium præcedentes; Hac quippè ratione,& nascitur dilectio, & nata perdurat. Nihil enim ità facit amicos, vt studiũ illud proximum honorando, vincendi. Non autẽ dilectio solùm hinc nascitur, sed & maior honor. Nàm ex dilectione quidem, quæ supradicta sunt, oriuntur: ipsa verò dilectio, ex honoris adhibitione, quemadmodum, & honorandi studium vicissim ex dilectione est. [*Seruilis est timor, quandiù ab amore non manumittitur: & qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Bernar.*] Diligamus Deum tota mente, & in tota anima; laudemus, & superexaltemus Dominum, qui dignos nos facit, vt amemus Maiestatem eius, antè cuius conspectũ commouentur abyssi: ipsę quoque Angelicæ potestates timent, & supernæ Virtutes. Est autem mens non aliud quicquàm præter animam, verùm purissima ipsius portio. Quodque est in corpore oculus, hoc in anima mens est. Anima inter Deum, & materiam quodammodo interiecta est, atque inter, ac medio loco constituta, vnientes quasdam ad vtrumque facultates obtinet, mentem nempè ad Deum, sensum autem ad materiam. Ac quidem, cùm sensus materiæ copulatur, ac rebus sensibilibus affigitur, anima quoque ipsis simul astringitur, ac mens item, non naturæ, sed habitudine quadam, & affectione ab ijs constricta. Cùm autem anima sensu simul

Ex Elia in Or. I Greg. n. 8.
Quid sit mens.
Ex eodẽ ibidem n. 152.
Anima inter Deum,& materiam, media est.

mul cùm sensilibus prorsus excusso, vinculisque ijs, quibus materiæ astricta est, perductis, eaque affectione qua ad sensibilia propendet, ad mentem, & res superas sese conuerterit, Deo rursùm ineffabili, & incognito modo copulatur, atque à multis varietatibus ad diuinæ similitudinis simplicitatem, quòad eius fieri potest, colligitur, res hasce inferiores nullo omninò modo curans. Affectio verò est ex eorũ genere, quæ varias significationes habent; Nàm & corporea affectio dicitur, vt morbi ipsi, & vulnera: & item animæ affectio. Est autem communitèr, & in genere affectio, quàm voluptas, & dolor sequitur. Dolor enim affectionem sequitur: nec tamen affectio ipsa est dolor. Idque ex ijs, quæ sensu carent, perspicuum est, quæ quàmuis afficiantur, non tamen dolent. Affectionis autèm animę hæc est diffinitio: Affectio est sensibilis appetentis facultatis motus, proptèr obiectam boni, aut mali speciem. Ac boni quidem species animo obiectã cupiditatẽ mouet: mali autem iracundiam.

Ex eodẽ in Or. 1 Nazian. n. 59.

Diuersitas autem humanæ affectionis ex diuersitate voluntatis est, quæ si praua est, peruersis enim moribus inquieta, si autem recta, non solùm non culpabilis affectio hominis erit, sed etiàm laudabilis. Sancti verò Angeli, cùm & sinè irà puniant, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, & miseris sine miseriæ compassione subueniant, & periclitantibus eis, quos diligunt, sine timore opitulentur, tamen istarum nominà passionum consuetudine locutionis humanæ etiàm in eos vsurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem, sicut ipse Deus secundũ scripturas irascitur, nec tamen vlla passione turbatur.

Ex sententijs Aug. n. 151. t. 3.

Ex Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 5.

Hoc

Hoc enim verbum vindictæ vsurpauit effectus, non illius turbulentus affectus. Plures nostrum, cũ lapsi fuerint, cum errauerint, emendari se iustæ misericordiæ arguitione fastidiunt: & combinari malunt peccatoribus, quàm per iustorum correptionem ad pœnitentiam retorqueri. Tenuit autem egregiè rationem veri propheticus sermo dicens: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit. Est enim misericordiæ modus, & miserandi adhibenda iustitia est. Dolor quidem potest esse erga nos, quorum crimina grauia sunt; sed misericordiæ locus nullus est? Misericordia enim se ad veniam de Deo orandum his, quæ sunt gesta, deflectit. Cæterum veniam præstare illicitis, non est misericordiã præstare, sed iustitiam misericordiæ non tenere. Quam rationem diligentissimè Apostolus Ioannes retinuit dicens: *Si quis scit fratrem suum delinquere, sed non ad mortem: petat, & dabit illi Deus vitam: Est enim peccatum ad mortem, sed non pro eo dico.* Quod autem iustus in misericordia corripere, atque arguere eum, qui lapsus sit, debeat: Beatus Paulus docet, dicens. *Fratres, & si præuentus fuerit homo in aliquo dicto, vos qui estis spiritales, consummate eum in spiritu lenitatis.* Sed, nè ipse quidem rationis iustæ misericordiæ immemor fuit. Præuentum enim in delicto, non voluntate delinquentẽ consummari per argutionem iubet. Atque ideò propheta cùm ait: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: & fidei suæ, & humanæ infirmitatis memor corripiendum se in his ait, quæ iustæ misericordiæ argutione sunt digna.

Ex Hilario in Psal. 141. vers. Corripiat, &c.

1. Ioan. 5.

Galat. 6.

A Deo, cuius thronus flammæ ignis, & currus ignis accensus, cuius denique omnia flammea sunt, expetamus humilitèr amoris alas, vt ascendere possimus

Daniel. 7.

possimus

simus ad montem excelsum valdè, qui Christus est. Pinguissimus planè, & vberrimus mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: siquidem vnxit eum oleo lætitiæ præ participibus suis. Mons cœlestium aromatum, mons charismatum spiritualium: non ad mensuram accipiens spiritum, sed omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum. Magnus mons, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi sunt, in quo tota humanitatis veritas, tota diuinitatis inhabitat plenitudo: excelsus, & immẽsus: in qua omnia instaurantur, quæ in cœlis, & quæ super terram, vt sit Deus omnia in omnibus. Venite ascendamus in hunc mõtem, fratres, & si via nobis videtur ardua, exoneremus nos: si arcta, etiam exinanire nos, non parcamus: si longa, tantò magis festinemus: si laboriosa, clamemus ei: Trahe nos post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.

Ex Bernar. ser. de Verbis Psal. Quis ascendet, &c. Psal 44. Psal. 67. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, &c. *Colos 2.* Consule Hier. in Esaiam cap. 11. vers. 1.

(Magna gratiæ commendatio: nemo venit, nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quarè illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare, semel accipe, & intellige: Nõ traheris, ora, vt traharis.) Obsecro, cogitemus Deũ factorem nostrum, cogitemus benefactorem, cogitemus patrem, cogitemus Dominũ. Ad omnia reos nos esse fateamur, libeat flere ad omnia. Recogitemus quid filius Dei, Verbum Dei, & Deus misericordissimè dignatus sit esse pro nobis.

Ex Aug. tract. 26. in Io.

Luce clarius patet, quantummodò dispendium fecit: de Domino seruus, de diuite pauper, caro de Verbo, & de Dei filio, hominis filius fieri non despexit. Memores simus, etsi de nihilò hominem factum, non tamèn de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per

Ex Bern. ser. 11. super Cant. cir. fin.

totos

totos triginta annos operatus eſt ſalutem noſtram in medio terræ. O quantùm laborauit, ſuſtinens carnis neceſſitates, hoſtis tentationes: nonnè ſibi crucis aggrauauit ignominia, mortis cumulauit horrore. Neceſſariè quidem: Sic homines, & iumenta ſaluaſti Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo*. Et: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Alibi: *Exaltari oportet filium hominis: Sæpiſſimè nobis commendans quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis. Primogenitus in multis fratribus vocari voluit*. Et poſt glorioſam reſurrectionem ire ad fratres ſuos mulieribus præcepit. Sicut vires corporis moriuntur, & omnem ſenſum amittunt: ità & anima, cùm multis detinetur affectibus, virtuti moritur: & ſi quid attuleris, non ſentit, ſed ſiue ſupplicium, ſiuè quodcumque aliud minaberis, nullo ſanè ſenſu mouetur. Quamobrem, dum habemus ſalutis ſpem, dilectiſſimi, dum conuerti poſſumus, omnia faciamus. Qui enim non dolent, tanquàm deſperātes gubernatores, naui ventis commiſſa, nihil ſibi opitulantur. Cùm enim inuidus, vt cupiditatem ſuam expleat, tantùm intuetur, & ſi pœna impendat, ſi interneeio, eo dumtaxat affectu poſſidetur: itidem & impudico, & auaro vſuuenit. Quod, ſi affectuum tanta vis eſt, longè maior virtutis: ſi proptèr illos mortem contemnimus, longè magis proptèr hanc: ſi illi animam ſuam contemnunt, quid nos pro ſalute noſtra facere oportet? Quæ nobis erit excuſatio, ſi cum perditi homines tantoperè perditioni ſuæ incūbant, nos pro ſalute noſtra nullam adhibebimus diligentiam? (Obſecremus itaque authorem vitæ, largitorem donorum omnium, Deum, vt abundan-

Ioan.3. *Matth.16* *Ioan.12.* *Rom.5.* Nota.

tèr infundere dignetur cordibus nostris amorem suum; quia, vbi venerit amor, omnes in se transfert, & captiuat affectus: & sic spiremus virtutis vnguentum, tanquàm Christi discipuli.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Incarnationem Verbi Dei propter nos homines, & propter nostram salutem, quis dignè eloqui, vel cogitare vnquàm poterit? Beneficium profectò maximum, & immensum. Diuini amoris erga hominum genus testis fidelissimus. Verus enim ille mediator, in quantum formam serui accipiens, mediator effectus Dei, & hominum, homo Christus Iesus, cum in forma Dei sacrificium cũ Patre sumat,, cùm quo & vnus Deus est, tamèn in forma serui, sacrificium maluit esse, quàm sumere: nè vel hac occasione quisquàm existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificiũ: quæ cùm ipsius capitis corpus sit, seipsum per ipsum discit offerri. Huius veri sacrificij multiplicia, variaque signa erant sacificia prisca sanctorum, cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquàm verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur. Huic summo, veroque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt. Gratia Dei non potuit gratiùs commendari, quàm vt ipse vnicus Dei filius, in se incommutabiliter manens, indueretur hominem, & spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio: quò ad illum ab hominibus veniretur, qui tàm longè erat immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, iustus ab impijs, beatus à miseris. Et, quia naturaliter indidit nobis, vt beati, immortalesque esse cupiamus, manẽs beatus

Ex Aug. lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 20.
1. Timoth. 2.
Philip. 2.

Ecclesiæ quotidianum sacrificium.

tus, suscipiensque * mortalem, vt nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus. Caueamus offendere quem tantoperè diligere debemus. *Al. immortalitatem.*

Simus, quæsò, in meditandis Incarnationis Dominicæ mysterijs admirandis, & inexplicabilibus Sacramentis vehementes,& incensi. Quid est illud, quod in Euangelio legitur: Puer pannis inuolutus, & positus in præsepi: & Virgo post partum incorrupta Mater complectitur filium. Emittamus illam prophetiæ vocem: *Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Domini Virtutum, in Ciuitate Dei nostri*. Num hæc,quæ audiuimus de Christo,fortuna,& casu contigerunt, & scripta sunt, an historiæ subest aliqua ratio? Quid sibi vult hæc Domini in antro sedes? hæc in præsepi reclinatio? Cur tempore descriptionis tributorum in vitam ingreditur? An perspicuum est,eum, quemadmodũ à Legis execratione nos eripit, factus ipse pro nobis execratio, & liuores nostros in se transfert, vt eius liuore nos curemur; sic etiàm vectigalem fieri, vt nos à grauissimo vectigali, quod ab homine mors exigit, liberaret? Quod autem speluncam vides, in qua paritur Dominus, cæcam hominum vitam, & sub terra demersam cogita, in qua nascitur ille, qui in tenebris ambulantibus, & in regione vmbræ mortis sedentibus se ostendit, pannis autem obuoluitur, & fascijs constringitur, qui peccatorum nostrorum catenas subit, & vincula. Præsepe verò,in quo Verbum gignitur, bestiarum est domus, vt cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Per bouem intellige illum, qui legis iugo subiectus est: per asinum autem, quod est animal ferendis oneribus natum, eum, qui simulachrorum cultus onustus

Ex Nissen. or. in diem Natalem Domini nostri Iesu Christi col. 7.
Psalm 47.
Galat. 3.
Esai. 53.
Christus nascitur in spelunca
Esai 9.

est crimine. Cæterum commune rationis expertiũ
Psal. 103. animalium pabulum, & vita fænum est: *Produceens*, inquit propheta, *fænum iumentis*. Quod autem ratione præditum est animal, vescitur pane; idcir-
Joan. 6. cò in præsepi, quod est animalium ratione vacantium sedes, è cœlo delapsus, vitæ panis proponitur, vt & quæ à ratione remota sunt animalia, rationis cibo nutriantur, atque ità ratione decorentur.

Medium igitur in præsepi se inter bouem, & asinum, vtriusque Dominus locat, vt medium pariete maceriæ soluens, duos condat in semetipso in vnũ
Ephes 1. nouum hominem: ab altero graue legis iugum eripiens, alterum simulachrorum cultus onere liberãs.
Ex Chrysost. or. de B. Philogoni col. 7. Meritò itaque, si quis Natiuitatem Christi Iesu secũdum carnem appellet Metropolim omnium festorũ, haud quaquàm aberret. Ab hoc enim illustratio Dei, festum videlicèt Epiphaniorum, ac sacrum Pascha, Ascensio, & Pentecoste originem, ac fundamentum ducunt. Nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquam baptizatus esset, nàm id est festum Theophaniorum. Nequaquàm fuisset crucifixus, nàm hoc est festum Paschæ. Nequaquã misisset Spiritum sanctum, quod est festum Pentecostes. Itaque ab hoc, ceù fonte quopiam, hi diuersi omnes orti, nata sunt nobis hæc festa. Verùm non ob hoc tantùm par est hunc, diem cæteris anteponi, sed etiam ob id, quod in quòd in hoc natum est, cæteris omnibus est venerabilius. Nam, quod Christus homo factus mortuus est, cùm nullum omninò peccatum perpetrasset, quid huic amplius poterat adiungi miraculo? Sed mortale corpus assumpsit: Erat quidem, & hoc admirandum. Cæterum, quòd Deus cùm esset, voluerit homo fieri, tantùmque se dimittere sustinuerit, quantùm nè cogitatione quidem

dem

dem complecti queas, hoc est omnium maximè reuerendum, stuporisque plenum. Quod quidem, & Paulus admirans dicebat sinè controuersia magnum pietatis mysterium. Quod magnum? Deus declaratus in carne. Ac rursum alibi: Non enim Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehēdit: Vnde debuit per omnia fratribus assimilari. Propter hoc potissimum amplector, diligoque diem hunc, & amorem eius in medium propono, vt vos huius amatoris pharmaci participes reddam. Eoq; rogo vos omnes, obsecroque, vt summo studio, summaque cum alacritate velitis adesse, sed priùs suam quisque domum repurget, vt videamus Dominum nostrum in cunis iacentem, ac fastijs inuolutum, horrendum, ac stupendum spectaculum. Descendit olim Deus in rubum, vt liberaret Iudæorū populum de manu Aegyptiorum: vt verò erueret mundum vniuersum de potestate diaboli, & ianuas cœli iàm clausas aperiret, inclinauit se in vterum Virginis semper splendidæ, fæcunditatis quoque singulari dono decoratæ: cuius virginea fæcunditas figurabatur in rubo, qui ardens non comburebatur. Inclinauit cœlos, & descendit, vt celerius adesset, cœlos veluti contraxit versus terram, celeritatis studio non eos aperuit ad descendendum, & inclinauit secum, & in terras traxit. Deiecit se quodammodo, vt consuleret hominum saluti, & homo fieri voluit: velocitatem Angelorum, Seraphim amorē reliquit in cœlis, & prætiosam margaritam; sed descendens de suo throno, & donans seipsum, cætera omnia nobis donauit.

1. Timoth. 3.
Hebreor. 2.
Exodi 4.
Psalm. 17.

Paruulus factus est, & infantulus fuit, vt homo possit esse perfectus. Ille inuolutus pannis, vt homo mortis laqueis absolueretur. Ille in præsepibus,

Ex Ambros. in Euang. Luc. cap. 2.

Ioan. 14. vt homo in Altaribus: Ille in terris, vt homo in Altaribus. Ille in terris, vt homo in cœlis: Ille
2. Corinth. 8. locum in diuersorio non habebat, vt homo plures haberet in cælestibus mansiones. Qui, cum diues esset, propter vos pauper factus est, vt illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas, illius patrimonium est, & infirmitas Domini, mea est virtus. Maluit sibi egere, vt omnibus abundaret. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta lauerunt. Plus igitur, Domine Iesu, iniurijs tuis debeo, quòd redemptus sum: quàm operibus, quòd creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Sed nemo intrà vsum corporis formam omnem diuinitatis includat. Alia natura carnis est, alia diuinitatis gloria. Propter te infirmitas, in se potentia. Propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc æstimare, quod cernis: sed quod redimeris, agnosce. Quod in pānis est, vides: quod in cœlis est, non vides? Infantis audis vagitus, non audis bouis Dominum agnoscentis mugitum?

Esa. 1. *Agnouit enim bos possessorem suum, & asina præsepe Domini sui:* immò præsepium dixerim, sicut dixit, qui transtulit: nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nàm

Demosthen in orat pro Ctesiphonte. si orator illorum, qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc positas esse fortunas Græciæ, hoc, an illo verbo vsus sit, sed rem spectandam putat: si ipsi philosophi eorum, qui totos dies in disputatione consumunt, minùs latinis, & receptis vsi sermonibus sunt, vt proprijs vterentur; quantò magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vilitas, quod operum miracula diuinorum nullis venustate sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt? (*Hieronym. in Esaia* 55.

Eam

Eam sectandam, *inquit*, sapientiam, quę non est in folijs, ac flore verborum, sed in medullis, ac fructibus sensuum, quæ non autem præteruolat, sed animum reficit.) Sanctus Rex Ezechias quærebat salutem, non vt pænas vitaret, vel regnaret in cœlis, sed, vt Deum laudaret cum illis, de quibus dicitur: *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te*. Propositum enim piæ mentis mercedem non expetit, sed pro mercede habet boni facti conscientiam, & iusti operis effectum. Angustæ mentes inuitentur promissis, erigãtur speratis mercedibus: bona mens, quæ sine responsi cælestis syngraphà certamen arripuit, geminę laudis fructum acquirit sibi: vt & confidentissimæ fortitudinis, & plenissimæ deuotionis gratiam locet.

Isai. 38.

Psalm 83.

Ex eodem Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 8. post initium.

Meritò, ac iure præcipimur, amare Deum ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente: Ad imaginem enim suam conditor Deus fecit animam hominis, quæ tota dicitur anima. Non autem aliud, quàm hominis animam significo, cum mentem dico, sed propter aliud animam, & propter aliud mentẽ. Nam totum quod viuit, hominis anima est. Cum autem anima in se agit se, & ex se, & per se sola, mens dici solet: sensus verò ad sua ministeria implens, consuetiùs anima dicitur. Mens ergo scire gignit, & amat scire quod scit. Non illud scire dico, quo repentè scitur res aliqua, quæ ante nesciri putabatur; sed illud vndè & aliquid, & omne quidquid scitur, vel nescitur, sciri potrst. Illud enim scire mens gignit, & cum genitum est, scientia potest dici. Sunt ergo iàm duo, mens, & quod ipsa mens scit: restat tertium vtriusque commune. Omnis mens quidquid scit, amat. Amor non minùs

Genes. 1.

Ex eodem Ambros. libello de Dignitate conditionis humanæ cap. 2. to. 1.

quàm

quàm inter duos est, amantem, & quod amatur: Vnus est ergò amborum amor, qui & tertius est. Nō autem potest negari hoc totum, vnam esse animam, & vnam animam, hæc tria esse. Sicut enim hæc tria verè vna anima sunt, sic non minus verè vna anima est hoc vnum, & hoc alterum, & hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tàm eminens creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc, & multùm supra se amoto, quod omnis bonitas, & omne bonum, & omnis bonitatis, & boni dulcedo creatoris à se ipso est. Creatura verò non solum quod est, sed etiàm quod talis est, ab alio est, non à se: & ipsa quod est, semper est, licèt & ipsa anima modo quodam suo incommutabilis est Nàm semper anima semper est, postquam esse ceperit, & scit, & scire vult. Comparet ergo, vt dixi, se anima eo modo, quo potest creatori suo, vt dicatur mens pater, quia gignit scire, dicatur scire filius, quia ex alio est, & non est aliud, quàm ipsum ex quo est: dicatur amor Spiritus sanctus, quia amborum est corū, qui se amant. Vndè in nostris scripturis sæpius amor, id est charitas, quæ in Deo est erga nos, & quæ à nobis in Deum, spiritus ipse appellatur.

Rom. 5. Rom. 8.

Populus redēptus pretioso sāguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, & in toto corde crebrò dicat Domino: In manus tuas commendo spiritum meum. Deponamus spiritum in manus Dei, qui verax est, & potens seruare depositum nostrum in diem illum timoris, & formidinis. De sponso Ecclesiæ, qui est benedictus Deus in sæcula, Iesus Christus, legimus in Canticis: Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ Tharsis, seù hiacynthis. Tornatæ quippè sunt, quia misericordia eius semper circumdat peccatores, quibus indulgere lætatur. Vt

eruat

eruat à peccatis, & saluet illos, quia sperauerunt in eo. Fælix prorsùs, cuius anima in suis manibus tuta quiescit, quia nemo eam potest de manu tàm forti eripere. Manus istas aureas, plenas odoramentorũ, virtutem vndique spirantes, quia Dei perfecta sunt opera, vinciri permisit Iesus Christus, qui venerat cunctos soluere, quos non despexit: plenæ saphirinæ lucis sunt; lux quippè lucis, & fons luminis venit dissipare tenebras, visitans eos, qui sedebant in obscuris: & vita cum esset, vitam dare sedentibus in vmbrà mortis.

Beatus ille, cui manum sapientia tenet, Vtinam meos quoque teneat actus, teneat manum iustitiæ, teneat Dei Verbum, inducat in penetralia sua, spiritum auertat erroris, conuertat saluti, dari mihi iubeat manducare: Panis enim cœlestis, Dei Verbũ est. Indè & illa sapientia, quæ diuini corporis, & sanguinis sacrosancta altaria repleuit alimentis: *Venite*, inquit, *edite panes meos, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Animæ sanitas, & salubritas mentis est, vt affluẽtia cesset erroris, sistatur culpa, nè serpat. Cessante incentiuo culpæ, atque delicti, salus tuta est, atque inoffensus vigor animæ se refundit. Vndè semper epulari debet animus bonarum operum cogitationes, vt prudentiæ succo mens inebriata pinguescat, quò non facilè diluuij corporalis cedat iniuriæ, atq; arida in Cunæ situ euirata moriatur. [*Iuxta illud: Sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt: Matth. in parabola de seminibus cap.* 23.] Ideoque nos admonet Dominus à fonte sapientiæ non recedere, pocula virtutis haurire, nè quis sole iniquitatis arescat, & procellam persecutionis sustinere non possit; Scriptum est enim: *Quod*

Ex eod. Ambrosio in Lucã cap. 8, circ fin, to. 3.
Cantic. 1.
Luca 8.
Ioan 6,
Prouerb. 9.
Ex eod. Ambrosio lib de Noe, & Arca cap. 17
Ex eod. ibidem cap. 15.
Baruch. 3.
Luc. 13.

Vulgata legit: Quia, si in viridi ligno hoc faciunt, &c.

in humido hoc faciunt, in arido quid fiet? De cœlo respicit Dominus, & de preparato habitaculo suo super omnes, qui habitant terram: *Psalm.* 32. misericors est enim, miserator, & continuò miseretur. Respicit, vt omnibus misereatur; quia, nunquam respectus eius sine misericordia fuit. Conuersus Dominus Iesus respexit Petrum, & fleuit amarè. *Lucæ* 22. Suspiciens vidit Zacheum publicanum, & saluum fecit illum: *Ibidem* 19. Saluberrimus quidem intuitus, qui à morte animam liberat, & præstat vitam. Oculi Domini super timentes eum. Oculi Dei, aspectus diuinitatis, super timentes eum, qui eum timent timore sancto. Deus enim sperantes in se inspectione cælesti protegit, ac defendit. Beneplacitum quippè est Deo super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.

Ex Hyeronimo Ibidem: aliquibus additis, & mutatis.

Psalm. 18. ibi: *Timor Domini sanctus, &c.*

Psalm. 146.



DE

DE DILECTIONE DEI, ET PROXIMI.

LIBER SECVNDVS.



VNC manent, fides, spes, charitas: tria hæc, maior autem horum est charitas. Cithara quidem est charitas ipsa, voces loquentes, verba, quæ ad conciliandam charitatem pertinent, omnes in vnam suauem conspirant consonãtiam. [Mihi plectrũ bonũ, & lyra concinna effectus es: in in mentibus nostris inhabitastis, &c. *Nazianz. epist.* 240. *quæ est, Amphilochio.*] Musicus verò est charitatitatis vis, illa dulcem melodiam pulsando affert. Vellem te ducere in Ciuitatem talem, siquidem possibile, vbi anima vna esset, & videres quomodo, quauis citharà, & tibià consonantius, & suauius omnia sonant, nihilque absurdi sit. Hæc melodia, & Deũ & Angelos lætificat. Hoc totum in cœlo spectaculum excitat, hoc & dæmonum furorem compescit, & afflictionem demulcet impetus. Hæc melodia non solùm affectiones compescit, sed nec exurgere sinit, magnũque silentium facit: quemadmodum etiam in spectaculo, musicorum chorus: omnes .n. tum cum silentio audiunt, & nemo interturbat. Ità & inter amicos, dum charitas citharam pulsat omnes affectiones silent, ac dormiscunt, quasi bestiæ blanditijs demulsæ, ac mitigatæ. Igitur, sicut in inimicitijs contra eueniunt omnia, sed de illis nunc nihil loquamur, de amicitia dicamus solum. Si di-

1. Cor. 13. Ex Chrys. hom. 40. in Acta col. pen.

xeris aliquid temerarium, nullus est qui assumit, sed omnes ignoscunt: si feceris, nullus suspicatur, sed magna est condonatio: omnes cadenti manum alacritèr porrigunt, omnes prōpti sunt, vt sistant. Verè amicitia murus est, qui non rumpitur, & nec à diabolo capitur, nedùm ab hominibus. Non potest in pericula incidere, cui plurimi sunt amici. Non est possibile, vt sit occasio iræ, sed vbique materia suauitatis offertur. In risu semper est, ac delicijs. Nullus etiam inuidiæ fomes est, vel vltionis inferendæ cupiditati locus. Vide, vt talis, & spiritualia, & carnalia facilè corrigere potest. Quid igitur huic conferendum? Quasi ciuitas quædam mænibus vbique cincta, talis est: alius autem est, quasi sine muris ciuitas. Magnæ sapientiæ est posse esse amicitiæ cōditorem. Tolle amicitiam, & omnia sustuleris, omnia confuderis. Si autem imago amicitiæ tantam vim habet, ipsa veritas, quid non valebit? Oro igitur, vt multos amicos nobis paremus, & hanc vnusquisque habeat artem. Sed ecce, inquit, ego quidem valdè hoc curo, sed non idem alijs etiam alijs placet. Itaque maior tibi merces erit. At dicis: Verùm est: sed difficultas etiam amplior. Quomodo dic, oro. Ecce testificor, & dico: Si decem soli sic firmiter coniungeremini, & vt apostoli opus prædicationis, vt prophetæ doctrinæ opus habent: ità etiam vos opus faciēdi amicos in manus acciperetis, merces futura esset magna. Regias nobis imagines faciamus. Hoc enim simbolum est, quo noscuntur discipuli, & quodammodò non minùs operamur, quàm si virtutem illis excitandi mortuos daremus. Diadema, & paludamentum ostendit Regem: & si hæc non sint: Licèt aureas vestes habeat, nondùm Rex est manifestus. Ita etiam nunc, fac hoc symbolum,

bolum, & facies tibi, & alijs amicos. Discamus, quomodo contemperentur colores, per quos illa imago constituitur. Exhibeamus nos ad colloquiũ faciles, nè expectemus proximos: nè dicas: si videro aliquam expectantem, deterior eo afficior: sed magis quando videris, assume, & extingue eius affectionem. Vides ægrotantem, & auges morbum? Hoc maximè antè omnia faciamus, vt præueniamus mutuum honore. Itaque, si præueneris honore, te ipsum magno honore ornasti, accelerans, vt magis honoreris: vbique primatũ alijs concedamus, nihil eorum, quæ erga nos facta sunt, malorum cogitemus, sed si quid bonum. Nihil sic facit amicum, vt lingua, gratitudinis studiosa: os benè loqui solens, anima sine fastu, contemptus vanæ gloriæ, contemptus honoris.

In libro Apocalipsis Beati Ioannis Apostoli legimus: *Viginti quatuor seniores ceciderunt corã Agno, habentes singuli citharas*: Et alibi: *Et vox quem audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis*. Vox citharœdorum valdè est dulcis audientibus. Et quid dulcius fidelibus, quàm memoria sanctorum in cœlis commorantium? Dum, quanta sit eorum gloria, memoria pertractant, absque vt ad hanc quandoque perueniant, suppliciter exorant? Iubetur propheta plaudere manu, & percutere pede, iubetur psallere, quia sponsi nuptias iam videbat, in quibus desponsatur Ecclesia, Christus adamatur. Et bonæ nuptiæ, quando Verbo anima, spiritui caro nubit. In his propheta Dauid nuptijs ludere nos voluit, ad has inuitanit, quia suos posteros copulabat: & ideò lætior, quàm cęteri, quasi in ipso actu nuptiarum positus, nos ad celebritatem festi muneris ad hortatur, dicens: Exultate Deo

Apocalid. 5.
Ibidem.
Ex Ambros. ibidem.
Ex eod in Lucæ cap. 7. post initium.
Psalm. 136.
Psal 65. ibi: In flumine pertrãsibunt pede.
Apocal. 19.

adiu-

adiutori nostro, iubilate Deo Iacob. Sumite Psalmũ, & date tympanum, psalterium iucundum cum cithara. Nonnè actum quendam Prophetæ psaltantis aduertis? Deniquè alibi: Psallam tibi in cithara, sanctus Israel. Gaudebunt labia mea, cum cantauero tibi, & anima mea, quam redemisti: Audis citharizantium voces, audis saltantium strepitus? Nuptias crede. Sume & tu citharam, vt pulsata spiritus plectro interiorum chorda venarum, boni operis sonum reddat. Sume & psalterium, vt harmonia dictorum, factorumque suorum concinat. Sume, & tympanum, vt organum tui corporis spiritus moduletur interior, factisque operantibus, dulcis morum suorum suauitas exprimatur. Sic psallebat Propheta, cum diceret: *Veni huc à Libano, Sponsa, veni huc à Libano.* Hoc canticum cecinerunt pueri, nèc auditi sunt. Qui pueri? De quibus dicit. *Ecce ego, & pueri, quos dedisti mihi*. Sed hoc canticum, non in foro, non in plateis canebatur, sed in Hierusalem: Ipsa est enim Dominicum forum, in quo præceptorum cœlestium iura conduntur.

Cant. 4.
Esaia 8.

In Psalmis quoquè dictum à Propheta, intelligimus: *Confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus*: Habet enim citharam suam anima nostra. Neque enim diceret Paulus: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente: nisi haberet citharam, quæ plectro sancti Spiritus resultaret. Cithara est caro nostra, quando peccato moritur, vt Deo viuat, Roman. 6. Cithara est caro nostra, quando septiformem accipit spiritum in Baptismatis Sacramento. Testudo enim dùm viuit, luto mergitur: vbi mortua fuerit, tegmen eius aptatur in vsum canendi, & piæ gratiam disciplinæ, vt septem vocum discrimina numeris modulantibus obloquatur. Similitèr caro nostra,

Psalm. 42. ver vltim.
Ex Ambr. ibid.
1. Cor. 14.

Nemo enim meliùs viuit, quàm qui peccato moritur. *Iuxta illud*: Tu septiformis munere, &c.

ſtra, ſi viuat illecebris corporalibus, in quodam cęno viuit, & voragine voluptatum: Si luxuriæ moriatur, atquè incontinenti, tùm veram vitā reſumit, tùm edere incipit bonorum operum dulce modulamen. Dulcis ſonus eſt caſtimonia: Dulcis ſonus timentium Deum. Deniquè in omnem terram exiuit ſonus eorum. Dulcis ſonus eſt fidei, quæ annuntiatur, vt ſcriptum eſt, in vniuerſo mundo. *Pſalm. 18.* *Roman. 1.*

Hic ſonus à nobis exeat ad Deum, ſicut exiuit à Theſſalonicenſibus, vt nos canentes canamus, & bonorum concentu operum prædicemus: cui eſt honor, gloria, perpetuitas à ſæculis, & nùnc, & ſempèr, & in omnia ſæcula ſæculorum. Rurſùs in alio Pſalmo reperimus ſcriptum: *Exurge Pſalterium, & Cithara:* Quid vocat, vt ſurgat? Duo organa video, corpus autem Chriſti vnum video, vna caro reſurrexit, & duo organa ſurrexerunt? Alterum ergò organum, pſalterium alterum cithara. Organa dicuntur omnia inſtrumenta muſicorum. Non ſolùm illud organum dicitur, quod grande eſt, & inflatur follibus, ſed quicquid aptatur ad cantilenā, & corporeum eſt, quo inſtrumento vtitur, qui cantat, organum dicitur. Diſtincta ſunt autem inter ſe iſta organa: & volo, quantùm Dominus dat, indicare vobis, & quomodò diſtincta ſunt, & quare diſtincta, & quare vtrique dicatùr, Exurge. Iàm diximus, vna caro Domini reſurrexit, & dicitur: *Exurge pſalterium, & cithara.* Pſalterium, & organum, quod quidem manibus fertur percutientis, & cordas diſtentas habet: ſed illum locum, vnde ſonum accipiunt cordæ, illud concauum lignum, quod pendet, & tactum reſonat, quià concipit aerem, pſalterium in ſuperiore parte habet. Cithara autem hoc genus ligni cauum, & reſonans in inferiore parte habet. Itaquè in Pſalterio cordæ ſo- *1. Theſſ. 1.* *Iuxta illud: A ſæculo, & vſquè in ſæculum, tu es Deus: Pſalm. 56.* *Ex Aug. ibid.* *Nota.* *Pſalteriū quid?* *Cithara.*

num

num desuper accipiunt, in cithara autem cordę sonũ ex inferiore parte accipiunt: Hoc interest inter psalterium, & citharam. Quid ergò duo hæc organa nobis figurant? Excitat enim Christus Dominus noster Psalterium suum, & Citharam suam, & dicit. *Exurgam diluculò* (puto quià hic iam agnoscitis Dominum resurgentem.) Legimus in Euangelio: videte horam resurrectionis, quandiù per vmbram quærebatur Christus? Lux itaquè agnoscatur, diluculò surrexit. Sed quid est Psalterium, quid est Cithara? Per carnem suam Dominus duo genera factorum operatus est miracula, & passiones. Miracula desuper fuerunt, passiones de inferiori fuerunt. Illa enim quæ fecit miracula, diuina erat, sed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergò diuina operans, Psalterium est: Caro humana patiens, Cithara est. Sonet Psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralitici, ambulent claudi, surgant ægroti, resurgant mortui, iste est sonus Psalterij. Sonet, & Cithara, esuriat, sitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. Cum ergò vides iu illa carne quædam sonuisse desuper quædam de inferiori parte, vna caro resurrexit, & in vna carne agnoscimus, & Psalterium, & Citharam.

Math. 28.

Math. 11.

Et ista duo genera factorum impleuerunt Euangelium, & prædicatur in Gentibus: Nam & miracula, & passiones Domini prædicantur. Coniunctas molestias cęteræ virtutes habent, vt sobrietas, modestia, vigilantia, inuidiam, cupiditatem, despectum: charitas autem cum lucro voluptatem ingentem habet, laborem nullum, velùt quædam frugi apicula bona vndiq; collecta in amantis animã comportans. Seruit priuatus quispiam, seruitutem liberalem reddit. Qui amat enim magìs capessere imperium, quàm

Ex Chrys. hom. 32. in 1. ad Cor. col. 12.

Aliàs: Sicut bona apis, quę vbi que sunt bona, colligens, & deponit in anima eius,

quàm imperare gaudet, ſit licèt imperare iucundum. Transfert naturas rerum charitas, & bona omnia manu ſua tenens nobis adeſt, matre quauis begninior, regina quauis inſtructior, quæ laborioſa ſunt, leuia facit, facilem virtutem, acerbiſſimam eſſe malitiam docens. Vide enim: dare, moleſta res eſt alioquì: hæc iucundum facit. Accipere contrà, iucundum, hæc malum eſſe, cauendumque docet: Obloqui cæteris ferè eſt omnibus; illa amarum, honeſtè verò aliorum meminiſſe, iucundum eſſe facit.

eius qui diligit: et ſi quis ſeruiat libertate, iucundiorem reddit ſeruitutem. Beatius eſt magis dare, quàm accipere. *Act.* 10

Amor mundi adulterat animam. Amor fabricatoris mundi caſtificat animam; ſed, niſi de corruptione erubuerit, ad amplexus illos caſtos redire non concupiſcit. Magna vis eſt charitatis, ab omnibus ſeparat, & amato animam alligat. Si Chriſtum ità dilexerimus, omnia præſentia, vmbra, omnia imago videbuntur, & ſomnium: dicemus & nos: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? Non dixit, pecuniæ, an diuitiæ, an ornatus: hæc enim valdè vilia, & deridenda: ſed, quæ videntur eſſe grauia, poſuit, fames, perſecutiones, mortes, & illa quidem, & hæc, tanquam nihil eſſent, contempſit: nos autem propter pecunias à vita noſtra ſeparamur, & à lumine abſcindimur. Et Paulus quidem non mortem, non vitam, non præſentia, non futura, non aliam creaturam, eius charitati præponit: nos autem ſi modicum auri viderimus, accendimur, & ipſius peſſundamus leges. Si verò non hęc cum dicuntur, tolerabilia, multò magis cum fiunt,

Ex Aug. hom. 34. *ex* 50.

Ex Chryſ. hom. 63 *ad Populum &c*, 320. *à tergo*

Magiſtra bonorum omnium charitas, quæ nil ſapit extraneum, nil aſperum, nil confuſum, ità exercet corda, & corroborat; vt nihil graue, nihil difficile exiſtimet, ſed fiat totum dulce, quod agitur. Huius igitùr cum ſit proprium nutrire concordiã, ſeruare coniun-

Ex Greg. epiſt. 12, lib. 7, quæ eſt Syagrio epiſc. Auguſtodonẽſi Vide Martyrol. Rom. & ibi Annotationes du-

plicitèr Illustr. Baronij S. R. Card.

cta, dissociata coniungere, praua dirigere, & virtutes cæteras perfectionis suę munimine solidare, quisquis in eius radices se inserit, nèc à viriditate deficit, nèc à fructibus inanescit: quià humorem fęcunditatis opus efficax non amittit.

Ex Elia in Or. S. Nanzianz. n. 4.

Charitas, mater est animarum. De hac Apostolus: Charitas, inquit, patiens est (seù, vt alij legunt) magnanima, benigna est, &c. Legimus in Prouerbijs Salomonis: Vir longanimis multus est in prudentià: pusillanimis autem vehementèr stultus: *Prouerb.* 14. [*Consule Vulgatam: Vir magnanimus, vt Salomoni placet, prudentia affluit.*] Opponitur enim pusillanimitas animi magnitudini, & longanimitati.

Ex eod. homil. ibid. nu. 137.

Externi quippè sapientes magnanimitatem definiunt animæ virtutem, per quam is, qui hac præditus est, ea, quæ eueniunt, rectè, atquè commodè ferre potest. Est etiam magnanimitas perfecta animi virtus, ac velùt ornamentum virtutum. Magnanimi autem viri præter alia, proprium hoc est, honorem eum, qui à vulgaribus, & abiectis viris, atque ob paruas res exhiberur, aspernari, (alijs enim honoribus dignus est) atquè item contenptum, & ignominiam (nequè enim ea meritò ipsi inuretur) ac prætereà ijs, à quibus offenditur, ignoscere. [*Quoniam igitùr præter alia magnanimus vir, ad veniam dandam quodammodò propensus est, verum ijs, qui in ipsum peccant. Non autem, qui vitium perfrictà fronte perpetrant (nàm aduersus eos fortem se præbet) porrò impij quoque Sacerdotes ad ignoscendum etiàm ijs, qui simùl cum ipsis impietatem sibi colendam ducebant, faciles erant. in ijs rebus, in quibus minimè conueniebat, animi magnitudinem simulantes; idcircò ait: adeò in vitio magnanimi sumus, nempè ob rei absurditatem, & indignitatem, grauem animo dolorem sentiens.*]

Cha-

Charitas patiens, & benigna describitur: per patientiam aliena mala æquanimitèr tolerat, per benignitatem quoquè bona misericorditèr impendit sua. Vnde Beatus Iob, & patientèr domesticos maledicentes pertulit, & viatores, atquè peregrinos apud se benignè suscepit: illis, morum exempla tribuens, istis exteriorum ope concurrens: Illis per mansuetudinem non concitus ad irascendum, istis per misericordiam ad subueniendum paratus. Vir etenim sanctus Redemptorem generis humani per prophetiæ spiritum intuens, prædicamenta quoquè illius in opere seruabat: quibus nos admonet dicens: *Dimittite, & dimittetur vobis: Date, & dabitur vobis.* Dare namque ad res pertinet, quas exteriùs habemus: dimittere autem ad relaxandum dolorem, quē interius ex aliena culpa contrahimus. Sed sciendū, quià qui omninò dimittit, & non dat: etsi non plenè operatus est, meliorem tamen partem misericordia tenuit: Qui autem dat, & minimè dimittit, omninò misericordiam nnllam facit: quià ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Mundari enim debet priùs animus, qui eleemosynam præbet: quià omne, quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaquè malitiæ macula ab interiori nostro homine, cogitationis immutatione, tergenda est: quià iram Iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Vnde scriptum est: *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Nequè etenim sacrum eloquium dicit: Respexit ad munera Abel, & ad Cain munera non respexit: sed priùs ait, quia respexit ad Abel, ac deindè subiunxit: Et ad munera eius. Et rursùm dicit: quià non respexit ad Cain, ac deindè subdidit: nèc ad

Ex Greg. lib. 11. Moral. cap. 12.

Iob. 31.

Iuxta illud: Sit autem omnis homo velox ad ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad irā.

Luc. 6.

Genes. 4.

munera eius. Ex dantis quippè corde id, quod datur, accipitur. Idcircò non Abel ex muneribus; sed ex Abel munera oblata placuerunt. Priùs nàmque ad eum legitur Dominus respexisse, qui dabat: quàm ad illa, quæ dabat.

Ex eod. Gregor. lib. 5. Moral. 1. 24.

Cum mens ab eius rei appetitu retrahitur, quę accipientium numero partitur, tantò magis Proximum diligit, quantò minùs ex profectu illius sua damna pertimescit: Quæ, si perfectè in amore cœlestis Patriæ rapitur, plenè etiàm in Proximi dilectione sine omni inuidia solidatur: quià, cum nulla terrena desiderat, nihil est, quod eius erga Proximum charitati contradicat. Quæ nimirum charitas, quid est aliud, quàm mentis oculus, qui si terreni amoris puluere tangitur, ab internæ lucis mox intuitu læsus reuerberatur.

Ex Chrys. hom. 10. in epistol ad Ephes. In Mor.

Roman. 5. Ibi: Si enim cum inimici eius essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, &c.

Charitas Dei, Cœlo Terram coniunxit, charitas Dei hominem in thronum regalem constituit, charitas Dei, Deum in terris declarauit, & ostendit, charitas Dei ex Domino seruum fecit, charitas Dei pro inimicis dilectum, pro odio Deum habentibus filium, pro seruis Dominum, pro hominibus Deum, pro famulis liberum tradi fecit. Et neque hic subsistit, sed & ad maiora nos conuocauit: non enim prioribus nos malis dumtaxàt liberauit, sed & alia multò maiora daturum se pollicitus est.

Ex eodē hom. 7. in 1. ad Timot. in Moral.

Magna profectò charitas Dei est, immensa, atquè inenarrabilis: litauit semetipsum pro inimicis, pro his, qui se oderant, pro auersis a se. Ad quod nequè pro amicis, nequè pro filijs, nequè pro fratribus faceret quispiam, hoc fecit pro seruis Dominus, atquè pro huiusmodi Deus. Deus enim pro hominibus, pro mortalibus immortalis; pro temporibus sempiternus, pro inimicis deniquè Dei filius. Nam, si illi

anteà conuerſationis merito, & virtute placuiſſent, minus mirabilis charitas illa videri potuiſſet. Et certè ad illam ipſam nulla humana dilectio poſſet accedere: quod enim in hominibus eiuſdem ſubſtantiæ non fit, vt pro ſe inuicem moriantur, tùnc profectò magno exceſſu bonitatis factum eſt: & tamen nos cum tanta cęperimus ſummæ illius charitatis indicia, tanta beneuolentia potiti ſimus, torpeſcimus, atquè negligimus, nequè amamus Chriſtum. Ipſe pro nobis ſemetipſum offerre dignatus eſt, nos illum neceſſario indigentẽ cibo miſereri aſpernamur, infirmũq; ac nudum, nèc viſitare dignamur: quanta hæc irà plectenda ſunt? Quibus cruciatibus, quibus incendijs obnoxia ſunt? Nempè enim ſi nihil aliud ille pro nobis egiſſet, vel hoc ipſum ſolum, qui ſummas paſſiones ſibi aſſumere voluit, ac dignatus eſt, eſurio, ac ſitio: omnes profectò ad ſe vehementèr amandum prouocare ſufficeret. *Matt. 25.*

Qualem igitùr viciſſim gratiarum actionem exhibere poterimus, tàm diuitem erga nos charitatem declaranti? [*Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, &c. Epheſ. 2. Ipſe enim paſtor bonus animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, Ioann. 10. Meritò qui inuenit animam ſuam, perdet illam; & qui perdiderit animam ſuam propter eum, inueniet eam, Matth. 10. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniàm cum adhùc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et: Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, Roman. 5. Rursùs: Pro Chriſto legatione fungi ſe, ait Apoſtolus, tamquàm Deo exhortante per eum. Obſecramus pro Chriſto, inquit, reconciliamini Deo, 2. Corinth. 5. Quis valeat magnitudinem amoris huius metiri? Dominus* *Ex eod. hom. 34. in Geneſ. col. mihi pen. & ſeq.*

rogat

rogat à seruis ea, quæ pacis sunt, Omnipotens ab infirmis, Creator à creaturis, Deus, deniquè, ab hominibus] Etiamsì animā ipsam impendamus pro suis legibus, & obseruatione mandatorum, quæ ab ipso sunt data: neque sic ad charitatis modum pertingere poterimus quàm erga nostrum declarauit genus. Ipse enim Deus existens pro hominibus, hoc subijt, & Dominus pro seruis, & non pro seruis simplicitèr, sed pro ingratis, & perpetuis inimicis. Et ipse prior indignos, & totiès lapso tantam contulit beneficentiam. Nos autem, etiamsi nos facimus quæcunque facere poterimus, nihil magnum faciemus, vt ei quis nos tantis beneficijs præuenit, aliquid rependamus. Nostra enim si qua sequuntur, retributio quidem sunt, & debitum, illius autem sunt gratia, & beneficia, & largitionis magnitudo. Hæc igitùr omnia cogitantes, diligamus Christum, sicut Paulus ipsum dilexit, nullā præsentium rationem habeamus, sed perpetuum eius amorem animæ nostræ insidentem seruemus.

[*Doce nos, Domine Iesu, & fac pro amore tuo respicere terrena, & amare cœlestia. Vtinam mecum sis, bone Iesu: sed commissa mea pauesco, & ante te erubesco: non confundar, Domine, quoniàm inuocauite. In die tribulationis meæ exquiro te, auxilium grande expeto, quià grandis est necessitas; grandis morbus grandem requirit medicum; omnipotens es, ò Domine, sana me, & sanabor: ostende mihi faciem tuam, & saluus ero.*]

1. Cor. 13. tit. 3. *Charitas benigna est*. Et: *Apparuit benignitas, &*
Ex Chrys. in Ps. *humanitas Saluatoris nostri Dei*. Benignitas Dei, &
118. vers Bonitatem, tom. 1. Domini nostri Iesu Christi bonitas luxit in nobis, vt tenebrę peccatorum nostrorum longè essent à nobis. Quid enim benignuis, quid sanctius, quid clemētius,
Io. 10. nisi, vt animam suam poneret pro ouibus suis? Nèc enim tantam bonitatem possumus enarrare, vt Deus indue-

indueret carnem, virtus fragilitatem, impassibilitas passionem: tota lætitia toleraret tristitiam, vt vsque ad passionem Crucis veniret. Exprobrari, exalapari, spinis coronari, felle acetoque potari, cum iniustis deputari, flagellari, & omnia, quæ pertulit pro nobis: vnde pertulit, nisi de bonitate, quam ab ipso datam agnoscimus in nobis? *Bonitatem fecisti cum seruo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* Quandò bonitatem infudit bonis, vt aliquãdò ex malis essent boni? Hæc est Christianorum bonitas, vt malum pro malo non reddant, cum omnibus pacem habeant, non se vindicent, pro inimicis orent, benefaciant ijs, qui eos oderunt. [*Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus, 1. Corinth. 4. Et in Euangelio; Diligite, Saluator noster ait, inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, &c. Matth. 5.* Hæc est bonitas Christianorum, quià & Christus hoc fecit in capite suo, quod voluit esse in membris suis. Quid caput nostrum egerit, audite: *Cum malediceretur, non maledicebat: cum iniuriam pateretur, non comminabatur.* Tolerauit omnes impios, superbos, præsumptores, filios turpis mulieris: audiuit, Dæmonium habes: in nomine Beelzebub eijcis dæmonia, seductor, blasphemus. Audi, & quandò dictum est ab eo in hora passionis? *Amodò videbitis filium hominis ascendentem in Cælum, & sedentem in Regno Patris sui,* & dixerunt Deo: *Blasphemat hic, quid adhùc egemus testibus?* Seductorem dixerunt ei, Dæmonium habes: quandò eos docuit de Regno Dei, & increpauit duritiam cordis eorum, dixerunt ei; In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia: quandò viderunt virtutes exire à Deo, & clamantes Spiritus, atquè dicentes: Scimus, quià filius Dei sis, quid venisti ante tempus torquere nos? Ità ergò bonitas

fecit

Psalm. 118.

Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo &c. *Ephes.* 2.

1. *Pet.* 2. Et pro Crucifixoribus suis orauit: *Luca* 23. Quid hac charitate abundantius, quid admirabilius? *Matt.* 12.

Ibidem. 26.

fecit formam bonis, quę bonitas radicem fixam habens in conscientia, culmescit, frondescit, grandescit, opacatur in virtutibus, vt iam Sol per diem non vrat, neque Luna per noctem: vmbraculum virtutum habens anima contextum requiescit à laboribus suis. Nèc enim aliundè ascendunt virtutes, nisi à bonitate boni, & omnium bonorum bona mater est charitas.

Super quibus erit examen in tremendo illo iudicio, vbi Dominus Iesus diriget mãsuetos, & exaltabit in salutem. *Matth. 25. Psal. 24. & 149.*

„ Quid benignius, panem dare esurienti, potum dare „ sitienti, nudo frigora passo, vestimentum subministrare, egentem sine tecto in domum inducere, pe„ regrinum suscipere, viaticum proficienti dare? „ Hęc bonitas bonos facit, perfectos constituit ciues, vitæ æternæ. Colligit suos, vt ament se boni, habentes vnam bonitatem matrem, & amicam: & illa amat filios, & amiços suos, & illi amant matrem, & amatam „ suam. Isti Ciues sanctæ Ciuitatis, vbi nulla mali„ tia, sed tota concordia: vbi perfecta bonitas, & tota „ charitas: vbi iustitia, & plena mansuetudo, vbi tem„ perantia, & prudentia regnans. [*Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, Psalm. 36.*] Et in Euangelijs, Beati mites, ore Dominico asseritur, quoniàm ipsi possidebunt terram.

Virtutes morales perficientur in gloria.

Ex Aug. in pracitat. Psal. Concion. 1. col. mihi penult.

In terra illa viuentium summa pax est, nèc scandalum vllum inuenitur: Terra est illa Hierusalem sancta, quæ liberabitur de peregrinatione ista, & in æternum viuet cum Deo, & de Deo. Ergo hæreditate possidebunt terram, quæ erunt diuitiæ ipsorum? Et delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur hìc, impius ille in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò opum diuersarum, vinolentiæ, latissimorũ, & luxuriosorũ conuiuiorum. Hæc est potentia, cui inuides, iste flos est, qui te delectat. Nonnè, etsi semper

per sic esset, plangendus esset? Quæ erunt autem delitiæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit, quià aurum, quod est, non potest tibi esse argentum, quod vinum est, non potest tibi esse panis, quod tibi lux est, non potest esse potus, Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne esurias. bibes eum, nè sitias, illuminaberis ab eo, nè sis cęcus: fulcieris ab eo, nè deficias, possidebit te totum integrum, totus integer, angustias non ibi patieris cum eo, cum quo totum possides. Totum habebis, totum & ille habebit, quià tu, & ille vnum eritis, quod vnum eritis, quod vnum totum, & ille habebit, qui vos possidet. *Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me.* Multum est, si velimus singula quęq; mandata discutere, quæ omnimodè in contemptu habentur ab hominibus, vt illud, quod in sequentibus dicit: *Quodcunque vultis, vt faciant vobis homines, ità etiàm vos illis facite.* Nos ecõtrariò facimus omnia hominibus, quæ ipsi nolumus perpeti, & rursùm qui sumus iussi per angustam viam incedere, per latam semper incedimus. Et quidem, quod homines sęculi latam viam, spatiosamque gradiantur, non valdè mirum est, eos autem, qui videntur Crucem suam sustulisse, & sequi Christum, per hanc viam latam, & spatiosam velle incedere, nonnè tibi prodigiosum videtur? Deniquè monachi, cum de Monasterijs requiruntur, & de locis habitationum percontantur, ante omnia requirunt, si requies sit in loco, si abundent omnia, si aquarum copia defluat. Sed, etsi de Eremo requirant, etiàm tibi ante omnia requirunt, ac de requie tractant, & de opportunitate ministerij corporalis. Iàm verò, si ad aliquam di-

Ioann 14.
Ex Chrys. lib. 1. de Compunctione cordis col. mihi 15. tom. 5.
Matth. 7.
Ibid. & Luc. 3.

ſpenſationem vocaueris, aut aliquid miniſterij diuini iniungere volueris, prima ſtatim ſolicitudo eſt eius, & prima iſta verba ſunt: Si eſt ibi requies, quò eundum eſt, ſi inueniatur, quæ neceſſaria ſunt abundantèr: ſi nihil deſit eorum, quæ & lata, ac ſpatioſa via depoſcit. Quid ais, ò homo? Quid loqueris? Arctam viam, & anguſtam iuſſus es ambulare: vt quid de requie, vt quid de abundantia percontaris? Per anguſtam ianuam tranſire iuſſus es, vt quid amplius requiris ingreſſus? Eſt aliquid iſta permutatione nequius? Eſt aliquid iſta peruerſitate deterius?

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, &c. Ioann. 3. Et Verbum caro factum eſt, &c. Ibid. 1. Bonus Medicus, qui docuit, quemadmodū in hac terra corporis noſtri remedia quæreremus, cum flos nobis herbæ ſalutaris oriretur, qui de peccato dānauit peccatū in carne: Antidotum ergò facta eſt Caro, quæ erat venenum ante peccati, quia erat illecebra peccatorum. Audi, quemadmodum antidotum, caro? *Dei Verbum, factum eſt caro:* Miſit manū in cauernam Aſpidum, venenum euacuauit, peccatū abſtulit: ideſt, de peccato damnauit peccatum in carne. Et, vt hoc poſſit plenius conſiderari, ipſum Apoſtoli capitulum recenſeamus: Namque ità ſcriptum eſt: Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio Legis impleretur in nobis: vt non ſecundum carnem ambulemus, ſed ſecundum ſpiritum. Venit ergo Dei filius in ſimilitudine carnis peccati: Non vtique in ſimilitudine carnis venit, qui veram carnem ſuſcepit; ſed in ſimilitudine carnis peccati, ideſt, carnis peccatricis. Facta enim erat fraude, & veneno infuſa ſerpentis caro noſtra, caro peccati: Poſtquam eſt obnoxia facta peccato, facta erat

Ex Ambr. in Iſ. 37. Praſ. — *Ioann. 1.* — *Iſaia 11.* — *Roman. 8.* — *Ibidem.*

erat caro mortis: quia erat morti debita. Huius carnis iam reæ, iam præiudicatæ similitudinem Christus in sua carne suscepit: quia, etsi naturalem substantiam carnis huius susceperat, non tamen contagia vlla susceperat, nec in iniquitatibus conceptus, & natus est in delictis, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed de Spiritu sancto natus ex virgine est. Quid ergò est: De peccato damnauit peccatum in carne? Vtrũ de similitudine carnis peccati? An, quia peccata nostra Christus non vsu, sed qualitate suscepit: non crimine, sed suæ misericordiæ Sacramento, & peccatum pro nobis factus est, qui peccatum ipse non fecit? An verò quia de ista carne peccati, hoc est nostra hac obnoxia, & præiudicata damnauit peccatũ in carne, docẽdo quemadmodũ in carne positi nõ secundũ carnem ambulemus, sed secundũ spiritum? Peccatum quippè est secundum carnem ambulare, quia luxui, & voluptatibus, & lasciuijs, & carnis cupiditatibus viuit qui secundum carnis sapientiam conuersatur: *Sapientia enim carnis inimica est Deo*. Vndè qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Ideòque peccatum damnat de peccato, qui se à carnis vitijs alleuando, secundum spiritum viuit, totus Deo deditus, & cælestibus intentus oraculis, propter quod Christus aduènit, vt non suam idest carnis, sed Dei faceret voluntatem. [*Doce me facere voluntatem tuam. Psal.* 142. *Et: Pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius. Coloss.* 1.] Si quis ergò illum sequatur, vt faciat quæ placent Deo, & carnis suæ comprimat appetentiam: imitator est Christi. [*Iux. illud: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 1. Cor.* 11.]

Psal. 50. *Ioan. 1.* *Matth. 1* *Rom. 8.* *2. Cor. 5.* *1. Pet. 2.* *Rom. 8.* *Ibidem* *Ioan 6.* *Galat. 5.*

Diuini amoris ignem nulli fluctus seculi, nulla

flumina tentationis extinguut. De hac dictum est; *Valida est, sicut mors dilectio*. Quomodò enim mors quando venit, resisti ei non potest, quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras: violentiam mortis vitare non potes, quia mortalis natus es: sic contra violentiam charitatis, mundus nihil potest. E contrario enim similitudo data est de morte; quomodo enim mors ad auferendum violentissima est, sic charitas violentissima est ad saluandum. Per charitatem enim multi mortui sunt sęculo, vt viuerent Deo.

Cant. 8.

In oraculis Sancti Iob legimus: *Quæ priùs tangere nolebat anima mea, nunc præ angustià cibi mei sunt*. Mens enim iusti proficiens, quæ priùs dum sola propria curaret, ferre aliena fastidiebat, & quæ minùs alienis compatiens conualescere contrà aduersa non poterat: cùm ad toleranda proximi infirma se attrahit, ad aduersa superanda conualescit; itaut pro amore veritatis præsentis vitæ cruciatus, tantò post fortiùs appetat, quantò priùs infirma fugiebat. Inclinatione nanque sua erigitur, attractione tenditur, compassione roboratur; cumque in amorem proximi se dilatat, quasi ex meditatione colligit, quanta fortitudine in authorem surgat. Charitas namque, quia nos ad vim cōpassionis humiliat, altiùs in culmine contemplationis leuat: & multiplicata iàm maioribus desiderijs æstuat iàm peruenire ad vitam, spiritus etiam per cruciatus corporis anhelat. Quod ergo priùs tangere nolebat, hoc post præ angustia comedit iam pro amore cęlestis patriæ, pænas amat. Si enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarū fit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat, transire & per mortem appetit, vt obtinere pleniùs

Iob. 6.

Ex Greg. lib. 7. Moral. cap. 7.

Cruciatos appetit mens iusti.

Quomodo menti amarum fit dulce, & afflictio requies.

niùs vitam poſſit, funditùs extingui in infimis deſiderat: quo veriùs ad ſumma conſcendat.

Priuſquam Ieſus Chriſtus vnigenitus Dei filius, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcenderet de cœlis, & incarnatus de Spiritu ſancto ex Maria Virgine homo factus eſſet, diſſidebat à cœlo terra, hoſtiliter aduerſabantur hominibus Angeli, Dominum ſuum contemni videntes. *Vt ſummatim*, inquit, *reſtauraret omnia in Chriſto, tàm quæ in Cælis, quàm quæ in terra*. Quomodo illa quidem quæ in Cælis? Tranſtulit illuc hominem, reſtituit illis inimicum adeò exoſum. Non ſolum quæ in terris ſunt, pacificauit, ſed reduxit ad eos ipſum inimicum, & hoſtem. Ea demùm profũda, ac ſolida pax eſt. Angeli deinceps in terra rurſus apparent, quandoquidem & homo in Cœlo comparuit. Videtur autem mihi raptus Pauli huius gratia factus eſſe, videlicèt vt oſtenderetur, & filiũ illuc eſſe ſuſceptum. Nam in terra quidem duplici nomine pax eſt, & cum cęleſtibus, & erga ſe ipsũ: In Cœlis verò ſimpliciter. Si enim ſuper vno peccatore reſipiſcente gaudent Angeli, multò magis ſuper tot, ac tantis. Hæc omnia virtus Dei effecit.

Ex Chryſ. hom. 3. in ep. ad Coloſ col. mihi 5. & ſeq.

Epheſ. 1.

2. Corinth. 12.

Luc. 15.

„ Non gloriam qua potimini, ò beati ſpiritus, æmu-
„ lor, (indignus enim illa omninò ſum,) ſed quia
„ vobis Dei, qua ſantificamini, charitas chara eſt,
„ præ cuius non tantùm incorporali, & ineffabili
„ pulchritudine, cuius ſancto amore inardeſcitis,
„ omnia quæ infra ſunt, & quod illud eſt (non ſũt)
„ & vos ipſos inter illa contẽditis, vt ex toto quot
„ quot boni eſtis, & bono ex quo boni eſtis, per-
„ fruamini.

Apoſtrophe ad Sanctos Angelos, ex Auguſt. *lib. 11. de Ciu. Dei cap. 21. Conſule eum.*

Charitas patiens eſt, &c. Patientia omnium bonorum cauſa, vniuerſæ philoſophiæ radix. Vnde

1. Cor. 13.

non

Prouerb. 14. non ab re sapiens quidam: Multæ prudentiæ vir, tolerans est, inquit, intolerans, validus stultitiâ: & Ciuitati conferens munitè hanc illa tutiorem esse dicit. Est enim scutum inespugnabile, turris firma, mala omnia repellens; & quemadmodum in abyssum maris scintilla delata, huic quidem nil obest, ipsa extinguitur: sic in animum tolerantem quidquid incidere maximarum etiam rerum potest, facilè quidem absumitur ipsum, ille conturbabitur prorsus nihil, quando rebus omnibus solidior patiētia est, exercitus, thesauros, equos, mulos, arma, & quodcumque tandem memores licèt, æque firmū patientia nihil adduces: hisce rebus enim omnibus, vt stipatus quis sit, sæpè accidit tamèn, vt ira iuueniliter victus, loco moueatur, tumultu, & turba misceat omnia. Hic verò veluti in portu sedens summa semper fruitur tranquillitate. Inijce mulctam, nihil hanc petram mouebis, contumeliâ pete, nondum turrim concussisti, plagas incute, nihil dùm adamantem illum perterruisti: Longanimus enim idcircò vocatur, qui longum, & ingentem animum habet: nàm longum magnum etiam dici cōsueuit. Sed hanc talem virtutem charitas nobis parit: quæ tam possidentibus, quàm fruentibus se, ingentem præstat vtilitatem.

Miserator, & misericors dominus, longanimis, & multùm misericors. *Psalm. 111.*

Si eos potissimum ad prandium vocare dominus iubet, qui vicem rependere nequeunt, quò aucta nos maneat retributio: multò magis circà dilectionem hoc facere oportet. Qui enim dilectus diligit, mercedem tibi eò ipso iàm reddidit. Qui verò dilectus non diligit, Deum pro se ipso debitorem sibi constituit. Preterea, si te dilexerit, non multa cura opus habebit: si verò non dilexerit, tum potissimum tua cura, & adiutorio iuuandus erit. Causam itaq; curæ,

Ex Chrys. hom. 27. in ep. ad Roman. in Moral.

curæ, ac diligentiæ, ne causam facias socordiæ, ac negligentiæ: neque dicas, quoniam morbo laborat, ideò ipsum negligam. Morbus siquidem est ista dilectionis frigiditas. Tu verò quod frigidum est, calefacito. Quid autem si calefieri non substinet, inquies? Perdura, quod tuum est faciens, Quid si eo magis peruertetur? Rursus maiorem tibi retributionem procurabit. Eòque te magis imitatorem esse Christi declarabis. Si enim dilectio mutua, discipulorum insigne est. (*In hoc enim cognoscent omnes*, inquit, *quod discipuli mei estis, si vos inuicem dilexeritis*) perpendes, quantùm sit odio prosequentem diligere. [*Sicuti maximum malum prò dilectione odium reddere: Iuxta illud: Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, &c.*] Nam & Dominus tuus osores suos dilexit, & prouocauit: Et quantò erant infirmiores, eò maiorem curam impendit, clamauitque dicens: *Non opus habent medico qui sani sunt, sed qui malè habent.* Mensa quoque sua, & publicanos, & peccatores dignatus est. Et quanta à iudæis afficiebatur ignominia, tantùm vicissim erga illos, & honoris ostendit, & curæ. Imò multò plus etiam hunc æmulaberis & tu. Neque enim modici momenti virtutem habet hoc factum: Tale siquidē est, vt sine eo martyrio etiam Deo placere nequeat, quemadmodum Paulus dicit: *Ne dicas itaque: quoniam odio habeor*, propterea non diligam, propter hoc enim ipsum potissimum diligere debes. Alioqui non facilè fit, vt qui diligit, odio habeatur, nam etiam si bestia quis sit, diligentes tamen diligit: hoc enim, inquit, & Ethnici faciunt, & publicani: Si verò diligentes se quisque diligit, quis non eos diliget, qui tam etsi odio habeantur, nihilominus diligunt? Hoc itaque declara, neque ces-

Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 1.Cor:11.

Ioan.13.

Matth. 9.

1.Cor 13.

Matth: 5.

ses

ſes quin perpetuò dicas, quoniam quantùmuis exoſus tibi ſim, non quieſcam tamen, quominùs te diligam: Hoc ſi feceris, nullam non contentionem ſe-
„ dabis, nullam non animam. Morbus enim iſte,
„ aut ex inflammatione fit, aut ex frigiditate. Verũ
„ vtrique dilectionis virtus ſuo calore mederi conſueuit.

Charitas patiens eſt, &c. Quàmuis tribulationes multiplicatæ fuerint, & vndique ſint anguſtiæ, preſſuris affiigaris, veluti in torculari, fer animo magno, & excelſo, Deo agens gratias, & magnam mercedẽ accipies. Nam in hoc quoque ſe pulchrè geſſit Lazarus: Neque enim vlli ſuis ſubuènit pecunijs. Qui enim id feciſſet, cui vel neceſſarium deerat alimentum? Non ingreſſus eſt carcerem: Quomodò enim qui nec erigi, nec ſe ſubſtinere poterat? Non inuiſit ægrotum; Quomodò enim qui, linguis canum erat expoſitus? Et tamen etiam abſque his præmiũ virtutis arripuit, & quæ omnia tulerit forti, & generoſo animo, eò quod cum videret quidem crudelem, & inhumanum hominem in honore haberi, & vitam agere in delitijs, ſe ipſum autem verſari in tantis malis, nè verbum quidem indecorum protulerit. Et ideò in ſinum Abrahæ receptus eſt, qui mortuo nihilo erat meliùs affectus: ſed planè erat iners, & inutilis, inutilis in diuitis veſtibulo, proiectus, & cum Patriarchà, qui tot, & tantas res perdere geſſerat, coronabatur, & victor renunciabatur, & ſinu illiùs fruebatur, qui nec elemoſinam fecerat, nec ei cui iniuria fiebat, manum præbuerat, non hoſpites exceperat, nec aliquid aliud oſtendere poterat, ſed tantùm in omnibus Deo gratias egerat, & præclaram patientiæ coronam retulerat. Magna enim eſt gratiarum actio, & philoſophia, quæ tot, & tantis ma-

Ex eodem in Pſalm. 117.
Luc. 16.

malis exercetur, idque factum est longè omnium maximum, Vnde etiam Iob coronatus est: & dicebat diabolus: *Pellem pro pelle, & omnia quæ homo habet, dabit pro anima sua, sed mitte manum tuam, & tange carnem eius:* Non est enim parùm dolore affectam refrænare animam ad hoc, vt nihil peccet. Hoc est cum martyrio conferendum, hoc est bonorum colophon. *Iob.2.*

Charitas benigna est. Omnibus grata est mansuetudo quæ vulnera interiorum curat animorum. Venturus igitur ad ægrotos, venturus vt medicus, qui grauia vlcera nostra curaret, medicamenta proponit, vt videant homines, & ad remedium salutis fida sedulitate concurrant. Sic illa in Euangelio meruit sanitatem, quæ profluuio sanguinis per duodecim annos laborauerat. Audiuit medicum venisse, festinauit contingere, dicens: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero*. Intrà se hoc dixit, & Christus audiuit, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & virtus de Saluatore processit, quæ curauit ægram, firmauit inualidam, profluuium statuit, pietatem probauit. *Ex Ambr. enarratione in Psal. 197.* *Luc. 5.* *Esai 53.* *Matth. 9.* *Ibidem*

Non virgas in manu iubentur tollere Apostoli: sic enim Matthæus scribendum putauit. Quid est virga, nisi proferendæ potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis Domini (in humilitate enim iudicium eius sublatum est) humilis, inquam, homini præceptum, discipuli eius humilitatis officia exequuntur. Eos enim misit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerēt: nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent. Quo loco humilitati putauit etiā patientiam copulandam, quia ipse quoquè iuxtà testimonium Petri, cum malediceretur, non remaledi- *Ex eodē in Luc. cap 10. vers Non peram, &c.* *Esai. 53.* Virgæ nomine potestas significatur. Consule Aug *lib. 2. de sensu Euangel. cap. 30. tom. 4.* *1. Pet. 2.*

xit, cum percuteretur, non repercussit. Hoc est ergo dicere: Imitatores mei estote, vltionis studia deponite, insolentiam verberantium non iniurię relatione, sed magnanimitate patientiæ supportate.

Philip. 3.

Primùm quoque nouerimus, nihil tàm vtile, quàm diligi: nihil tàm inutile, quàm non amari. Nam odio haberi, exitiale, ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni sedulitate commendemus existimationem, opinionemque nostram, ac primùm placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum. [*Phras. Psal. 72. ibi:* Transierunt in affectum cordis. *Consule Genebr.* ibi: *In affectum, in vota cordis. Hebr. In picturas, vel imaginationes cordis: Sic appellant affectus, desideria, vota, optata.*] Popularis enim, & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tàm facilè illabatur humanis sensibus. Ea, si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumq; honore, patienti quoq: sermonum vice, modestięque adiuuetur gratià, incredibile, quantùm procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non solùm in priuatis, sed etiam in ipsis regibus, quantùm facilitas blandæ affabilitatis profuerit, aut superbia, verborumque obfuerit tumor, vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret. Iam si quis consilio, vsu, mysterio, officijs popularem comprehendat gratiam, aut si quis periculum suum pro vniuersa plebe offerat, non est dubium quod tantum charitatis à plebe in eum refundatur, vt populus, salutem eius, & gratiam sibi pręferat. [*Sicuti legimus de Sancto Carolo Cardinali, & Archiepiscopo Mediolanensi, qui, dum Mediolani dira pestis grassaretur, publica supplicatione in dicta, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offen-*

Ex eod lib. 2. de Off. cap. 7.

Supportantes inuicem, & donantes vobis metipsis, si quis aduersus aliquē habet querelā, &c, *Phil. p. 3.*

fen-

fendiculo cruentatis, crucem baiulans, semetipsum pro pro peccatis populi hostiam offerens, diuinam indignationem auertere satagebat.] Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cũ Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinę plebem subduceret. [*Sermonibus odij circumdederunt me: Et infrà: Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: Ego autẽ orabam. Psal. Alibi: Retribuebãt mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ: Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam: idest: cum ægrotarent illi, & infirmarentur, induebam cilicium commiserando, vel pro eis pœnitentiam agendo, & precando pro illorum valetudine. Ex Genebrardo.*] Quã miti sermone post iniurias appellabat populum, solabatur in laboribus, delinibat oraculis, fouebat operibus; & cum Deo constantèr loqueretur. [*Consule Ambros. Coment. in Apocal. cap. 6. pag. mihi 9. to. 5.*] homines tamen humili, & grata appellatione affari solebat. [*Noe inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*] Meritò æstimatus est supra homines, vt & vultui eius non possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent: [*Eluxit à consortio sermonis Dei vultus Moysis propter mititatem cordis eius, mentisq; mansuetudinem.*] Quia sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Quid eius imitator sanctus Dauid, electus ex omnibus ad plebem regendam quàm mitis, blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? [*Quantoperè conciliet animos, comitas, affabilitasque sermonis, &c. Tull. 2. de Offic. Sed absit cordis duplicitas. Pateant aures Principum precibus subiectorum: isti non sine causa*

Exodi 32.
Psal. 108.
Psal. 44.
Exod. 33.
Exod. 34.
Eccl 44.
Deut. 34.
1 Reg 16.

ſtent audiri :] Ante Regnum ſe pro omnibus offerebat Rex, cum omnibus æquabat ſuam militiam, & partiebatur laborem: fortis in prælio,
1.Reg. 16. manſuetus in Imperio, patiens in conuicio, ferre ma-
1.Reg. 18. gis promptus, quàm referre iniurias. [*De poſt fatan-*
Pſalm. 77. *tes accepit eum paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam. Figura enim Ieſu Chriſti erat, de*
Eſaia 40 *quo dicitur: Leuabit agnos in ſinu ſuo, fœtas ipſe portabit. Optimus Paſtor, qui animam ſuam poſuit pro*
Ioann. 10. *ouibus ſuis. Quæſiuit ouem errantem, & inuentam*
Luca 15. *impoſuit in humeros ſuos, gaudenſque, ab amicis, & vicinis congratulationem exigit, quaſi ipſe lucrum feciſſet ouis, quæ perierat, & inuenta fuerat. O admirabilem bonitatem! O ineffabilem benignitatem!*] Ideò tàm carus erat omnibus, vt iuuenis ad Regnum etiàm inuitus peteretur, reſiſtens cogeretur, ſenex, nè prælio intereſſet, à ſuis rogaretur, quod mallent om-
2.Reg. 2. nes pro ipſo periclitari, quàm illum pro omnibus.
2.Reg 18. Ità ſibi gratis officijs plebem obligauerat. Primum vt in diſcordijs Populi exulare in Hebron mallet, quàm in Hieruſalem regnare. Deindè, vt etiàm in hoſte poſitam virtutem diligeret: iuſtitiam etiàm his, qui arma contra ſe tulerant, æquè, ac ſuis præſtandam putaret. Denique fortiſſimum aduerſæ
2.Reg. 3. partis propugnatorem, Abner Ducem, & inferentem prælia, miratus eſt, & orantem pacis gratiā non aſpernantis honorauit conuiuio; interemptum inſidijs doluit, & fleuit: proſequutus exequias honeſtauit: mortem vltus, conſcientiæ fidem præſtitit, quàm filio inter hæreditaria iura tranſcripſit: magis ſollicitus, nè innocentis mortem inultam relinqueret, quàm quò ſuam mortem doleret. Non mediocre iſtud prçſertim in Rege, ſic obire humilitatis munia, vt com-
1.Reg 21. munem ſe exhiberet, etiàm infimis: alieno periculo
cibum

cibum non quærere, potum recusare, peccatũ fateri, seque ipsum pro Populo offerri morti, vt in se diuina indignatio conuerteretur, cum ferienti Angelo offerens se diceret: Ecce ego peccaui, & ego pastor malum feci, & iste grex, quid fecit? Fiat manus tua in me. Nam, quid aliam dicam, quod dolum meditantibus os suum non aperiebat, & tanquã non audiens, nullum sermonem referendum putabat? Non respondebat conuicijs: cum sibi derogaretur, orabat: cum malediceretur, benedicebat. Ambulans in simplicitate, & superborum fugitans arrogantiam, sectator immaculatorum, qui cinerem miscebat alimentis suis, cum peccata propria deploraret, & potum suum temperabat fletibus. Meritò sic expetitus est ab vniuerso Populo, vt venirent ad eũ omnes Tribus Israel, dicentes: *Ecce ossa tua, & caro tua sumus:* [*Phrasis Genes. 2. Ibi: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. Et in Psalm. 37. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum:*] Et herì, & nudiùs tertiùs cum esset Saul, & regnaret super nos, tu eras, qui producebas, & inducebas Israel. Et dixit tibi Dominus: Tu pasces Populum meum Israel. Et quid plura de eo dicam, de quo huiusmodi Dei processit sententia, vt de eo diceret: Inueni Dauid seruum meum secundum cor meum? Quis enim in suauitate cordis, & iustitia sicut iste ambulauit, vt impleret voluntatem Dei? [*Nunquid, vt gloriari possit, castum se habere cor? Non: quià stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, sed cor contritum, & humiliatum, Deus non despiciet. Cor contritum, proximum cordi mundo, & hoc est esse secundum cor Dei. Si quidem iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Samaritanus Proximus est illi, qui incidit in latrones. Bernard.*]

Pro-

2. Reg. 15.
2. Reg. 24.
Psalm. 37.
Psalm. 108.
Psalm. 100.
Oculi eius ad fideles: Ad fidos, stabiles, veraces, veritatis studiosos, qui non fallunt fidẽ alicui, maximè Deo, & principibus datã *Ex Genebrardo in Ps. 100. vers. 9*
Psalm. 101.
2 Reg. 5.
Psalm. 88. & *Act.* 13.

Psalm.39. Propter quem, & delinquentibus posteris eius venia
3.Reg.11. data, & prærogatiua est reseruata hæredibus. Quis
igitur non diligeret eum, quem videbat, ità carum
Sinceritas animi laudabilis nimis. amicis, vt quià ipse sincerè amicos diligebat, æquè
diligi se à suis amicis arbitraretur? Deniquè parentes
cum filijs suis, filij præferebant parentibus, vndè
1.Reg.20. grauitèr indignatus Saul percutere Ionatham filium
suum hastà voluit, quià pluris apud eũ valere Dauid
amicitiam iudicabat, quàm vel pietatem, vel authoritatem
paternam. Etenim ad incentiuum charitatis
communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus
reddat: nec minus redamare se probat, quàm
Matth.5. ipse amatur; idque amicitia fidelis patet exemplis.
Quid enim tàm populare, quàm graria? Quid
tàm insitum naturæ, quàm vt diligentem diligas?
Quid tàm insolitum, atquè impressum affectibus humanis,
quàm vt eum amare inducas in animum, à quo
Ecclef.29. te amari velis? Meritò sapiens dicit: Perde pecuniã
Ecclef.22. propter fratrem, & amicum; Et alibi: Amicum salutare
non erubescam, & à facie illius non me abscondam.
Siquidem vitæ, & immortalitatis medicamen-
Ecclef.6. tum in amico esse, Ecclesiasticus sermo testatur. Et
summum in charitate præsidium nemo dubitauerit,
1.Corinth.13. cum Apostolus dicat: Omnia suffert, omnia credit,
omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquàm cadit.
„ Ideò Dauid non cecidit, quià charus fuit omnibus,
„ & diligi à subiectis, quàm timeri maluit.
„ Timor enim temporalis tutaminis seruat excubias,
„ nescit diuturnitatis custodiam. Itaquè, vbi timor
„ decesserit, audacia obrepit: quoniam fidem non
„ timor cogit, sed affectus exhibet. Prima ergo ad
„ commendationem nostri est charitas. Bonum est
„ ergò testimoniũ habere de plurimorum dilectione.
Hinc nascitur fides, vt committere se tuo affectui non
vereantur

vereantur etiàm alieni, quem pluribus charum aduerterint. Similitèr etiàm per fidem ad charitatem peruenitur, vt qui vni,aut duobus præstiterit fidem, tanquam influat in animos vniuersorum, & omnium acquirat gratiam. Diligamus Deum totis visceribus animæ nostræ: *quoniam ipse prior dilexit nos,& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo,delens,quod aduersus nos erat chirographũ decreti,quod erat cõtrariũ nobis,& ipsum tulit de medio,affigens illud Crucis.* Coloss. 2.

Quamquàm quid difficiliùs discitur, quàm quod nos diligat Deus? Istud,dilecte,vehementèr difficile est. Nam sunt quidam, qui & hoc ignorant, vndè, & innumera mala dicunt in mundum nasci: alij verò quantùm nos diligat,ignorant. Et Paulus sanè non quærit, vt quantum nos diligat, dimetiamur (quomodò enim possibile esset?) sed, vt discamus hoc ipsum,quod excellens est,& magnum. Et dicit,quod per hoc ipsum ostendere potest, & probare Deus, quàm nos diligat, nimirum quod tanta cognitione dignatus est. Equidem exuberantiam quandam haberet diuinę dignationis consolidari potentia spiritus,& Christum habere intrò in cordibus, vnde magna, inquit, sunt, quæ petimus: verum nouit, & vltrà illa præstare, vt non solùm diligat, sed etiam vehementèr diligat. Hoc itaquè curemus dilecti, nempè, vt dilectionem Dei cognoscamus. Magnum hoc est. Nihil quippè nobis ità proderit, nihil ità compunget. Plus enim istud habet momenti ad attrahendum animas nostras, quàm metus gehennæ. Vndè igitur illam sciemus? Ex his videlicèt, quæ dicta iàm sunt, & quæ quotidiè contingunt. Quamobrem ista facta sunt? Cuius commodi necessarij gratià, quod illi cesserit? Nullius prorsùs. Quoquò vertas,horum omnium causam

Ex Chrys. hom 7 in Ep. ad Eph. in Moral.

Paulus

Paulus dilectionem ponit. Ita verò potissimum est vera dilectio, quandò benefit hominibus, à quo nihil captum est prioris beneficentiæ. Hanc itaquè imitemur, & nos. Benefaciamus inimicis, odio nos habentibus, & auersantibus. Accedamus, & recipiamus illos. Hoc scilicèt nos Deo similes faciet. Si enim amicum dilexeris, inquit, quid habebis lucri? Istud faciunt & gentes. Sed, quodnam est dilectionis indicium? Odio prosequentem diligere: [Secundum naturã est pax, prętèr naturã tumultus, supra naturam erga inimicos electio: *Ath. in qu. Quid est Christianos*]

Neq; his, à quibus speratur retributio.
Luc. 14. 12.
Matth. 5. 47. Nonne, & Ethnici hoc faciunt &c.

Ex Athan. ser. 3. *contr. Arian.*
Charitas Dei erga creaturas.
Galat 4.
Charitatis insolubilis habetur affectus, in studio patili semper alium iudicans potiorem.
Ex eod. exhort. ad Monachos.

Cæterùm Dei beneuolẽtia est, quod quorũ sit conditor, eorum postmodùm per gratiã Patrem se faciat. Facit autèm se Patrem, cum qui iàm conditi sunt, vt inquit Apostolus, susceperint in cordibus suis Spiritũ filij, Abba Pater. Isti sunt, qui suscepto Verbo, acceperunt potestatem filios Dei fieri. Alitèr enim nunquàm efficerentur filij, cum naturà res creatitiæ sint, nisi eius, qui natura est Filius, Spiritum susceperit. Quapropter, vt hoc fieret, Verbum caro factum est, vt hominem capacem Deitatis faceret.

Psalm. 129.
Ex Chrys. Ibidē.
Eccl. 2.

Charitas omnia sperat, & in Psalmo: A custodia matutina vsque ad noctem, speret Israel in Domino. Tota vita, inquit, hoc est, omni die, ac nocte. Nihil est enim ad salutem præstabilius, quàm perpetuò aspicere, & ab illa spe pendere, licèt innumerabilia accidant, quæ nos impellant in desperationem. Hic est murus infractus, inuicta munitio, turris inexpugnabilis. Etsi ergo res minentur mortem, periculum, & interitum, ne desistas sperare in Deum, & expectare eius salutem. Omnia sunt illi facilia, & expedita, & vel in rebus difficillimis, & impeditissimis exitum inuenies. Nè expecta ergo, fore, vt solùm tibi adsit auxilium, si res secundæ affluant, sed tùnc maximè,

Psalm. 12.
Psalm. 194.
Nota hanc phr.

quando

quandò sunt fluctus maximi,& vehemens tempestas, & extremum imminet periculum; Tùnc enim Deus maximè suam ostendit potentiã. Hoc est ergo,quod dicit: Oportet in Deum perpetuò sperare,toto vitæ tempore. Quià apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: Et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus eius. Quid est; Apud Dominum misericordia? Fons,& thesaurus,inquit,illic est clementiæ perpetuò scaturiens. [*Indeficiens thesaurus bonitatis, suauitatis, & dulcedinis in Deo est. Fons pietatis,à quo quantò plus hauritur, tantò copiosiùs scaturit, fluitque abundantiùs; Væ tamen qui nimiùm de tanta misericordia præsumit, virga namque directionis est.*] Vbi autem est misericordia, illic & etiam redemptio,nèc solùm redemptio, verùm etiam multa,ac copiosa, & immensum pelagus clementiæ. Et si ergo sumus à peccatis proditi,non oportet concidere, nec desperare. Vbi,cum est misericordia,& clementia, & non exigitur nimis acris,& summo iure delictorum ratio,Iudice,propter magnam misericordiam,& multam ad clementiam propensionem,multa prætercurrente. Huiusmodi enim est Deus, nempè ad assiduè miserendum,& ignoscenddum propensus, & procliuis: Et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus eius.

Elisa mens ne concidat: absit desperatio à fideliũ cordibus, nec nominetur in eis. *Psalm.* 14. 99. 144.

Imitemur Sanctos, qui nequè pressuris mersi,neq; secundis rebus, aut longà pace debiliores fuere: quod & plures mortalium patimur. Sicut enim imbecilliores Cymbę,& fluctuatione vel parua circumuentę demerguntur; Nam inuecta paupertas sæpè deijcit in profundum, eòquod obrutos relinquit: iterumque ipsa opum rediens facies nos timore circundedit, atquè in summam deduxit superbiam. Quapropter æra nostra omnia relinquentes, animas

Ex eod. hom. 4. de Pœnit.tom.5. Milites longà pace segnes, *Tacit.*

Nota.

S pro-

propias ad salutem computemus: hac enim benè sese habente, quodcunque ingruerit mali, quàmuis fames, quàmuis morbus, quàmuis pecuniæ direptio, aut aliud, si quid huiusmodi tolerabile erit, & leue Dominico ex præcepto, atquè ipsa, quam in illum spē habemus: eòquod anima, sese Deo minùs accomodante, tametsì diuitię affluant, pueri adsint, milleque pecuniæ voluptates, nullum profectum ad tristitiæ, curarumque leuamen contrahet. Dilectio, omnium bonorum caput: Sicut superbia omnium fons malorum est, ità humilitas cunctarum origo virtutum. Humilitas verò indiuidua socia dilectionis, & amoris. Accessit Maria Magdalena, laudabilis illa pœnitens (immò pœnitentiæ exemplar) ad Dominum gloriæ, immunda, vt rediret munda, ægrà, vt rediret sana, confessa, vt rediret professa. Secùs pedes Redemptoris stetit (non enim audebat in faciem respicere.) [Ipsi namque Seraphim stantes in circuitu Throni Dei, meritò velant facies suas propter metuendum spectaculum, quòdque non possint inaccessam gloriam obtueri. *Chrysost. hom. 1. de Verbis Esaiæ: Vidi Dominū, &c. tom. 1.* Et Apostolus: Lucem, inquit, inhabitat inaccessibilem, &c. *1. Timoth. 6.*] Lachrymis lauit, capillis tersit (& quos sæpènumero malè conspicuos reddiderat, tùnc demū rectè nudauit) vnguento vnxit, osculari deniquè pedes eius non destitit. Quæ omnia humilitatis testes sunt, & tamē Dominus dixit: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multū.*

Tribulatio, & angustia inuenerunt me, mādata tua meditatio mea est. *Psalm. 118.*

Luc. 7.

Aliàs: non cessauit.

Obtemperemus itaquè beato Paulo dicenti: Honore alius alium præcedentes: & demus operam, vt in omnibus humiliemur. Hoc est enim primatum habere, sicut, & Christus dicit: *Qui seipsum humiliat, exaltabitur.* Quid illi par fuerit, vel æquale, quandò per ea, in quibus alijs cedimus, ipsi maiori fruimur bono-

Ex eod. hom. 33. in Genes.
Rom. 12.
Luc. 14. & 18.

honore:& per quæ alios veneramur,ipsi in summum honorem euehimur? Itaquè obsecro, vt studeamus ità imitari Patriarchæ virtutem,& sequi vestigia eius, qui ante legem tantam philosophiam præsetulit, nos, „ qui in gratia versamur.Ista enim vera est humilitas, „ quam eximius ille vir declarauit erga eũ, qui mul- „ tò se fuit inferior,non solùm ob virtutis rationem, „ sed & propter ætatem,& alia omnia. Cogita enim quod senex iuueni cessit, & patruus nepoti: & qui tantã à Deo sortitus gratiam, ei, qui in nullo magnũ aliquod specimen præbuit, & ea,quæ oportebat illũ dicere,vt iuuenem ad senem ætate, & dignitate, & patruum,illa patriarcha ad iuuenem dicebat. Igitur nos quoquè non eis tantum, qui ætate nobis sunt maiores,vel etiam æquales, honorem exhibeamus. „ Non est enim humilitas,facere quod necessitate de- „ bes,vel cogeris:hoc,inquam,non est modestiæ,sed debiti. Vera autem modestia est, quandò cedimus ijs, qui nobis videntur esse minores, & eos veneramur,qui nobis videntur esse magis indigni,quã nos. Quod,si rectè sapimus,nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur; sed nos excelsi ab omnibus hominibus dicemur. Et hoc dico non de nobis,qui innumeris immersi sumus peccatis: sed etiam si quis sibi plurimorum benè gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat,quod omnium sit postremus, nulla ei futura vtilitas ex omnibus bonis suis operibus. Hæc est humilitas,quando quis occasiones habet,vt extollatur,& seipsum humiliat, & supprimit, & modestè se gerit: tùnc enim ad verum subuehetur fastigium, iuxta promissionem Domini, quæ dicit: *Qui se humiliat, exaltabitur.*

De his loquitur, quæ cum Loth filio fratris sui, Pater fidei nostræ Abraham gessit.

Seniorem nè increpaueris, sed obsecra vt patrẽ &c. 1. *Timoth.* 5.

Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorẽ, timorem: cui honorem, honorem; *Roman.* 13.

Ibidem.

Humilitatis virtus,maxima est disciplina Christiana, eiusque exemplum efficacitèr operiatur: humili-

tate enim conseruatur charitas: Nam nihil eam citiùs violat, quàm superbia. Et ideò Dominus non ait; Tollite iugum meum, & discite à me, quoniam quatriduana de sepulchris cadauera exuscito, atquè omnia Dæmonia de corporibus hominum, morbosque depello, & cætera huiusmodi: sed, *Tollite*, inquit, *iugum meum, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* Illa enim signa sunt rerum spiritalium; mitem autem esse, & humilem, charitatis conseruatio est.

Ex Aug. lib. vno in ep. ad Galat. tom. 4.

Matth. 11.

In quo sita vera humilitas.

Ex Theolog. loq. de Patre suo Or. 19.

Vt autem facilè intelligat, qui legit, in quo sita sit vera humilitas, ea, qua de Sancto quodam Præsule scripta legi, libet recensere. Non iniustè, sed in animi constantia, humilitas ipsi sita erat, nèc colli depressio, aut vocis demissio, aut vultus inclinatio, aut prolissa barba, aut capitis ad cutem vsque rasi exornatio, aut certus incedendi modus humilitatem effingebat (quę vt ad breue quoddam tempus exprimi possunt, ità quàm celerrimè sese produnt: nihil enim simulatũ constans, ac diuturnum est:) quin potius idem, & vità maximè sublimis, & animo perhumilis erat: cuiusq; ad virtutem nemo aspirare poterat, ad eiusdẽ congressum perfacilis omnibus aditus patebat. Cumque vulgari, & vsitato vestitus genere vteretur, à fastu scilicèt, ac sordibus æquè abhorrens, ratione tamen interni splendoris supra multos assurgebat.

Nihil fictũ diuturnum.

Psalm 88.
Philipp. 2.
Ex Aug. Ibid. Conc. 1.

In Psalmis legimus: *Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum.* Humiliasti te, & hnmiliatus est superbus. Superbus enim per superbiam superbos tenebat: humiliatus est magnus, credens autem in eum factus est paruus. Dùm nutritur paruus, exemplo magni facti parui, quod tenebat Diabolus, perdidit: quia superbus, non nisi superbos tenebat. Dato tanto humilitatis exemplo didicerunt homines damnare

Magnus Dominus noster, & magna virtus eius. De hoc magno dicitur: Puer natus est nobis, & paruulus

nare superbiam suam, imitari humilitatem Christi. Ità ergo ille perdendo quos tenebat, etiam ipse humiliatus est, non correctus, sed prostratus. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: Humiliatus es, & humiliasti, vulneratus es, & vulnerasti: neque enim eum non vulneraret sanguis tuus, qui effusus est, vt deleret chirographum peccatorum. Vnde enim superbiebat, nisi quia cautionem contra nos tenebat? Hanc tu cautionem, hoc chirographum tuo sanguine deleuisti: illum ergo vulnerasti, cui tot abstulisti. Vulneratum enim intelligas Diabolum, non penetrata carne, quam non habet, sed percusso corde, vbi superbus est: *Et in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.*

lus natus est, & vocabitur Deus, fortis, &c.

Alibi idem sanctus Rex, & Propheta, *Ego verò*, inquit, *legem tuam meditatus sum*. Quam legem? Vtiq; iustissimam, & misericordissimam, vnde illi dicitur: *Et de lege tua miserere mei*: superbis resistit, vt humilientur, vt obdurentur, humilibus autem dat gratiã, vt diligant obedientiam, & ne recipiant excellentiã. Meditatione quippè legis huius voluntaria seruatur mihi humilitas, vt pœnalis euadatur humilitas, de qua mòx dicit: *Bonum mihi, quoniam humiliasti me, vt discam iustificationes tuas*. Doce me, Domine Deus salutis meæ, & salutaris meus suauitatem, inspirando charitatem; doce me disciplinam, donando patientiam, doce me scientiam, illuminando intelligentiam, quoniam mandatis tuis credidi [*Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, &c. Psalm.* 118. *Consule ibi animaduersionem Ambrosij moribus vtilẽ.*] Te illa credidi mandasse, qui Deus es: homini donas, vndè facias eum facere, quod mandas.

Psalm. 118. *Ex Aug. Ibid. Conc.* 17.

Iacob. 4.

Deuota oratio crebrò fundenda, *Ex Aug eod. loco præcitato, paulò superiùs.*

Occidit Deus omnia Regna Canaam. Canaam verò intepretatur, paratus humilitati. Humilitas

Psalm. 134. *Ex Augu. Ibid. Exposit. mystic.*

quasi

quasi bonum aliquod significat, sed si sit vtilis humilitas: nam mala humiliatio pœnalis est. Si enim humiliatio non pertineret ad pœnam, non diceretur; *Qui se exaltat, humiliabitur*. Non enim beneficium illi præstatur, quando punitur, vt humilietur. Canaam ergo modò superbus est. Omnis impius, omnis infidelis, exaltat cor suum, non vult credere in Deum: Sed hæc exaltatio parata est humilitati in diem iudicij: tunc humiliabitur, quando non vult. Sunt enim vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditioné. Modò extollant se, garriant, extendant se super fideles, irrideant fideles, irrideant Christianos, dicant: anicularia sunt ista, quæ dicunt de die iudicij. Ista elatio eorum parata est humiliationi, quando venerit iudex, qui modò annunciatus, irridetur, tunc ille, qui modò superbit non vtilitèr, sed pœnalitèr humiliabitur; sed paratur humilitati, idest paratur damnationi, paratur victimę.

Luc. 14. & 18. *Rom. 9.* Vltimam partě conuiuij occupemus, vt patris familias iudicio prouehamur: *Ex Hier. ep. 13.*

Omnis, qui se humiliat, exaltabitur: Sicùt Dominus Iesus, Magister humilitatis: non omnis humiliatus: eòquod peccato plures humiliantur, iuxtà illud: Priusquàm humiliarer, ego deliqui. Propter peccatum enim tentationes sæpè nascuntur. Deniquè Adam, & Eua post culpam vtiquè eiecti sunt. Ergo humilitatis nostræ causa, peccatum est, vel humiliationis; non enim hoc fugio. Potest enim de aduersis plerumqne intelligi humilitas, vt est illud: Bonum mihi, quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas: & : *Nisi lex tua, meditatio mea sit, tunc forsitàn perissem in humilitate mea. Et; Humiliatus sum valdè.* [Non omnes, qui humiliantur, exaltabuntur, multos enim crimen humiliat ad ruinam. *Idem Sanct. Ambr.* Dominus autem exaltat mansuetos in salutem, *Psal.* 149. Et ad hoc exaltantur etiam in sæculo isto quædam

Luc. 14. *Psalm. 118.* *Ex Ambr. Ibid.* *Octona. 9.* *Genes. 3.*

dam

dam membra eius, (idest Christi,) vt in eis sit maior humilitas, &c. *Consule August. in Psalm. 87. circ. finem.*] Hic ergo ostendit humilitatem ortam esse de culpa. Et quia culpa præcessit, ideò humiliatū se ostendit, hoc est, attritum tentationibus, & aduersis, & traditum anxietatibus: quemadmodum & ille, qui traditus est à Paulo in interitum carnis, humiliatus vtique est, vt postea posset reconciliationem mereri. Sed, quàmuis humilitas ista, hoc est, velut quædam deiectio perturbationis, non virtutis sit; virtutem tamen sæpe generat, & fit non pœna, sed remedium delinquentis. Nam, si peccatis tuis tribuas, quòd humiliatus es, quidquid acciderit, in te retorques, & ex eo incipies esse iustus, quia te ipsum condemnas: *Iustus enim accusator est sui in exordio sermonis*. Nec potest indignum te iudicare humilitate, qui propria errata cognoscis, in quibus erubescendo, non vtiquè extolleris, sed humiliaris.

1. Cor. 5.

Prou. 18.

Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur, &c. 1. Cor. 11.

Quoniam autem omnibus propemodùm qui hu-„ manæ naturæ participes sunt, vitiū elationis quodammodò innatum est: idcircò dominus hinc initiū beatitudines exponendi facit, tanquàm primordiale malum quoddam ex habitu nostro superbiam eijciens, dùm consulit, vt imitemur eum, qui spontè sua egenus fuit, qui verè beatus est, vt in quo possumus, pro virili nostra parte assimilari, ex eo quod nostra volūtate egeni paupertatem secuti fuerimus, etiam beatitudinis communionem attrahamus, & adsciscamus. [O fęlix voluntaria paupertas omnia relinquentium, & sequentium te, Domine Iesu. *Ber.* Contrà: Infęlix inuoluntaria paupertas, belua omnium atrocior, & fornace ardentior est: *Chrisost.* Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infir-

Ex Nysseno lib. de Beatitudinibus, Orat. 1.

Insita aliquo pacto homini superbia.

2. Cor. 8. ibi: Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est.

Christi humilitas.

firmitas domini mea est virtus. *Ambros. in Luc. 12.*] Hoc enim quisque sentiat, inquit, inter vos, quod & in Christo Iesu: qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, quod Deo pàr, & æqualis esset, sed forma serui sumpta, se ipsum exinaniuit. Ecquid magis in Deo mendicum, quàm forma serui? Quid in Rege rerum vniuersarum humilius, quã in communionem inopis, ac mendicæ nostræ naturæ venisse? Rex regnantium, & Dominus dominãtium, spontè suâ formam seruitutis induit. Iudex rerum vniuersorum, principibus tributarius existit: creaturæ Dominus in spelunca diuersatur, qui mundum vniuersum complexus est, non inuenit locum in diuersorio, sed in præsepio brutorum animalium abijcitur; purus ille, & incorruptus, humanæ naturæ sordes non respuit, ac per omnem nostram mendicitatem penetrans, vsque ad mortis progreditur experimentum. Videte voluntariæ mendicitatis modum! Vita, mortem gustat: iudex in iudicium ducitur: Dominus vitæ rerum vniuersarum subijcitur iudicis decreto: supra mundanarum omnium copiarum Rex, carnificum manus non repellit. Ad hoc, inquit, exemplum modus animi demissionis tibi spectet. Videtur autem mihi fortasse non incommodum esse, eiusmodi vitij inconsiderantiam, absurditatem, & importunitatem spectare: vt, cum multa facilitate, atque commoditate succedente nobis animi humilitate, facilè assequi, atque conficere nobis beatitudinem possimus. Vt enim periti medici, causa morbi effectrice priùs exempta, ægritudinem faciliùs vincunt; ità nos quoque vbi inflationem, & tumorem inaniter se iactantium, atque superbientiũ ratione represserimus, facilè commodum, & expeditum eis iter animi demissionis efficiamus. Vndè igi-

Simile.

Ecclesia, Christi sponsa, censu pio diues, humilitatis, & fidei, mi-

igitur aliquis potiùs fastus, atque superbiæ vanitatē demostrauerit? Qua ratione alia, quàm si naturam ostenderit, quænam ea sit? Nam, si quis ad se ipsū, & non ad ea, quę circa se sint, respiciat, non video, qua ratione is in eiusmodi vitium incidere possit. Quid igitur homo est? Vis, vt ex scriptorum monumentis proferam id, quod plùs ponderis, & authoritatis in se contineat, ac plus æstimari debeat? At is qui nostra ornat, & inflatiùs, splendidiùsque de nobilitate humana loquitur, ex luto generatam naturam esse dicit: atque nobilitas, & splendor superbi, cognationem cum latere habet. Quod, si cōtinuam pariter, & eam quæ in promptu, atque expedito, omnibusque nota est, generationem proferre velis: remoue isthæc, oro, ne loquaris de hac re, obumtescas, nè hiscas: *Nè reueles*, vt lex inquit, *dedecus patris, & matris tuæ*: nè sermone publices, atque diuulges ea, quæ obliuione, atque alto silētio tegenda sunt. Et non erubescis terrea statua, mox puluis futura, qui in modum bullæ breui duraturum in te tumorem contines, te superbia repleri, fastu tumere? vano spiritu, atque cogitatione mentem inflatam habere? An non respicis ad vtrūque vitæ humanæ terminum, vnde, & initium sumat, & in quid desinat? Verùm superbis, ac iactas te nomine iuuentutis, & ad florem ætatis respicis, & gloriaris, & tibi places propter decorem, & pulchritudinem, quod tibi manus supra modum vigeant ad motum, quod celeres, & veloces ad saltum tibi sint pedes, quod capillus ventis diffundatur, quod lanugo maxillas distinguat, quod tibi vestis purpuræ tinctu supra modum florida sit, quod panni tibi serici prælijs, venationibusue, aut historijs quibusdam variegati, distincti, atque exornati sint,

miser lcordiæ quoque dotata patrimonio. *Ex Ambr.*

Distat inter magnitudinem, & tumorem, vtrūque grande est, sed non vtrumque sanum est: *Ex August.*

Hominis generatio.

Leuit. 20.

aut forsitan ad talaria adhibita cura in nigro nitētia, & superfluo opere fibularum lineis oblectantia spectas? Ad ista respicis, te ipsum verò non intueris? Ostendam tibi, tanquam in speculo, qui sis, & qualis sis: Non vidisti in loco publico sepeliendis hominibus destinato, naturæ nostræ mysteria? Non vidisti ossium, alijs super alia temerè abiectis, congeriem? Caluarias carnibus nudatas, terribilem quendam, ac deformem aspectum, exaustis oculis, præbentes? Vidisti ora ringentia, reliquaque membra, prout fors tulit, diuulsa, atque dispersa? Si illa vidisti: te ipsum in illis spectasti. Vbi signa præsentis floris? Vbi coloris bonitas in genis? Vbi flos labiorum? Vbi truculenta, ac torua oculorum pulchritudo, sub vallo, tegumentoque superciliorum elucens? Vbi rectus nasus in medio genarum pulchritudinis collocatus? Vbi ad ceruices vsque demissę comę? Vbi circa tempora cincinni? Vbi sagittarię, iaculatricesque manus? Equitatores pedes? Vbi purpura? Vbi byssus? Vbi paludamentum? Vbi baltheus? Calcaria? Equus? Cursus? Fremitus? Omnia, per quæ nūc tibi fastus augetur? Dic, vbi hæc, quorum nomine nunc animos tollis, & superbis, magnosque tibi spiritus sumis in illis? Quod somnium adeò vanum, & non subsistens? Quænàm ex somno talia visa? Quæ vmbra adeò tenuis tactum subterfugiens, vt iuuentutis somnium simul, & apparens, & protinùs præteruolans? Hæc ad eos, qui in iuuentute propter ætatis robur imperfectum, minus sapiunt, à me dicta sint. Quid autem dicat aliquis de ijs, qui ætate iàm pleni, constituti, & confirmatique sunt? In quibus ætas quidem stabilis, mores autem, & ingenium instabile est, morbus

Superbia in iuuenibus quomodo reprimatur.

In viris ambitio magistratuum, causa superbiæ.

item

item ſuperbiæ augetur, nomen autem eiuſmodi ingenij morbo, ſpiritus, & faſtus imponitur? Magiſtratus autem, quodque ei adiunctum eſt, imperiū atque poteſtas, plerumque ſuperbiæ materiam, & occaſionem præbet. Aut enim in ipſo magiſtratu id vitium admittunt, aut hoc vitio impulſi ad eum aſpirant, aut ſermones de magiſtratu illati ſæpè numero ſopitum iàm morbum exſuſcitant. Et quænā eiuſmodi oratio ſit, quæ aures eorum à præconum voce præcluſas penetrare poſſit? Quis ità affectis perſuadebit, quod nihil quicquam omninò differāt ab ijs, qui in ſcæna, cum pompa producunt? Etenim illis quoque perſona quædam ex arte polita, atque ornata, veſtiſque purpurea auro intertexta iniecta eſt, & in curru magnificè inuehuntur: & tamen nullus ſuperbiæ morbus eos ex rebus eiuſmodi inuadit: ſed quo ſenſu, atque ſpiritu erant, antequā in ſcenam prodirent, eundem in animo habitum etiā in pompa conſeruant, & poſtea non ægreferunt, neque anguntur, quòd & de curru deſcenderint, & habitus ipſis detrahatur, & adimatur. At illi, qui per tempus magiſtratus pompam in ſcena vitæ ducunt, neque id quod paulò antè præterijt, nequè id quod paulò poſt ſequetur, reputantes, quemadmodum bullę inflatione intenduntur, & intumeſcunt: eodem modo hi quoque ad claritudinem vocis prę-conis intumeſcunt, & alicuius alienæ perſonę formam ſibi ſumunt, naturalem habitum vultus mutātes, & in ſeueritatem, atque terrorem componentes, ſonuſque ab eis aſperior ad audientium concuſſionem, & horrorem in feritatem tranſmutatus excogitatur, non ampliùs intrà terminos humanos ſe continent, ſed in diuinam, & potentiam, & poteſtatem ſe ingerunt, & intrudunt. Nam vitæ, neciſ-

Nec deeſſe ſolet auaritiæ, & cupiditatis illecebra.

Ambitioſi ſimiles ijs, qui perſonati in ſcenā prodeunt.

Scimus namque quòd per iocū deferantur eis honores nō ſui, ſed prorſus alieni.

Olim currus paucis permiſſus. *Tacitus.* Hac ætate omnibus.

Ad fastum reprimendũ, initium, & finis naturæ nostræ spectandus,

que se potestatẽ habere credunt, quod ex ijs, qui causas apud eos dicunt, alium quidem sententia sua seruant, alium verò capitis condemnant. Ac ne hoc quidem vident, quis verè humanæ vitæ potestatem habeat, videlicèt qui, & initium, & finem naturæ statuit; quamquàm hoc solum satis esset ad reprimẽdum vanum tumorem, atque inflationem, quod multos magistratum gerentes, & in imperio constitutos in ipsa magistratus scena è medijs solijs, & tribunalibus raptos, & ad sepulchra delatos viderunt, in quibus lamentatio voces præconis excepit. Quomodo igitur alienæ vitæ potestatem habet, qui à sua ipsiùs vita alienus est?

Ex Chrys. in Ps. 11.

Nemo itaque de potestate sibi magnificè placeat, intumescat. Locus enim est lubricus, & præceps, & eos qui non attendunt, facilè subuertit. Itidem;

Ex Author. Oper. imperfect. in Matth. hom. 2.

semper grandis potestas maiori timori subiacet. Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiam si leuis aura flauerit, mouetur: Sic, & sublimes homines in culmine potestatum existentes, etiam leuis nuncij fama conturbat. Humiles autem, sicut in cõualle, plerumque in tranquillitate consistunt. Medici ad ægrotantes ingressi, antequàm curent morbũ: inquirunt, vestigantque, vnde morbus sit inflictus, vt ab origine coerceant malum: propterea quòd qui manente radice, ramos tantùm exsecat, nihil aliud quàm inanem sumit operam. Audiamus, quid de Rege Ozia eloquium habeat diuinum. Neque enim hoc modo nos docuit, qui fuit elatum cor eius, verum addidit, vnde fuit elatum: Cum potens esset, inquit, elatum est cor eius. Non ferebat principatus magnitudinem: sed quemadmodum ex edacitate nascitur lingue inflatio, ex inflatione gignitur febris, deindè ex febri plerumque mors: itidem & hìc ex

Tamen sublimis potestas, quamuis metu cincta desideratur: pusillus status non ità.

actio-

actionum eminentia nata est superbia. Nam, quod in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia: mòx ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium. Hæc non temerè producimus in longum, sed ne vnquam existimetis hos esse suspiciendos, neque fęlices ducatis, qui principatum gerunt, cum sciatis quantum habeat negotij conditionis dignitas, nec vnquam illos iudicetis miseros, qui in egestate, & afflictionibus viuunt, scientes hanc vitam esse multò tutiorem. Vndè & propheta clamat dicens: *Bonum est mihi, Domine, quòd humiliasti me*. Vide igitur, quantum ex eminentia natum sit malum! Elatum est, inquit, cor eius vsque ad corruptionem. Quid est, vsque ad corruptionē? Vsque ad prauas cogitationes, quæ prorsus non ascendunt in animum nostrum, si nos ipsos tutamēto circumsæpiamus: sed, si eadem si negligentiùs egerimus, nascuntur in nobis, germinantque: si occupentur, protinùs præfocantur, & obruuntur. Alię simul, & gignuntur, & adolescunt, atque ad prauas actiones euadunt, omnemque mentis nostrę sanitatem corrumpunt, si quando vehementèr cessauerimus. Hoc itaque dicit, Elatum est cor eius, neque se intùs continuit concupiscentia, neque extincta est, sed prorupit, & ad opus vsque prauum progressa: totam illius virtutem corrupit.

Quod in corporibus inflatio, hoc in animis superbia.

Psal. 118.

Vigilantiùs quidem magnus Apostolus Paulus, sermone breui, vt assolet, creber verò in sententijs: Charitas, inquit, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. Sunt enim quidam qui faciliùs omnia sua pauperibus distribuunt, quàm ipsi, pauperes Dei fiant; Inflati sunt enim iactantià, qua putant sibi esse tribuendum, non gratiæ Dei, quod bene viuant: & ideò iàm, nec benè viuunt quantumcumque bo-

1. Cor. 13.

Ex Aug. in Ps. 71.

na opera facere videantur. De suo quippè habere se putant, & gloriantur quasi non acceperint; Diuites sui, non pauperes Dei, abnndantes sibi, non egentes Deo. Sed ait Apostolus: *Si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Tanquàm si diceret; si distribuero omnia mea pauperibus, & pauper Dei non fuero nihil mihi prodest. Charitas enim non inflatur, nec est vera charitas Dei in eo, qui ingratus est Spiritui sancto eius, per quem diffunditur in corporibus nostris charitas eius. Et ideò tales non pertinent ad populum Dei, quia non sunt pauperes Dei: Pauperes quippè Dei dicunt; Nos autem non spiritum huius mũdi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quia à Deo donata sunt nobis.

1.Cor.1. 1.Cor.13. Rom.5. 1.Cor.2.

Propterea idem Apostolus, Spiritu sancto locutus ait: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quod rectè aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, cum charitas inest, sine hac autem inflare, idest, in superbiam inanissimæ quasi ventositatis extollere. [Cum charitate non solum non inflat scientia, sed etiam firmat; *Ex eod. Aug. lib: 15. cõtrà Faust. cap. 8.* Vide plura notabilia, sed subtiliùs dicta modicam meam intelligentiam excedentia.] Sic itaque adhibeatur scientia tanquam machina quædam, per quã structura charitatis adsurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita, multùm est vtilis, per se autem ipsam sine tali fine, non modò superflua, sed etiàm perniciosa probata est.

Rom.8. Ex Aug. lib.9. de Ciu. Dei, c.9.

In Cantico Salomonis legimus: Ordinauit in me charitatem. Est enim charitas in actu, & in affectu; Et de illa quidem, quæ operis est, puto da-

Cant.2. Ex Bernar ser. 50. super. Cant.

tam

tam esse legem hominibus, mandatumque formatum; Nam in affectu, quis ità habeat vt mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, in præmium datur. Cuius initium quidem, profectumque, vitam quoq; præsentem experiri diuinà posse gratià nõ negamus: sed planè consummationem defendimus futuræ fęlicitati. Quomodo ergò iubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? Aut si placet tibi magis de affectuali datum fuisse mandatum, non indè contendo, dummodò acquiescas: & tu mihi, quod minimè in vita ista ab aliquo hominum possit, vel potuerit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? *Philip. 3.* Nec latuit præceptorem, præcepti pondus hominũ excedere vires: sed iudicauit vtile, ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri: & vt scirent sanè ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit, sed humiles, vt omne os obstruatur, subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo; Accipientes quippè mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in Cælum, & miserebitur nostri Deus: & sciemus in illa die, quia non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit; Atque hoc dixerim, si quidem cõsenserimus affectualem lege fuisse mandatam? Sed actuali id potiùs conuenire inde, vel maximè apparere videtur, quod cum dixisset Dominus: *Diligite inimicos vestros*: mòx de operibus infert: *Benefacite his, qui oderunt vos*. Item scriptura: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi*, & hic de actu habes non de affectu. Sed audi item Dominum etiam de sui dilectione mandantem:

Rom. 3. *Ibidem.* *2. Tit. 1.* *Luc. 6.* *Ibid:* *Rom: 12.*

Si

Ioan. 14. *Si diligitis me*, inquit, *sermones meos seruate*. Atque hìc quoque ad opera mittimur per iniunctam obseruantiam mandatorum. Superuacuè autem de opere monuisset, si in affectione iam fuisset dilectio: Math. 18. Sic tè ergo necesse est, & illud accipere quod iuberis diligere proximum tuum, sicut te ipsum, & si non ità apertè expressum sit. An non denique satis tibi esse iudices ad implēdum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfectè obserues, in quo omni homini rectè de lege naturæ præscribitur: Quod tibi non vis fieri, alij nè feceris? Et item illud: Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis? Neque hoc dico, vt sine affectione simus, & corde arido solas moueamus manus ad opera legis inter alia, quæ scribit Apostolus, magna, & grauia hominum mala, hoc quoque adnumeratum scilicèt, Rom. 1. sine affectione: Sed est affectio, quam caro gignit, & est, quam ratio regit, & est quàm condit sapientia. Prima est, quam Apostolus legi Dei dicit non esse subiectam, nec esse posse. Secunda, quam perhibet è regione consentientem legi Dei, quoniam bona est. Nec dubium, distare inter se cō- Psal. 33. tentiosam, & consentaneam. Longè verò tertia ab vtràque distat, quæ & gustat, & sapit quoniam suauis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans. Nàm prima quidem dulcis, sed turpis; secunda sicca, sed fortis: vltima pinguis, & suauis est. Igitur per secundam opera fiunt, & in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, sed quædam potiùs actualis, quæ etsi nondùm dulci illo amore suauiter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer ac- 1. Ioan. 5. cendit: *Non diligamus*, ait, *verbo, neque lingua, sed opere*,

opere, & veritate. Vides, quomodò cautè medius incedit inter vitiosum, atque affectuosum amorem, ab vtroque paritèr hanc distinguens actualem, & „ salutiferam charitatem? Nec linguæ mentientis „ in hac dilectione recipit fictum, nec rursùm affi- „ cientis exigit sapientiæ gustum: *Opere*, inquit, *diligamus*, *& veritate*: quòd videlicèt moueamur ad benè operandum magis quodam viuidæ veritatis impulsu, quàm sapidę illius charitatis affectu: *Ordinauit in me charitatem*. Quam putas harum? Vtrãque, sed ordine opposito: Nam actualis inferiora præfert, affectualis superiora. Etenim in benè affecta mente non dubium, verbi causa, quin dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cælũ terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in benè ordinata actione sæpè, aut etiam semper ordo oppositus inuenitur. Nam, & circa proximi curam, & plus vrgemur, & pluriès occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus, & paci terræ magis, quàm Cæli gloriæ, iure humanitatis, & ipsa necessitate intendimus, & temporalium inquietudine curarum vix aliquid sentire de æternis permittitur, languoribus nostri corporis, posposita animæ curà, pænę continuè inseruimus, & ipsis denique infirmioribus membris nostris abundãtiorem honorem, iuxtà sententiam Apostoli, circumdamus: Per hoc quodammodò facientes Verbum Dñi de quo habes: *Erunt nouissimi primi*, *& primi* „ *nouissimi*. Orantem denique hominem, cum Deo „ loqui, quis dubitet? Quoties tamen indè charitate „ iubente abducimur, & auellimur propter eos, qui „ nostra indigent opera, vel loquela? Quoties piè „ cedit negotiorum tumultibus pia quies? [Non

Quotquot viã Dei ingressi sumus, omnium gubernatorem Deum diligamus humiliter. *Ibid.*

Cant. 2.

1.*Cor.* 12.

Matth. 20

tam corporis alicuius character proprius existimatur, vt animæ eius, quæ amat dominum, propria est pax, & mansuetudo, quæ à strepitu sæculi huius longè est: Tunc vacat, & videt quòd benignus est „ Deus. *Ex Basilio orat.* 9.] Quoties bona conscien„ tia, ponitur codex, vt operi manuum insudetur? Quoties pro administrandis terrenis, iustissimè ipsis supersedemus celebrandis missarum solemnijs? Ordo præposterus, sed necessitas nō habet legem. Agit ergo suum actualis charitas ordinem iuxtà patrisfamilias iussionem, incipiens à nouissimis. Pia certè, & iusta, quæ non sit acceptrix personarum, nec pretia consideret rerum, sed hominum necessitas. Et non ità in affectuali, nam à primis ipsa ducit ordinem.

De opere manuum monachorum, de quo Doctores sācti, & præsertim Basilius *in Constitutionibus, c.* 5. & alibi sæpè, loquitur, consul. D. Tho. 2. 2. *qu.* 187. *Ibid.*

· Est enim sapientia, per quam vtique quæque res sapiunt, prout sunt: vt verbi gratia, quæ pluris natura habet, pluris quoque ipsa affectio sentiat, minora minùs, minima minimè; Et illum quidem ordinem charitatis veritas facit, hunc autem veritatis ordinem charitas vendicat sibi. Nam, & vera in hoc est charitas, vt qui indigent ampliùs, accipiant priùs: & rursus in eo chara apparet veritas, si ordinem tenemus affectu, quem illa ratione. Tu ergo si diligas Dominum Deum tuum toto corde, tota anima, tota virtute tua, & amorem amoris illum, quo contenta est charitas actualis, affectu feruentiori transiliens, ipso communis diuino amore (ad quem is est gradus) accepto in plenitudine spiritus totus ignescas, sapit tibi profectò Deus: & si non dignè omninò prout est, (quod vtique impossibile est omni creaturæ,) certè, prout tuum sapere est. Deinde sapiens etiam ipse tu tibi, prout es, cum te senseris nil habere prorsùs, vnde te ames: nisi in quan-

Ex eod. Ber. ser. vbi supra.

Matth. 22.

quantum Dei es: quippè qui totum vnde amas, in illum effuderis. Sapies, inquam, tibi prout es, cũ ipso experimento amoris tui, & affectionis, quam ad te ipsum habebis, nihil dignum te esse inuenies, quòd vel à te ipso ametur, nisi proptèr ipsum, sine quo ipse es nihil. Iam verò proximus, quem verè te oportet diligere, tanquam te ipsum, vt tibi, & ipse sapiat prout est, haud aliud profectò sapiet tibi, quàm tu tibi, qui hoc est quod tu: Est enim homo. Qui itaque te non diligit, nisi quia diligis Deum, consequenter omnes, qui similiter diligunt eum, diligis tanquàm te ipsum. Porrò inimicum hominem, quoniam nihili est, pro eo quod non diliget Deum, non potes quidem diligere tanquam te ipsum, qui Deum diligis, diliges tamen vt diligat: Non est autẽ idipsum diligere, vt diligat: & diligere, quia diligere, quia diligit. Proindè vt tibi, & ipse sapiat, prout est, sapiet tibi non quidem, quod est, qui vtique nihili est, sed quod futurus forsitan est, quod est propè nihili, quippè quod adhuc pendet sub dubio. Etenim de quo constat, quod ad amorem Dei non sit deinceps rediturus, sapiat tibi necesse est non propè iam nihil, sed nihil ex toto, vtpote quod in æternum nihili est. Illo igitur excepto, qui non modò iàm non diligendus, insuper, & odio habendus est, secundum illud: *Nonnè qui oderunt te, domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebã?* De cætero nulli, vel inimicissimo homini negari quãtulumcumque affectum charitas sanè in hac parte ambitiosa permittit. Quis sapiens, & intelliget hæc? Da mihi hominem: qui antè omnia quidem ex toto se diligat Deum: se verò, & proximum inquantum diligunt ipsum, inimicum autem tanquam aliquando forsitan dilecturum. porrò parentes carnis suæ

germaniùs propter naturam, spirituales verò eruditores suos profusiùs propter gratiam: atque in hũc modum ad cætera quæque, Dei ordinato intendat amore, respiciens terram, suspiciens cælum, vtens hoc mundo, tanquam non vtens, & inter vtendo, & fruendo, intimo quodam mentis sapore discernens, vt transitoria transitoriè, & ad id duntaxat, quod opus, & prout opus est, curet, æterna desiderio amplectatur æterno: Talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronũcio, cui nimirum quæque res reuerà sapiunt, prout sunt, & cui in veritate, atque securitate competit gloriari, & dicere: *Quia ordinauit in me charitatem*.

1. Cor. 6.

Charitas enim non potest esse sine fide: Tres enim sunt velut vades ecclesiæ, spes, fides, charitas. Cum spes accesserit, fides fundata fuerit, ordinatur charitas, ecclesia copulatur. Optat itaque ecclesia, vt charitas in se ordinetur, vt vnicuique, ac rebus omnibus eum affectum impertiat, quem debet. Præposterus est enim frequenter, ac stultus hominũ amor, vt ea diligant quæ sunt odienda, ea odiant, quæ sunt amanda. Quis non præponit sæpè numero, ea, quæ sunt terrena, cælestibus, quæ sunt carnalia spiritalibus? Orat ergò sponsa adolescentulas, vt amoris, & charitatis ordinem in se constituant, nè per imprudentiam, sobrietatis, ac moderationis metas excedat.

Ex Ambr. lib. 3. de Virginib. to. 3. 365. 6.

Ab omni contaminatione mens libera est, quæ siue in se, siue in proximo nihil diligit, nisi quod ex Deo esse nouit. Nam amare aliquid, quod non ex opere, sed spiritu Dei sit, non est casta dilectio, & sufficit tentari sublimes, & claras animas, ac illusione violasse, vt quas ad illicita non impulit, placendi sibi ad elationem deiecerit. De hac charitate

Ex eodẽ Ambr. ep. 33. pag. mihi 8. tom. 5.

Impurus verò animus oratio- ni infestus nimis. Fęlix. qui perambular in in-

te fine dubio Apostolus loquebatur, & istius proprietatem subtilissimis discretionibus eliquabat, dicens; *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aramentum resonans, aut cymbalum tinniens. Etsi habeam prophetiam, & sciam mysteria omnia, & omnẽ scientiam, & si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Etsi erogauero pauperibus omnem substantiam meam, etsi tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. In quarum definitionum formulà multò laboraremus obscuris, nisi sequentia demostrarent: quæ esset species istiùs charitatis, cui soli tot operum labores, tot virtutum merita, non perirent. Esto enim, vt multiplex loquendi peritia, quæ non solum ad omnem humanæ facundiæ artem, sed etiam ad angelici eloquij peruenerit facultatem, si charitate careat, inutili æris sono, & tinnitui sit comparabilis cymbalorum. Esto vt habens profetiam, scientiam, habens fidem dæmonibus imperantem, nihil sit, quia charitate sit vacuus, vt etiam ille ab hac esse possit alienus, qui in alimoniam pauperum suas distribuerit facultates, vel qui corpus suum igne torrendum: pro Christi confessione tradiderit, incredibile videretur, nisi beatus Paulus hoc diceret; qui tamen cum eiusdem charitatis membra describeret, doceretquè qualis esset hæc virtus, sinè qua nullæ possint prodesse virtutes: *Charitas*, inquit, *magnanima est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt*, & reliqua. Inflatio ergo, & ambitio, & propriorum bonorũ superba defensio, possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria, si & ma-

innocentia cordis sui in medio domus suæ. Ille benedicit reuera dominũ, ille laudat, etiam cum tacet, quia innocentiã vicem vocis habet.

1. Cor. 13.

Ibidem.

magnas opes amore quis humanæ laudis effundat; & sæua supplicia non ea fortitudine, quam Deus tribuit, sed ea, quam de se præsumpsit, excipiat. Hoc est enim propriâ fiduciâ inflari, hoc vanam gloriam quibuslibet ambire dispendijs, hoc postremò est nolle habere, quæ Dei sunt, & ibi suum constituere meritum, vbi diuinum cessarit auxilium; Hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior. A quibuslibet enim lapsibus delictorum facilè surgitur, quando opem à reparatore suo poscit elisus. Huic autem ruinę nihil subuenit, quia aut difficilè peccatum suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur, nec vnquam ibi proficit cura, vbi morbus est, ipsa medicina. Hunc autē corruptissimum pestilentiæ istius flatum, spiritus veræ humilitatis, & veræ charitatis excludit. In nullo enim hè virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarū tàm indiscreta connexio est, vt qui in vna earum constituitur, simul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ità pars humilitatis est charitas. Etsi illa recolamus, quæ sine bono charitatis infructuosa esse, Apostolus definiuit, inueniemus eadem similem habere charitatem, si eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Vnde, quia in distributione superbiæ, & humilitas tendit, & charitas: de vtraque habeatur dictum, quidquid de vna est disputatum.

Ex Basil. magno in Regul. fusiùs disputatis, Respons. ad Inter. 5.

„ Hæc autem vbi præstiterimus, omni custodia
„ custodiendum fuerit cor nostrum, neque patien-
„ dum, vt assidua de Deo cogitatio ex animis nostris
„ elabatur, neuè eorum, quæ mirabiliter ab eo fa-
„ cta

„ cta sunt, memoria contaminetur, per futiles, & „ euanidas cogitationes: contra quæ illud agendũ assiduè, vt ex perpetua, ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod signum, circumferamus. [Recordatio mirabilium operum Dei, & beneficiorum eius stimulus est amoris illius, & nostra consolatio: Iuxtà illud: Memor fui operũ Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum *Psalm.76*.&: Memor fui Dei,& delectatus sum, *Ibid.* Fortasse iux. illud: Fac mecum signum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniã tu domine adiuuisti me;, & consolatus es me. *Psal. 85. Alibi*: Confitebor tibi domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum, quoniam adiutor, & protector factus es mihi, &c. *Ecclesiast.* 51.] Siquidem hæc est ratio, per quam erga Deum acquiri charitas consueuit, quæ simul cum ad conficienda ipsa Dei mandata nos excitet, tùm vicissim quoque ab ijsdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conseruetur. [Donec perficiatur in beatis illis, qui digni habiti sunt conuiuio agni, & videbunt Iesum, sicuti est. Ipsum semper laudabunt, quia semper amabunt.] Quod ità esse docet Dominus ipse, qui quidem modò dicit: *Si diligitis me, mandata mea seruate*, modò verò: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Et quod efficacius etiam possit commouere: *Sicut ego mandata patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione*. Quibus sanè verbis illud nos docet, debere nos, vt quodcumq; faciendum nobis opus instituerimus, eius voluntatem, à quo illud nobis imperatum sit, veluti finem quendam nobis proponere, ad eamque omne studium nostrum dirigere, quemadmodum alio in lo-

Claude ostium, cùm oras, nè se ingerat spiritus nequam, vt ibi peccatum extorqueat, vbi lucrum volumus pietatis ac quiete. *Ambros.*

Ioan. 14.

Io. 15.

co

co etiam dicit: *Descendi de Cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris.* Vt enim artes hæ, quæ sunt ad parandum viaticum necessariæ, vbi fines sibi quosdam suos proposuerint, conuenientia ad eos obtinendos officia etiam posteà sua quædam, peculiaresque actiones accommodant; sic cum eorum, quæ nos facimus operum omnium, vna sit regula, normaque vna, nempè videlicèt, vt Dei iussis, ex Dei voluntate pareamus, fieri non potest, vt opus nostrum aliter perfectè efficiamus, nisi quandiù illud in manibus nostris est, assiduè vsque voluntatem eius, qui sciuit, sanxitque, legem mandatorum, semper spectemus. [Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. *Psal.* 72. *Alibi:* Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne cõmouear. *Ibidem* 15.] Porrò ex hac sedula operis nostri effectione ad voluntatem Dei accomodanda, illud cõsequetur, quod ex recordatione illa cum Deo coniungemur. Vt enim Faber ferrarius, verbi gratia, quandoque dolabram aliquam siuè asciam cudit, si assidue illius memor sit, vnde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præscriptam sibi ab illo formam, & magnitudinem animo versat, & ad voluntatem eius, qui condixit, opus dirigit, quod facit: alioqui si eius memoriam menti sibi patiatur excidere, prorsus aut aliud quippiam omninò, aut longè dissimile efficiet ab eo, quod facere instituerat: sic Christianus quoque, si actiones suas omnes, siuè minores, siuè maiores ad Dei voluntatẽ direxerit, is sine controuersia, & egregiè opus illud perficit, & simul assiduam illius in animo sibi memoriam conseruat, à quo id iussus est facere: verèque illud

Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper. *August.*

Notam fac mihi Domine viã, in qua ingrediar, seù, ambulem; quoniam ad te leuaui animam meam. Leuaui ad te, non contra te. Apud te est fons vitę, ad te leuaui animam meã, tanquàm vas ad fõtem attuli: imple ergo me, quoniam ad te leuaui animam meam. *Aug in Ps.*141.

(à simili)

Doce me, Dñe, facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Psal. 141. Alibi: Seruus tu-

illud dicere poterit: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, nè cõmouear:* itemque Pauli præcepto illi satisfaciet: *Siue manducatis, siuè bibitis, siuè quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite:* Quod si quis in eo, dum opus administrat, à perfecta illa pręscripti mandati norma descişcat, hunc, perspicuum est, debilem Dei memoriam retinere. Quocirca memores assiduè verborum Domini illorum. [Iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius. Et: memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. *Ps:* 102.] *Numquid non Cęlum, & terram impleo ego, dicit Dominus, & Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longè?* Et; *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum:* Sic omnia tanquam in oculis illius, & agere debemus, & cogitare. Hac enim ratione, & perpetuus in nobis timor permanebit, odio habens iniquitatem, (sicut scriptum est) animique elationem, ac superbiã, vias improborum: & charitas conflabitur, cumulatè efficiens illud, quod dictum est à Domino: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, patris;* cum hæc firmissimè vsque in animis nostris hæreat persuasio, & quæ rectè gerantur, ea iudici, ac remuneratori actionum nostrarum placere, & quæ contra, flagitiosè, ab eodem condemnari.

tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Ibid. 118. *Psal.* 15. 1. *Cor.* 10. *Hier.* 23. *Ibid.* *Matth.* 18. *Psal.* 118. *Io.* 5. v. 30.

co etiam dicit: *Descendi de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris*. Vt enim artes hæ, quæ sunt ad parandum viaticum necessariæ, vbi fines sibi quosdam suos proposuerint, conuenientia ad eos obtinendos officia etiam posteà sua quædam, peculiaresque actiones accommodant; sic cum eorum, quæ nos facimus operum omnium, vna sit regula, normaque vna, nempè videlicèt, vt Dei iussis, ex Dei voluntate pareamus, fieri non potest, vt opus nostrum aliter perfectè efficiamus, nisi quandiù illud in manibus nostris est, assiduè vsque voluntatem eius, qui sciuit, sanxitque, legem mandatorum, semper spectemus. [Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. *Psal.* 72. *Alibi:* Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne cómouear. *Ibidem* 15.] Porrò ex hac sedula operis nostri effectione ad voluntatem Dei accomodanda, illud cósequetur, quod ex recordatione illa cum Deo coniungemur. Vt enim Faber ferrarius, verbi gratia, quandoque dolabram aliquam siuè asciam cudit, si assidue illius memor sit, vnde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præscriptam sibi ab illo formam, & magnitudinem animo versat, & ad voluntatem eius, qui condixit, opus dirigit, quod facit: alioqui si eius memoriam menti sibi patiatur excidere, prorsus aut aliud quippiam omninò, aut longè dissimile efficiet ab eo, quod facere instituerat: sic Christianus quoque, si actiones suas omnes, siuè minores, siuè maiores ad Dei voluntaté direxerit, is sine controuersia, & egregiè opus illud perficit, & simul assiduam illius in animo sibi memoriam conseruat, à quo id iussus est facere: verèque illud

Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper. *August.*

Notam fac mihi Domine viã, in qua ingrediar, seù, ambulem; quoniam ad te leuaui animam meam. Leuaui ad te, non contra te. Apud te est fons vitę, ad te leuaui animam meã tanquàm vas ad fõtem attuli: imple ergo me, quoniam ad te leuaui animam meam. *Aug in Ps.* 142.

(à simili)

Doce me, Dñe, facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Psal. 142. Alibi: Seruus tu-

illud dicere poterit: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, nè cōmouear:* itemque Pauli præcepto illi satisfaciet: *Siue manducatis, siuè bibitis, siuè quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite:* Quod si quis in eo, dum opus administrat, à perfecta illa pręscripti mandati norma desciscat, hunc, perspicuum est, debilem Dei memoriam retinere. Quocirca memores assiduè verborum Domini illorum. [Iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius. Et: memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. *Ps:* 102.] *Numquid non Cęlum, & terram impleo ego, dicit Dominus, & Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longè?* Et; *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum:* Sic omnia tanquam in oculis illius, & agere debemus, & cogitare. Hac enim ratione, & perpetuus in nobis timor permanebit, odio habens iniquitatem, (sicut scriptum est) animique elationem, ac superbiā, vias improborum: & charitas conflabitur, cumulatè efficiens illud, quod dictum est à Domino: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, patris;* cum hæc firmissimè vsque in animis nostris hæreat persuasio, & quæ rectè gerantur, ea iudici, ac remuneratori actionum nostrarum placere, & quæ contra, flagitiosè, ab eodem condemnari.

tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Ibid. 118.
Psal. 15.
1. *Cor.* 10.
Hier. 23.
Ibid.
Matth. 18.
Psal. 118.
Io. 5. v. 30.

DE DILECTIONE DEI, ET PROXIMI.

LIBER TERTIVS.

1.Cor.13. Cant.8. Psalm.83. Ex Aug. ibid.



Haritas patiens eſt, non irritatur: omnia ſuſtinet: *Alibi*: Fortis eſt, vt mors, dilectio. *Et in alio Pſalmo*: Ibunt de virtute iu virtutem. Multę, quidem, virtutes ſed hìc neceſſariæ: & ab his virtutibus imus in virtutem. Quam virtutem? Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Ipſe dat diuerſas virtutes in loco hoc, qui pro omnibus virtutibus neceſſarijs, in conualle plorationis, & * vtilitatibus dabit vnã virtutem, ſe ipſum. Nam & virtutes agendę vitæ noſtræ quatuor deſcribuntur à multis, & in ſcriptura inueniuntur. Prudentia dicitur, qua dignoſcimus inter bonum, & malum. Iuſtitia dicitur, qua ſua cuique tribuimus: nemini quicquam debentes, ſed omnes diligentes. Temperantia dicitur, qua libidines refrenamus. Fortitudo dicitur, qua omnia moleſta toleramus. Iſtæ virtutes nunc inconualle plorationis per gratiã Dei donantur nobis; Ab his virtutibus imus in illam virtutem. Et quæ erit illa virtus, niſi ſolius contẽplationis Dei? Neceſſaria ibi non erit iſta prudẽtia, vbi nulla mala occurſura ſunt, quæ vitemus. Sed quid putamus, fratres? Non iſta iuſtitia, vbi nulla erit cuiuſquam indigentia, cui ſubuenire debeamus. Non iſta fortitudo, vbi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus huius actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, qua cõ-

Aliàs * vtilibus.

Rom:13.

Et iam manducamus fructum bonorum operum, quæ elegimus, & ſectati prudenter ſumus.

templentur Deum: ſicut ſcriptum eſt, *Manè aſtabo tibi, & contemplabor*. Quantò autem laborant ho- *Pſal. 5.* *Ex Auguſt. in in Pſ. 31. Enar. 2.*
„ mines in defenſione peccatorum ſuorũ, tantò plus
„ robur eorum, & fortitudo deficit. [Ille enim fortis eſt, qui non in ſe, ſed in Deo fortis eſt.] *Propter illud ter dominum rogaui, vt auferret eum à me; & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea*. Gratia mea dixit, non virtus tua: Sufficit, inquit, tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Vnde alio loco ipſe ait: *Quando infirmor, tunc fortis sũ*. *2. Cor. 12.* Ergo qui vult fortis eſſe, velut præſumens de ſe, & iactans merita ſua, qualiacunque illa ſint, erit ſimilis Phariſæo illi, qui quod à Deo, ſe, dicebat accepiſſe, ſuperbè tamen iactabat: *Gratias*, inquit, *tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines*. *Luca 18.* Attendite fratres mei, quale genus ſuperbiæ commendet Deus! Verè quale poteſt ſubintrare iuſto homini, quale poteſt ſubrepere bonæ ſpei: Verè *gratias ago tibi*, dicebat. Ergo cum dicebat, *gratias tibi*, fatebatur ab illo ſe accepiſſe, quod habebat: *Quid enim habes, quod non accepiſti?* *1. Cor. 4.* Ergo gratias tibi ago, dixit, gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, ſicut & publicanus iſte. Vnde ergo ſuperbus? Non quia de bonis ſuis, Deo gratias agebat, ſed quia ſuper alterum ſe de ipſis bonis extollebat. Propheta loquitur in Pſalmo quinquageſimo octauo: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es. Deus meus, miſericordia eius præueniet me*. *Pſal. 58.*

Ecce quid eſt, fortitudinem meam ad te cuſtodiam? *Ex Auguſt. ibid.* De me omninò nihil præſumam. Quid enim attuli boni, vt mei miſereris, & me iuſtificares? Quid in me inueniſti, niſi ſola peccata? Tuum, nihil aliud niſi natura, quam creaſti: cætera, mala

X 2 mea

Deleuit Dominus Iesus sanguine suo atramentum Eux. *Ambr.* Et quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illnd cruci,&c. *Coloss* 2.

mea, quæ deleuisti. Non ego prior ad te exurrexi, sed tu ad me excitãdum venisti: Nam misericordia eius præueniet me. Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius præueniet me. Quid hic respondebit infelix Pelagius? (*Odiamus in nobis, quæ nostra sunt, vt dicamus cernui*: Iniquitatem odio habui: *Diligamus quæ Dei sunt, dicentes*: Legem tuam dilex. *Abominatio sit nobis culpa, libeat peccata flere commissa*.)

Psalm.92.
Ex Aug. Ibidem

Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Imitare ergo & tu dilecte, Dominum tuum, vt possis esse vestis ipsius. Esto cum decore ad eos, quibus placent bona opera tua, esto fortis aduersus detractores. [Apostolus dicit: Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: Sicut in die, honestè ambulemus: non in commessationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum. R*oman*. 13. *num*. 18. & 14.] Audi Paulum Apostolum imitantem Dominum suum: quomodò, & ipse habuit decorem, habuir fortitudinem: Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco, & in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt. Quibus enim placet bonum, salui fiunt, qui detrahunt bono, pereunt. Quod suum erat; ille odorem habebat bonum: imò, *bonus odor sumus*, sed *Christi bonus odor sumus*, ait, *in omni loco, & in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt*. Subiecit statim: alijs quidem sumus odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortẽ. Quibus enim erat odor vitę in vitam, decorẽ induerat: quibus erat odor mortis in mortem, fortitudinem induerat. Si autem tùnc gaudes, quando te laudant homines, & placent illis bona opera tua: cum autem

2. *Corinth*.6.

vitu-

vituperauerint, deficis in bonis operibus, & quasi fructum bonorum operum te perdidisse arbitraris, quià inuenis reprehensores: non stetisti immobilis, non pertines ad orbem terrarum, qui non commouebitur. Induit fortitudinem, & precintus est. De ipso decore, & fortitudine habet alio loco Apostolus Paulus: *Per arma iustitia, dextera, & sinistra*. Vide vbi decorem, vbi fortitudinem? Per gloriam, & ignobilitatem. In gloria decorus, in ignobilitate fortis. Apud alios gloriosus prędicabatur, apud alios ignobilis contemnebatur. Decorem afferebat eis, quibus placebat, fortitudinem aduersus eos, quibus displicebat. Et sic enumerat omnia vsque in finem, vbi dicit: *quasi nihil habentes, & omnia possidentes*. Cum omnia possidet, decorus est: cum nihil habet, fortis est. 2. Corinth. 6. Ibidem.

Iterùm idem sanctus Rex Dauid, *Ecce*, inquit, *ceperunt*, seù, venati sunt, *animam meam: irruerunt in me fortes*. Diligentèr insinuandum est, qui sint fortes insurgentes. Fortes, super quos, nisi super infirmos, super inualidos, super non fortes? Et laudantur tamen, & damnantur fortes. Si intelligantur, qui sunt fortes, primo ipsum Diabolũ, Dominus fortem dixit: nemo, inquit, potest intrare in domum fortis, & vasa eius eripere, nisi priùs alligauerit fortem. Alligauit ergo fortem vinculis dominationis suæ: & vasa eius abripuit, ac vasa sua fecit. Erant enim omnes iniqui, vasa Diaboli, qui credentes facti sunt vasa Christi: quibus Apostolus dicit: *Fuisti enim aliquando tenebra, nùnc autem lux in Domino, qui notas facit diuitias suas in vasa misericordia*. Possũt ergo isti fortes dici reprehẽsibili, & damnabili fortitudine; qui pręsumũt „ quidem, sed de temporali fęlicitate. Non vobis „ videtur fuisse fortis diues iste, qui nunc ex Euange- „ lio recitatus est, quoniam successit ei regio in opu- Psalm. 58. Ex Aug. Ibid. Ephes. 5. Roman. 9. Vides in doctrina SS.PP. etiam styli pulchritudinem cum grauitate. Luc. 12.

„ lentia

„ lentia fructuum? Perturbatus consilium recondi-tionis inuenit, vt destructis veteribus apothecis, no-uas construeret ampliores, eisque completis, animæ suæ diceret: Habes multa bona anima, epulare, io-cundare, satiare. Qualem fortem vides? Ecce ho-mo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed spe-rauit in multitudine diuitiarum suarum. Vide, quàm fortis sit: & præualuit, inquit, in vanitate sua.

Psalm. 51.

„ Sunt & alij fortes, non de diuitijs, non de viribus „ corporis, non de aliqua in tempore præcellenti po-„ tentia dignitatis, sed præsumentes de Iustitia sua. Hoc genus fortium cauendum, metuendum, auersan-dum, non imitandum. Præsumentium, inquam, non de corpore, non de opibus, non de genere, non de honore: omnia enim ista quis non videat temporalia, fluxa, caduca, volatica? sed præsumentium de iustitia. Talis fortitudo impediuit Iudeos, nè per foramẽ acus intrarent, Matth. 19. Cum enim de se præsumunt, quod iusti sint, & tanquàm sani sibi videntur: medi-cinam recusauerunt, & ipsum medicum necauerunt. Tales ergo fortes, non infirmos, non venit vocare, qui dixit: *Non est opus sanis medicus, sed malè haben-tibus*. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Isti erant fortes, qui insultabant Disci-pulis Christi, quià Magister eorum ad infirmos intra-bat, & conuiuabatur cum infirmis: *Quare*, inquiunt, *Magister vester cum publicanis, & peccatoribus man-ducat*? O fortes, quibus medicus opus non est! For-titudo ista non sanitatis est, sed insaniæ; Nam & fre-neticis nihil fortius, valentiores sunt sanis: sed quan-to maiores vires, tantò mors vicinior. Auertat ergò Deus ab imitatione nostra fortes istos. Timendum est enim, nè eos quisque velit imitari.

Nemo de potestate sibi magnificè placeat, nec intumescat. Locus enim est lubricus, & præceps, & eos, qui non attendunt, facillimè subuertit.

Ex Chrys. hom. in Psalm 9. vers. Contere brachiũ peccatoris, &c.

Matth. 9.

Ibidem.

Est fortis, qui se in dolore aliquo consolatur. Et

reuera

reuera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisq; se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius, & magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in seruitutem redigere, vt obediat imperio, consilijs obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi, ac voluntatem. *Ex Ambr. lib 1. de Offic. c. 36. t. 4*

Fortis est viri, non dissimulare, cum aliquid immineat, sed prætendere, & tanquam explorare de specula quadam mentis, & obuiare cogitatione prouida rebus futuris, nè forte dicat postea: Ideò in ista incidi, non arbitrabar posse euenire. Denique, nisi explorentur aduersa, citò occupant. Vt in bello improuisus hostis vix sustinetur, etsi imparatos inueniat, facilè opprimit: ità animũ mala inexplorata plus frangunt. In his ergo duobus illa est animi excellentia, vt primũ animus tuus bonis exercitatus cogitationibus, mundo corde, quod verũ, & honestũ est, videat: Beati enim mundo corde, quia ipsi etiàm Deum videbunt; atquè id, quod honestum est, solùm bonum iudicet. Deindè nullis perturbetur occupationibus, nullis cupiditatibus fluctuet. Nequè verò id quisquam facilè facit. Quid enim tàm difficile, quàm despicere tanquàm ex arce aliqua sapientiæ opes, aliaque omnia, quæ plerisque videntur magna, & præcelsa? Deinde, vt iudicium tuum stabili ratione confirmes, & quæ iudicaueris leuia, tanquàm nihil profutura contemnas? Deindè, vt si quid acciderit aduersi, idque graue, & acerbum putetur, ità feras, vt nihil præter naturam accidisse putes, cùm legeris: nudus sum natus, nudus exibo: quæ Dominus dedit, *Ex Eod. Ibidem, cap 38.* *Matth 5.* *Iob. 1.*

Dominus abstulit: & vtique & filios amiserat, & facultates: seruesque in omnibus personam sapientis,
Ibidem. & iusti, sicut ille seruauit, qui, ait; Sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum;
Iob. 2. Et infra: Sicut vna insipientium mulierum locuta es: Si bona suscepimus de manu Domini, quę mala sunt, non sustinebimus?

Ex eod. in c. 4. Apoc. tom. 5. A fortitudine ad consilium conscenditur. Consilium autē salutis nostræ in pręceptis consistit Euangelicis. Quisquis igitur vitia in se extinguere per fortitudinis spiritum potuit, necesse est, vt ad mandata Euangelica perscrutanda, atque in corde suo recondenda transeat: vbi consilium reperiet, qualitèr ad perfectionis culmen conscendere valeat. Et quia mandata Euangelij sine virtutibus custodiri non possunt, à spiritu consilij ad intellectum conscenditur in quo perfectio virtutum tota consistit. Inrellectus verò dona à Spiritu sancto fideles accipiunt, cum omnibus virtutibus ditari merentur. Ille autem verum intellectum possidet, qui fide illuminatur, qui pudicitia mundatur, patientia decoratur, qui humilitate munitur, qui charitate refulget, cæterisque virtutibus consumatur. Et quia per orationem virtutū ad culmen perfectionis conscenditur, sapientia intellectui præponitur: in quo tota perfectio consistit.
Matth. 19. De hac perfectione Dominus dicit in Euangelio: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Sunt namque multi, qui ad perfectionis culmen subitò conscendere conantur, sed quia per gradus virtutum non conscendunt, facilè corruunt. Quid enim prodest substantiam relinquere, si iram, odium, ebrietatem, inuidiam, superbiam, vanāgloriā, cæteraque vitia, quæ occidunt animam, à mente sua

non

non abijciat? Non enim prodest, arborem conscendere, vt Leonem euadat, si serpentem in sinu gestet, cuius veneno pereat. Nèc dicit Dominus illum perfectum esse, qui substantiam tantummodò dimisetit, sed eum, qui & substantiam dimiserit, & ipsum secutus fuerit: Sequimur autem illum, quando imitamur. Ad hoc igitur perfectionis culmen ille competenti gradu conscendit, qui priùs vitijs abrenuncians, per actualem vitam, quæ virtutibus perficitur, ad contemplatiuam conscendit, in qua soli Christo coniungitur, qui est sapientia Patris, Filiusque Dei, & Ciuis Hierusalem cœlestis efficitur. *1. Corinth. 1.*

Vndè illis, qui ad dexreram, vel ad sinistram sedere cupiebant, Dominus ait (ille, inquam, qui elegit passionē, vt mereretur pro nobis, verè clibanus amoris, & flamma succensa) *Potestis bibere calicem, quem bibiturus sum?* Vsque ad finem te ducit, vsque ad martyrium prosequitur, ibi constituit beatitudinum palmam. Vide ordinem: oportet te fieri *pauperem spiritu*; Humilitatis enim spiritus, diuitiæ virtutum sunt. Nisi pauper fueris, mitis esse non poteris. Qui mitis est, potest lugere præsentia: qui inferiora luget, potest desiderare meliora: qui superiora quærit, inferiora deuitat, vt & ipse à superioribus adiuuetur: qui miseretur, cor suum mundat. Quid est enim mundare animum, nisi sordem morte liberat: patientia verò, perfectio est charitatis. Qui autem patitur persecutionem, in vltimo certamine constitutus probatur aduersis, vt cum legitimè certauerit, coronetur. Fortitudinis quoquè exercitium est, pœnis pro lege non cedere. Iustitiæ quoque insigne, atquè prudentiæ, vt quod sequendum elegimus timore Dei, morte morte proposita, reseruemus. *Matth. 10.* *Ex Ambr. lib. 5. in Luc. cap. 6.* *Matth. 10.* *Matth. 5.* *Ex eod. lib. 2. de Iacob. & v. c. 10*

- Prudentia sine iustitia nocet. Fortitudo quoque, *Ex eod. lib. 1. de Abraham. c. 10.*

nisi eam iustitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori, quàm rationi propior, dominationi, quàm libertati: Sobrietas, & temperantia, priuata bona sunt, nèc vllius vis, nisi iusta erga Deũ, & reuerentia, & fideli mente pietatem colas. Iustitia sola est, quę virtutes omnes complectitur, & commendat omnes. Denique Dominus gloriæ dicit: Beati eritis, cum vos oderint homines, & persecuti vòs fuerit. Habes fortitudinem, sed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, sed persecutionem patiatur ex fide. Sic enim ad passionis peruenitur coronam, si gratiam hominum negligas, diuinam sequaris. Dauid Rex, qui & manu fortis interpretatur: *Ab increpatione tua*, inquit, *Deus Iacob, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos*. Qui sunt, qui ascenderunt equos? Qui humiles esse noluerunt. Non in equis sedere peccatum est, sed ceruicem potestatis contra Deum erigere, & pütare se in aliquo honore esse. Quia diues es, ascendisti: increpat Deus, & dormis? Magna ira increpantis, magna ira. Attendat charitas vestra rem tremendam: Increpatio strepitum habet, strepitus expergisci solet homines facere. Tantum pondus est increpantis Dei, vt diceret: Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormĩtauerunt omnes, qui ascenderunt equos. Ecce quo somno dormitauit ille Pharao, qui ascendebat equos. Non enim vigilauit in corde, qui de increpatione duorum cor habebat. Dnritia enim cordis, obdormitio est. Rogo vos, fratres mei, videte quomodò dotmiunt, qui sonante Euangelio & amen, & alleluia per totum Orbem terrarum, adhuc vitam veterem nolunt damnare, & in nouam euigilare. Erat scriptura Dei in Iudæa, modò per totum Orbem terrarum cantatur. In illa vna gente dicebatur Deus vnus, qui fecit omnia, esse adorandus,

Psalm. 75.
Ex Aug. Ibidem.
Exod. 14.

dus,& colendus,modò ibi taceretur Christus. Resurrexit Christus,irrisus est in Cruce,ipse crucem suam, in qua irrisus est, iàm fixit in frontibus Regum: & adhuc dormitur? Magna ira Dei,fratres: [Sed cum exarserit in breui ira eius,beati omnes, qui confidũt in eo. *Psalm. 3, &c.* Ira in indignatione(*vel vt legit Gregorius*) ad momentum, vita in voluntate eius. *Ibidem 29.* Quasi puniat quodammodò præter voluntatem, secundum hanc verò misereatur.] Melius nos eum audiuimus,qui dicit: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis,& illuminabit te Christus*. Sed,qui illum audiunt? Qui non ascendunt equos. Qui sunt qui non ascendunt equos? Qui non se iactant, & extollunt,quasi in honoribus,& potestatibus suis. Ephes.5.

Potentiam,& iustitiã altissimi Dei simul ãnunciare Rex,& Propheta profitetur in Psalm.20.vt qui legit, memoretur,indiuiduũ comitem potentiæ esse debere iustitiã,sicut etiã veritatẽ iuxtà illud: Potens es Dñe, & veritas tua in circuitu tuo. Caueant Reges putare quęcunq;velint sibi licere,suamque voluntatem pro canone habere.[Hoc malum superbia est,impediens perfectionẽ.Iactet ergo se quisque de diuitijs, iactet de pulchritudine, & de viribus corporis: ista certè omnia mortalia sunt. Ridendi sunt, qui se de mortalibus iactant, à quibus rebus; plerumque, aut viui deserũtur,aut mortui eas necesse est,vt deserant,&c. *Consule August. enarrat. in Psalm.58.& Bernard.ser. 9. in Psalm. Qui habitat.*] Tutam, veramque in Cęlum viam molitur humilitas,sursum leuans cor ad Dominum, non contra Dominum, sicuti dictus est Gigas iste, *venator contra Dominum*; Quod non intelligentes nonnulli,ambiguo græco decepti sunt,vt non interpretarentur contra Dominum,sed ante Dominum,. . . . . quippè, & ante,& contrà significat. Ex Aug. lib.16. de Ciu. Dei c. 4. Genes.10.

Psalm.94. Hoc enim verbum est etiam in Psalmo: *Et ploremus ante Dominum, qui fecit nos*. Et hoc verbum est etiã in libro Iob, vbi scriptum est: *In furorem erupisti contra Dominum*. Quid autem significatur hoc nomine, quod est *venator*, nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor? Erigebat ergo cum suis Populis turrim contra Dominum, qua est impia significata superbia. [Ij, qui exaltato sũt corde, oculos ad veritatem aperire non possunt; cum autẽ humiliamur, peccata nostra cognoscimus, & ipsa humilitate peccata nostra purgamus. *Ambros. in Psalm.* „ 118. *Oct.* 10. *vers. Agnoui Domine, &c.*] Meritò autẽ „ malus punitur affectus, etiam cui non succedit effe- „ ctus. Genus verò ipsum pęnę quale fuit? Quoniam enim dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo iubenti.

Iob.15.

Genes. 11.

Ex Amb. in Psal. 118. oct. 7. vers. Superbi iniquè agebant, Ezechiel. 28. Esaia 14.

Ipse Diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam: Denique dùm dicit: *Ponam thronum meum super nubes, & ero similis Altissimo*, consortijs excidit Angelorum, cuius criminis digna mercede damnatus, hominem sibi participem requisiuit, in quem consortium suæ transfunderentur offensę. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cępit iniuria? Ideòque scriptura dicit: *Dominus superbis resistit*. Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen. Tanquam dicat: Meus iste aduersarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio. Mala ruina est arrogantiæ, quæ superiorem subruit. Mala hæc lucta Serpentis, qua se in plurimos torquet anfractus. Inflare volebat & Paulum: quem Paulum? Illum vtique *Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum*. Et pede deceperat,

Iacob. 4.

Ex eod in Psal. 118. oct. 3. vers. Increpasti superbos.

itaùt

itaut ſtimulum carnis ſuæ,quo ſe humiliabat,rogaret auferri. Sed bonus Dominus,qui vt Paulum infirmitatibus vellet facere fortiorem,adhibuit ei Angelum ſatanæ, vt ſuis Diabolus artibus vinceretur.

2. Corinth. 12.
Ibidem.

Charitas non eſt ambitioſa,&c. Ambitio erit,vnde & nomen eius interpretandum,quod concupiſcentia apud animum ambientẽ naſcatur ad gloriæ votum: grande ſcilicèt votum,quod (vt diximus) non natura,nèc veritas, ſed vitium animi paſſio,concupiſcentia commendauit, & alia vitia ambitionis, & gloriæ: ſic,& pretia rebus inflammauit, vt ſe quoquè accenderent. Non tantò maior fit concupiſcentia, quantò magna fecit,quod concupijt? Breuiſſimis loculis patrimonium grande profertur: Vno lino deciès ſeſtertium inſeritur. Saltus, & inſulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expandunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis. Hæ ſunt vires ambitionis,tantarum vſurarum ſubſtantiã vno, & muliebri corpuſculo baiulare. Ambitioſi huius ſęculi gloriam,quęrunt,venantur quodãmodò decipientes ſeipſos. Gloriam enim alitèr aſſequi non licet,niſi gloriam fugiendo.

Aliàs: Non eſt faſtidioſa.Chry. Ibi hom. 33.
2.Corinth.13.
Ambitio immoderate habendi deſiderium.
Ex Tertull. lib. de Habitu mulierum, cap. 9.

Nam,donèc quidem eam ſectemur,nos fugit: cum autem eam fugimus, nos ipſa ſequitur. Si vis eſſe glorioſus, noli gloriam concupiſcere. Si vis eſſe ſublimis, nè te ſublimem facias, & alioqui quidem honores non quærentem omnes honorat, ambientem verò aſpernatur. Solet enim humanum genus eſſe quodammodò contentioſum, peruicax. Gloriam itaquè contemnamus: ſic enim humiles eſſe poterimus,vel potiùs alti. Noli temetipſum extollere,& ab alijs extolleris. Qui ſemetipſum extollit, ab altero non extollitur; qui ſemetipſum humiliatur,ab alijs non humiliatur. Magnum eſt elationis malum: ſtultum

Ex Chryſ. hom. 39. ad Popul. t. 5.

tum esse melius est, quàm insolentem. Illic enim stultitia tantùm est, mentisque tarditas: hic autem stultitia peior est,& fatuitas cum furore. Stultus sibi metipsi malum est,elatus, & alijs pestis: ex amentia hoc vitium nascitur. Non potest esse superbus, qui fatuus non sit. Stultitià verò plenus est superbus. Audi quemdam sapientem, qui dicit: *Vidi hominem apparentem,esse prudentem apud seipsum,spem autem habet magis insipiens cor.* Vides, quod non temerè dicebam,esse malum, fatuitate peius? Spem enim, inquit, habet magis insipiens cor. Propterea Paulus quoq;dicebat: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* In corporibus,qualia (quæsò) valere dicimus,multum nè habentia tumorem,& multos spiritu intus, & aqua plena: an compressa, & humiliatam habentia superficiem? Planum est, quod hæc. Igitur,& anima ęstuans, & tumens, peiorem habet veterno morbum:correpta verò,ab omni morbo libera est. Quot igitur bona nobis parit humilitas?Quid vis,tolerātiā, lenitatem iræ nesciam, humanitatem,vigilantiam,solertiam? Hæc omnia ex humilitate veniunt bona: contraria verò ex superbià. Opus est,superbum, & contumeliosum esse percussorem, & iracundum, & amarum,& tristem, magis feram, quàm hominem. Fortis es, & altum sapis. nonnè propterea magis humiliari debes? Quare sapis altum in re vilissima? Nam & Leo te est audacior,& aper fortior,nèc es ad eos culex. At & latrones,& fures,& gladiatores, & serui tui,& fortasis ingratiores te,fortiores sunt:hoc igitur laude dignum? Et in hoc altum sapiens,non hianti terra te condis. Sed pulcher es, & speciosus, cornicum ostentatio:non es pauone pulchrior,nequè propter florem, neque propter alas. In auibus est pennis victoria. Tu multum comà præstas,& flore.

Prouerb.26.

Roman. 12.

Verùm,

Verùm,& cygnus valdè pulcher eſt,& aliæ aues multæ: quibus ſi fueris comparatus,temetipſum aſpicies nihil. Frequentèr autem, & viles pueri, & innuptæ Virgines,& meritoriȩ mulieres,& molles viri,gloriã hanc habuerunt. Hoc itaquè dignum,vt extollaris? At es locuples. Vndè? Quid poſſides? Aurum,argentum,lapides precioſos? Hoc eſt latronum,ac homicidarum, & metalla ſcrutantium gloria. Reorum labor hæc tibi gloria?Sed ornaris,& comeris?Verum & equos comptos videre licet,& apud Perſas camelos quoque videres ornatos, hominũ verò ſcȩnicos omnes. Non confunderis in his alta ſapiens,in quibus bruta tecum ſociantur, & ſerui,& homicidæ, & molles, & latrones, & fures? Sed ſplendidas erigis ædes. Et quid hoc? Multæ Cornices ſplendidiùs habitant, & honeſtiora tenent diuerſoria. An non vides hos circa pecunias furentes, qui in agris,ſolitarijſque locis ædes ædificauerunt cornicum habitacula? Sed propter vocem altum ſapis? Cygno, luſciniàue nunquam tu ſuauiùs canere poteris. At in artis varietate? Et quid ape in hoc ſapientius? Quis phrygio, quis pictor, quis geometres, huius opera poterit imitari? Sed in veſtis ſubtilitate? Verum hic Araneæ tibi præſtant.At in pedum velocitate? Rurſum prima fuerant bruta,lepus,& dorcas,& quæcunque iumenta pedum velocitate non ſunt inferiora.

Cæterum peregrinaris? Sed non plus volatilibus: Hæc enim faciliùs obeunt peregrinationem,nèc viaticis opus habent,non iumentis,ſed eis ad omnia ſufficit ala. Hoc,& nauis,hoc,& iumentum, hoc,& vehiculum,hoc,& ventus: & quidquid huiuſmodi quis dixerit. Sed acutè cernis? Tamen non ſicut dorcas, nèc vt aquila. Aut auditum habes acutum? Sed aſinus acutiorem. At olfactum? Verum canis te

præce-

præcedere non finit. At quæstuosus es,sed formicę cedis. Sed aurum gestas? Non ità tamen, vt indigæ formicæ. Sanitatis autem intuitu, multò se melius nobis habent bruta,& bonæ habitudinis,& onera ferendi. Illa pauperiem non timent; ait enim: *Respice volatilia Cœli,quia non seminant,neque metunt,neque congregant in horrea.* Igitur, inquies, nobis meliora Deus bruta creauit. Vides, quantum insit incircumspectum, quantum indiscussum? Vides,quantum nobis rerum examinatio conferat? Omnibus hominibus altiora sapiens, etiam brutis vilior inuentus est.

Matth.6.

Tirannorum imperijs sculptilia venerationem adepta sunt: quibus enim ante oculos non poterant honores exhibere, còquod procul illinc habitarent, eorum speciem imaginibus expresserunt: vt ijs,quos ità honoratos volebant, tanquam præsentibus hac operà adularentur. Cæterum,quo maiores superstitionis accessiones fierent, artificis quoque instigauit ambitio, qui cum fortasse Principi vellet gratificari, summa ope nixus est simulachrum, quàm pulcherrimè elaborare. Cæterum vulgus allectum gratia, venustateque iustiamodi opificij,hominem,qui non ita pridem coli cæpit, pro Deo habuit:idque in vitæ insidias versum est, quoniam aut calamitatibus suis, aut tyrannidi inseruientes homines proprium illud solius Dei,& incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt. Ambitio, quæ est magnarum rerum,& honorum immoderata cupiditas diligentèr cauenda: Si quidem Diabolica ista pestis est,& libidinis dominandi labes, quæ res insigne est primæ illius Diaboli prauitatis indicium. Etenim ex hac ille quoque imperandi libidine præceps insigni illo superbię lapsu corruit. Et sine dubio, qui in huius vitij potestate est,is eodem planè cum Diabolo malo labo-

Adulatio,Idololatrię introductio. *Ex Athan. Orat. contra Ido lan. pag mih. 6.*

Confundantur omnes,qui adorant sculptilia,& qui gloriantur in simulachris suis. *Psalm. 96.*

Charitas non est ambitiosa. Cupido dominandi, fratre, & filia potior, animusque sceleribus paratus. *Tac.* *Ex Basilio (qui tamen de monachis loquitur) In Constit. monasticis cap. 10.*

laborat. Qui autem ab eo captiui tenentur, eos inuidos, contentiosos, insimulatores, impudentes, calumniatores, assentatores, veteratores, humiles, vbi non conuenit illiberales, gloriosos, sexcentis deniq; alijs huiuscemodi turbis refertos existere necesse est.

Quomodo autem persuadere sibi quis possit, se remotum esse ab ambitione, audiamus. Quotiescunque Domino obtemperauerit, qui dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est*: Itemque Apostolo præcipienti, ac dicenti; *Siuè manducatis, siuè bibitis, siuè quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite*: itaut cultor Dei nihil, neque de præsenti, neque de futura gloria laborans, sed charitatem, quæ est erga Deum, rebus omnibus anteponens, fidentèr simul cum his, quæ præmissa sunt, dicere illud possit; *Neque instantia, neque futura poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*: cum ipse Dominus noster Iesus Christus dixerit; *Non quærere se gloriam suam*. Et quod, qui à semetipso loquitur *gloriam propriam quærit*: *qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est*.

Ex eod. in Reg. breuiorib ad interrog. 299. *Matth. 5.* *1. Corinth. 10.* *Roman. 8.* *Ioann. 8.* *Ibidem 7.*

„ Ambitiosus meritò ille habendus est, qui ob exi-
„ guum, & nihili huius mundi honorem, aliquid facit
„ loquituruè, veluti ille, qui eam ob causam benignè
„ facit pauperibus, vt gloria, & laude publicè afficiatur. [Maximus verò honor deferetur ei, qui Domino ministrauerit; iuxtà illud: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, *Io.* 12. *Consule Hilar.*] Is, quoniam mercedem aucupatur, nèc misericordiam tribuere, nec alios bonorum suorum participes facere censendus est. Et qui ideò temperantiã seruat, vt hominibus probetur, non est temperans,

Ex eod. Sancto, Orat. 17. Quæst de humilitate, & vanagloria.

cum virtuti nequaquàm studeat, verùm eam gloriã, quæ ex ea proficisci solet, captat. Inregrum erat Ananię à principio possessionem suam Deo non promittere, sed postquàm gloriam humanam spectans, eam quidem ideò consecrauisset, vt ab hominibus ob pietatis studium suspiceretur, de pretio tamen eius partem detraxit, quo facto talem in se iram Domini, cuius administer Petrus erat, concitauit, vt nè pœnitendi quidem tempus præstitutum reperiret vllum.

Act. 5.

Matth 6. Faciũt eleemosinam in Synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus, &c. *Et Ioann. 5.* Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab inuicē accipitis & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? *Ex eod. Ibidem*

Honores aliqui tibi mandati sunt, teque homines complectuntur, at magnifaciunt, caue animum tollas, verùm similis sis ijs, qui alicui parent. Nam qui primas ferre cupit, is, decreto Domini, seruus omnium sit, oportet. Moses ille vir Dei magnus, qui cum omnibus in rebus obedientem, ac morigerum sese præberet Domino, tamen quando ad Populũ Israeliticum mitteretur, inquit: Obsecro, Domine, alium, quem mittas, pares. At ex eo ipso, quod excusatione, & confessione imbecillitatis suæ, quasi cum quadam contentione Deo resisteret, Deus eum dignum esse iudicauit, qui Populo præesset suo. Attende, nè „ inuideas alterius fęlicitati. Calamitas quippè est „ sine remedio odisse fęlicem. Cuius autem rei gratià Proximũ inuidendo persequeris? An, quia in honore, ac dignitate viuit? Non cogitas igitur, quantam honores perniciem ignauis, ac *indiligentibus* solent afferre? Extollunt enim ad inanem facilè gloriam in tumore, atquè superbiam, & contemptum aliorum impellunt, desidiam augent: & ad hæc omnia ipsi etiam parua commoti aura deflorescunt: quodque acerbius est, malorum præcipitia, in quæ honores detrudunt, perpetua sunt, atque prærupta. Voluptas verò, quæ ab eis capitur, vix sensum deliniuit, ac repēte vniuersa deuolauit. Istis ergo de causis inuides?

Ex Chrys. hom. 41. in Matth.

Aliàs: negligētibus.

Responde

Responde quæsò?Ità, inquis, sed plurimùm ille apud Pontificem potest: Ducit, fert, vexatque omnia, quæ quomodò velit, & offendentes, atque inimicos persequi potest: adulatores, assentatoresque suos in maius euehit, magnaque vsus fęlicitate, potestateque simul lætatur. Sæcularium, perditorumque hominum hæc verba sunt: Nam spiritalem hominem nulla res potest dolere, vexare. Quidem malefaciat, si etiam à dignitate te deponeret? Nam si iustè id fecerit, maxima certè contulit. Nulla enim re magis Deus offenditur, quàm si quis indignus Sacerdotij dignitate præfulgeat. Sic verò iniuria, omnis culpa non te tenet irretitum: nam qui iniuriam passus æquo animo perfert, maiorem hac re apud Deum acquirit fiduciã: quare nolimus, obsecro, excogitare, quomodò in honoribus, atque dignitatibus, sed quomodò in virtute, atque recta philosophia viuemus. Nam dignitates profectò ad multa obscœna haminem inducunt. Quapropter etiam valdè magno animo, sublimique opus ingenio est, vt dignitate vti, non abuti possis: ita qui ea caret, volens, nolensque philosophatur.
„ Qui verò dignitate, ac potestate floret, ei similis est,
„ qui cum puella formosa cohabitans, legem, atque
„ prçceptum suscepit, nè iniquè lasciuientibus ipsam oculis videat: [Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nè cogitarem quidem de Virgine, &c. *Iob* 27. *Vide postill. M.S. in Codice meo*. Neque domi tutus aspectus, *Hieronym. Sed de his alibi, plura recensui*.] Talis quippè res, dignitas, atque potestas est. Quocircà multos etiam inuitos ad contumeliandum intrusit, iram plerumque accendit, linguæ fręnum abstulit, & ianuam morti reserauit, quasi magna procellarum vi animum subuertens, & ad profundum malorum omnium nauiculam submergens. Cur

Et custodiam, quam posuerat ori suo, sustulit, ostiumq; continentię à labijs suis remouit.

igitur virum tu admiraris, eique inuidendum esse putas, qui tot, tantisque periculis concutitur? Sed ad „ hæc, quæ dicta sunt, tecum illud etiàm versa, quot inimicis, quot accusatoribus, *quot assentatoribus*, qui in dignitatibus est, obsideatur. Hæc igitur (responde quæsò) beatificatione digna opinaris? Quisnam insanus id diceret? Sed apud Populum, inquies, magna de ipso existimatio est. Quid nam hoc sibi vult? „ Non enim certè Populus, sed Deus iudex est, cui „ vitæ rationes redditurus es. Quare, quando Populum dicis, caue promontoria, scopulos, atque latentia saxa. Approbatio enim Vulgi, quantò clariorem quempiam facit, tantò maioribus curis, solicitudine, atque periculis vexat. Nec enim respirare, qui dominatui Populi seruit, nèc in re aliqua firmitèr stare potest. Cur autem nec respirare, nec firmitèr stare diximus? Difficilè (inquam) huiusmodi homines, etiam si mille virtutibus muniantur, in regnum Dei peruenient. Nihil enim magis è iugo iustitiæ subducere collũ solet, quàm hic inanis conflatus gloriç, quæ tumidos remissos adulatores, simulatores homines reddit. Cur autem putas, Christum à Pharisæis Dæmoniacum fuisse appellatum? Nonnè, quià gloriam à multis aucupari cupiebat? Vnde autem Vulgus rectiùs de Christo sentiebat? Nonnè, quia procul ab hominũ ægritudine aberat? Nihil certè ità iniquos, atque amentes facit, quemadmodùm si ad inanem multorum gloriam inhiare cupiditate cogaris: nihil ita probos, fortes, ac adamantis instar infractos constituit homines, quemadmodùm inanis huius gloriæ, ac existimationis multorum contemptus. Quare excelso quodam robore animi opus est, vt possimus tot, tantosque vndarum fluctus euadere, tot ventorum flatibus reluctari, atque resistere. Nam qui

Assentatores inter inimicos, numerat; & rectè quidem: genus hominum, semper, vt reor, multiplicatis hominibus abundans

Deus iudex iustus, fortis & patiens, &c. *Psal.* 7. *Alibi:* Potestas Dei est, & tibi, Domine misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua: *Ibid.* 61. *Rursus.* Qui autem iudicat me, Dominus est, &c. 1. *Cor.* 4.

qui multitudinis existimationem, & famam sequitur, quando aspirauerit fortuna, omnibus seipsum fluctibus proponit: quando verò respirauerit in profundum, vellet seipsum submergere. Etenim cum hac passione quispiam victus fuerit, sicut populari aura extolli regnum cœlorum ducit, ità deprimi, atque exsibilari gehennam arbitratur.

Transit honor huius sæculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio, nec absidę gradatę, nec cathredæ velatæ, nec sanctimonialium occursantium, atque cantantium greges adhibentur ad defensioné, vbi cæperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter iudicare: [Deus scientiarū Dominus est, &c. 1. *Reg*.2. Ideò & arbiter conscientiarum. *Hieronym.* Et Apostolus: Testimonium, inquit, reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, &c. *Roman*. 2.] Quæ hic honorant, ibi onerant, quæ hic leuant, ibi grauant. Ista, quæ pro tempore propter Ecclesiæ vtilitatem honori nostro exhibentur, defendentur fortè bona conscientia, defendere autem non poterunt malam: *Nihil per contentionem, aut inanem gloriam: sed in humilitate superioris sibi inuicem arbitrantes, &c.* *Ex Aug. ep. 100. Qua est Maximino Episc. Donatista. tom. 2.* *Philipp. 2.*

De contentione autem, & dolo, quid me attinet dicere, quando ista vitia non in plebe, sed in nostro numero grauiora sunt? Horum autem morborum mater superbia est; Et humanæ laudis auiditas, quæ etiam hypocrisim sæpè generat. Huic non resistit, nisi crebris diuinorum librorum testimonijs incutiatur timor, & charitas Dei, si tamen ille, qui hoc agit, seipsum præbeat patientiæ, atque humilitatis exemplum, minus sibi assumendo, quàm offertur, sed tamen ab eis, qui se honorant, nec totum, nec nihil accipiendo, *Ex Aug. ep. 64*

do,& id,quod accipitur laudis,aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere,sed propter illos accipiatur,quibus consulere non potest, si nimia deiectione vilescat. Ad hoc enim pertinet, quod dictum est: *Nemo iuuentutẽ tuam contemnat*: cum hoc ille dixerit, qui alio loco ait: *Si hominibus placere vellem,Christi seruus non essem*: magnum est de honoribus, & laudibus hominum non lætari,sed omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium, salutemque conferre. Non enim frustrà dictum est: Deus confriget ossa hominum, placere volentium. Quid enim languidius,quid tàm sine stabilitate,ac fortitudine,quid ossa significant, quàm homo, quem malè loquentium lingua debilitat, cum sciat falsa esse, quæ dicunt? Cuius rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret,si non amor laudis ossa eius confringeret. Pręsumo de robore animi tui: Itaque ista,quæ tecum confero, mihi dico dignaris tamen credo mecum considerare,quàm sint grauia,quàm difficilia. Non enim huius hostis vires sentit,nisi qui ei bellum indixerit: quia, etsi cuiquam facile est laude carere, dùm denegatur, difficile est,ea non delectari,cum offertur: & tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, vt si non meritò laudemur,corrigamus eos,quos possumus: nè arbitrentur, aut in nobis esse,quod non est,aut nostrum esse,quod Dei est,aut ea laudent,que quàmuis non desint nobis, aut etiam supersint, nè quaquàm tamen sunt laudabilia: velut sunt bona omnia,quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus. Si autem meritò laudamur, propter Deum gratulemur eis, quibus placet „ verum bonum: non tamen pro his, quia placemus

1. Tit. 4.

Galat. 1.

Psalm. 52.

Consideratio subtilis. Laudes hominũ quomodò accipiendæ.

„ ho-

„ hominibus, ſed ſi coram Deo tales ſumus, quales „ nos eſſe credunt: & non tribuitur nobis, ſed Deo, cuius dona ſunt omnia, quæ verè, meritòq; laudãtur.

Diabolus etiam, non potentia Dei, ſed iuſtitia ſuperandus fuit. Nam quid omnipotente potentius? Aut cuius creaturę poteſtas poteſtati Creatoris comparari poteſt? Sed, cum Diabolus vitio peruerſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & deſertor, oppugnatorque iuſtitiæ: ſic enim, & homines eum tantò magis imitantur, quantò magis neglecta, vel etiam peroſa iuſtitia, potentiæ ſtudent, eiuſque, vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate: placuit Deo, vt propter eruendum hominem de Diaboli poteſtate, non potentià Diabolus, ſed iuſtitià vinceretur; atque ità, homines imitantes Chriſtum, iuſtitià quærerent Diabolum vincere, non potentià. Non quod potentia, quaſi mali aliquid fugienda ſit, ſed ordo ſeruandus eſt, quo prior eſt iuſtitia. Nam quanta potentia poteſt eſſe mortalium? Teneant ergo mortales iuſtitiam, potentia immortalibus dabitur. Cui comparata quantalibet eorum hominum, qui potentes vocantur in terra, ridicula infirmitas inuenitur, & ſibi foditur peccatori fouea, vbi videntur mali plurimum poſſe. Cantat autem iuſtus, & dicit; *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum: Vt mitiges ei à diebus malignis, donèc fodiatur peccatori fouea, quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet: quoadnſque iuſtitia conuertatur in iudicium, & qui habent eam, omnes recto ſunt corde*. Hoc ergo tempore, quo differtur potentia Populi Dei, *Non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet*, quantalibet acerba, & indigna ipſa humilis, atque infirma patiatur: quoaduſque iuſtitia,

Ex eod. lib. 13. de Trinit. c. 13. tom. 3.

Iure, non vi, placuit Deo, hominem redimere.

Pſalm. 93.

Pſalm. 73.

quam

quam nunc habet infirmitas piorum, conuertatur in iudicium, hoc est, iudicandi accipiat potestatẽ. Quod iustis in fine seruatur, cum præcedentem iustitiam ordine suo fuerit potentia subsecuta. Potentia quippè adiuncta iustitiæ, vel iustitia aliàs accedente, accedens potentiæ, iudiciariam potestatem facit: pertinet autem iustitia ad voluntatem bonam. Vnde dictum est ab Angelis nato Christo: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Potentia verò sequi debet iustitiam, non præire. Ideò & in rebus secundis ponitur, idest prosperis. secundæ autem à sequendo sunt dictæ. Cum enim beatum faciant, sicut superiùs disputauimus, duæ res benè velle, & posse, quod velis, non debet esse illa peruersitas, quæ in eadem disputatione notata est, vt ex duabus rebus, quę faciunt beatum, posse, quod velit, homo eligat, & velle, quod oportet, negligat, cum priùs debeat habere voluntatem bonam, magnam verò postea potestatem. Bona porrò voluntas purganda est à vitijs, à quibus si vincitur homo, ad hoc vincitur, vt malè velit, & bona iam voluntas eius quomodò erit? Optandum est itaquè, vt potestas nunc detur, sed contra vitia, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, & volunt propter vincendos homines, vt quid hoc? nisi vt verè victi falsò vincant, nèc sint veritate, sed opinione victores. Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit iustus, atque, vt hæc veracitèr possit potentiam planè optet, atque appetat, vt potens sit in seipso, & miro modo aduersus seipsum pro seipso. Cætera verò, quæ benè vult, & tamen non potest, sicut est immortalitas, & vera, ac plena fęlicitas, desiderare non cesset, & patientèr ęxpectet.

[*Verun-*

Veruntamen, quia de potestate Dei mentionem feci, quàmuis omninò sit ineffabilis, vt & Propheta Esaias dixerit: Potestatis, & Pacis eius non erit finis; seù, vt habet Vulgata; Multiplicabitur eius imperium; vel secundùm 70. Magnus principatus illius; Tamen pauca, quæ senili memoriæ se offerunt, placet recensere. Esaiæ 9. seù, vt legit Hieron. 8.

Hoc, namque dixit (*vocalissimus hic Propheta, & Dominicæ Incarnationis præco fidelissimus, & testis;*) quod perfecit in aduentu suo Dominus Prophetarũ: Potestatis eius, audite, quanta fuit possibilitas, vt miraculis varijs, ac diuersis repleret totum mundum, ore Euangelico. Quæ miracula, si ad singula annalibus libris scriberentur, puto nè ipsum mundum capere eos, qui scribendi erant, libros: tamen pauca dicamus de potestate eius. Natus est, quia voluit: potestate animam suam posuit, potestate eam assumpsit: potestate medicus phręneticos tolerauit: potestate cęcos, claudos, mutos, aridos, ab spiritu immundo captiuatos curauit, non accipiens ab aliquo, sed sua potestate perfecit. (Potestatis, & pacis eius non erit finis.) quantam pacem monstrauit nobis, vt ipsum principalem hæreditatem donaret nobis, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Quam pacem potuit meliorem donare, quàm, vt carnem spiritui subijcere disceremus? Quam pacem potuit donare, nisi, vt ij, qui eramus inimici Dei, & longè positi, per ipsum reconciliaret nos Patri? Quam pacẽ potuit dare, nisi, vt ex Populo Iudæorum inimicorũ, & crucifixorum eius applicaret fidei suæ, & gentes æquè sociaret sibi, vt faceret vtraque vnum, & Populum pacificaret inimicum sibi, & nobis gratiam donaret, confirmatis sibi? Potestatis, & pacis eius ergo non erit finis, quia hodiè cum patre æquè operatur vsque in finem sæculi. Sedet super thronum

Ex Chrys. hom. super prædicta verba, tom. 1.

Ioann. vltimo.

Ioann. 10.

Matth. 11.

Ioann. 14.

Ephes. 2.

Ioann. 5.

Dauid, quasi homo, perfectus Rex Iudæorum. Et vere Rex est, hodièque Iudæorum, idest circumcisorum, qui spiritu, non Iudæorum literà: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo: in circumcisione cordis, non corporis. Rex est, quia sedet super sedem Dauid patris sui, hoc est, secundum carnem, demonstrante Apostolo, qui dixit: *Paulus seruus Christi Iesu, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. (Sedet super sedem Patris sui.)* Quid est, Sedet, nisi manet, & permanet? Quia, quamuis Ecclesia confiteatur esse filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum: tamen, quia creditur corde ad iustitiam, ore autem confessio fit in salutem: etiam ex semine Dauid natum secundum carnem confiteatur; hoc est, sedet super sedem Dauid Patris sui. Semper eum confitetur Ecclesia natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, sepultum, resurgentem, in Cœlis ascendentem; ergo hoc, quod confitetur Ecclesia, quasi sedes Dauid est. Confiteatur ergo Ecclesia omnia opera eius, vt omnes Sancti eius benedicant eum.

Romen.2. Luc.1. Roman.1. Ibid.10.

Charitas non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati. ***Dolebat Dauid, cum dicebat:*** *Pusillanimitas, seù, defectio tenuit me à peccatoribus, vel pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuam:* non quia contemnebatur, non quia ipse appetebatur, sed quia lex Dei relinquebatur: & eorum, qui hoc faciebant, damnum dolebat, quòd perirent Deo. Sicut bonus Pater in phrenesi constituti filij, cum ab eo maledicatur, verberatur, afficiatur iniurijs, non suam, sed ægroti deflet ærumnam,

1.Corinth.13. Ps.118.ver.53. Ex Amb. ibidē. Octonar.7.

nam, & contumeliam dolet: non quòd sibi sit irrogata, sed quia per furorem, quid faciat æger, ignorat: ità vir bonus, cum videt peccatorem, non reuereri, *Sapient. 2.* non honorare etiam canos senioris, quo præsente faciat aliquid indignum, non agnoscere quadam peccandi insania, quàm indecora, & inhonesta committat, quasi moriturum dolet, quasi desperatum à medicis ingemiscit: & vt bonus medicus primò monet, deindè etiam si grauia patiatur, tamen, tanquam ille ægrum, etsi cædatur, sustinet: & si maledicatur, non relinquit: & quidquid potest medicinæ adhibere, non denegat, nec tanquam contumacem deserit, sed tanquam benè de se meritum omni studio sanare contendit: exercens non solùm artis peritiam, sed etiam mentis benignitatem. Ità ergo etiam iustus, & cum contemnitur à peccatore, non auertitur: & cum læditur, furoris illud putat esse, non improbitatis; magisque vulneri eius medicinam afferre desiderat, & compatitur, & dolet: non propter se, sed propter illum, qui desperato laborat incommodo, & dicit: hunc vnum ex fratribus sic laborare, sic affici, vt faciat mihi iniuriam; qui, si agnosceret me, honoraret vtique, non læderet. Quid enim? læsus est meo facto, vt habeat lædentis affectum. Ergo, cum non suppetit causa lædendi, non potest culpa esse propositi. Ergo, si iustus sum, afficior propter charitatem, propter dilectionem, propter Ecclesiæ damnum, propter corporis detrimentum.

Alio in loco idem sanctus propheta sic affatur. Ininstitiam, vel, iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. [*Rursus: Lex tua, meditatio mea est. Et: Beatus, vir qui in lege* *Psalm. 118.*

Ex eod. Ibidem Octen.ar.25. Rom.7. Colos 3. *Domini meditatur: Et memor est mandatorum ipsius ad faciendum ea.*] In lege æquitas est, si spiritalẽ accipias legem, si consurgas cum Christo, & ibi altare sacrosanctum illud cæleste consideres, non altare terrenum, quod hostili populatione destructum est. Si illam Hierusalem spectes, quæ in cælo est, non istam quæ à populo iudæorum frequẽtabatur in terris, quæ propter incolarum perfidiam à Romano exercitu triumphata, iniecto flagrauit incendio; Si intuearis illum Principem Sacerdotũ, de quo scriptum est: Habentes itaque magnum sacerdotem egressum de cœlis, Iesum filium Dei, teneamus confessionem fidelem: qui quotidiè aduocatus pro nobis est apud patrem: vt pro quibus in diebus carnis suæ misericordi est compassus affectu, pro his operetur remissionem quotidie peccatorum: quæ enim spes alia generi humano, nisi omnium viuentium delicta donentur? Ille ergo Princeps solus est sacerdotum, cui adstant pij Sacerdotes, intra cœlestium sacrarium illud altissimum meritò proprij cruoris ingressi.

Habreor.13. Habreor.12. Luc 19. Habr.4. Habr.7. Habr.5. Habr.9. Deut.15.

Ex Chrys serm. de Nequitia depulsa, & virtute inducta, to.5. Quòd, si vitiorum voluptatem attuleris, & finem qui ducit ad mortem, vbi è contra virtutes ad vitã explicabis, videbimus plurimum vitijs inesse doloris, virtutibus verò voluptatis non parùm, si fuerint hæc diligentiùs vtraque discussa. Nam quid improbà conscientià molestius? Quid spe meliori suauius? Nihil adeò nos frangere, vel vrgere consueuit, quàm rei aduersæ, aut mali imminentis expectatio: nihil vnquàm nos adeò subleuat, & quasi volitare facit, quàm rectè conscientia: [Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. *Psal.* 78. Idest, in corde ipsorum, vbi propria torquet conscientia. De se nihil addit, metu inuidiæ,

an

an ratus, conſcientiam facti ſatis eſſe? *Tacitus loquens de Germanico poſt reportatam de Germanis victoriam inter Albim & Rhænum.*]

Meritò itaque Dauid rex omnes hortatur, dicens: *Nolite ſperare in iniquitate*: Vana eſt enim iniquitas, nihil eſt iniquitas, potens non eſt niſi iuſtitia. Occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt. Florere poteſt ad tempus iniquitas, permanere non poteſt. Magnus quoque ſanctus Paulus, vas electionis, ad Epheſios ſcribens, ait: *Dico, & teſtor in Domino, nè poſthac ambuletis, quẽadmodùm & reliquæ gentes ambulant, in vanitate mentis ſuæ, obtenebratã mentẽ habentes.* Quid eſt autem mẽtis vanitas? Circa ea, quæ vana ſunt, occupatum eſſe. Quæ ſunt autem vana illa? omnia ſecundum præſentia, de quibus Eccleſiaſtes dicit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; ſed dicet quiſpiam: Si vana ſunt omnia, ipſaque vanitas, cuius gratia facta ſunt? Si opera Dei ſunt, quomodo vana ſunt? Multa de his dici poſſent. Sed audi dilectiſſime: Non dixit, opera Dei vana eſſe: Abſit: cælum non eſt vanũ, neque vana eſt terra: Abſit hoc: Neque Sol vanũ eſt, nec luna, nec aſtra reliqua, quin neque ipſum corpus noſtrum; Omnia ſiquidem illa valdè bona ſunt: ſed quid vanum eſt? Audiamus illum Eccleſiaſten: *Plantaui mihi vineas*, inquit, *conſtitui mihi cantores, & cantatrices, feci mihi piſcinas, delicias aquarum, fuerunt mihi greges, & armenta. Coaceruaui aurum, & argentum: & vidi, omnia vanitatem eſſe; imò vanitatem vanitatum*: Vniuerſa ſcilicèt vanitatem eſſe. Audi & Prophetam dicentem: *Coaceruat, ignorans, cui congreget ea.* Ad hũc modum vanitas vanitatum ſunt domus ſplendidæ, plu-

Nam gloria noſtra, hæc eſt, teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ &c. 2. *Cor.* 12. *Alib.* Veritatẽ dico in Chriſto, non mentior, teſtimoniũ mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, &c. *Roman* 11. *Epheſ* 4.

Ex Chryſ. Ibid homil. 12.

Eccleſ. 1. *&* 12.

Eccl. 2.

Pſal. 38.

plurimum, & copiosum aurum, mancipiorum cateruę per forum insequentes, fastus, & vanæ gloriæ studium, mentis superbia, & elatio: Hæc enim omnia vana sunt. A Deo enim facta non sunt, sed nostri sunt opificij. Quamobrem autem vana sunt? Quoniam bonum finem non habent: Pecunię vanę sunt, quando delicijs consumuntur; Vanę verò nõ sunt, quando in pauperes sparguntur. Quòd si delicias illas expendis, videamus, quis illarum sit finis. Quis? Corporis pinguedo, eructationes, crebri flatus: multum stercoris, ac sordium, capitis grauamen, carnis mollities, febris, & dissolutio: vt, si quis in doliũ perforatum liquorem infunderet, inanem planè operam sumeret: ità & qui delicijs deditus est, in pertusum dolium delicias suas infundit. Vanum enim dicitur, quod pretium, & honorem allaturum, quidem expectatum est, sed nihil attulit. Id quod, & inane dicunt, & inanes spes, & frustraneum, & stultum, hoc vanum dicitur, nullus videlicèt vsus.

Ex Ambros. lib. de Bono mortis cap. 7. Anima est, quæ vtitur, corpus quod vsui est: ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in ministerio: aliud quod sumus, aliud quod nostrum est. Si qui animæ pulchritudinem diligit, nos diligit: si quis corporis decorem diligit, non ipsum hominẽ, sed carnis diligit pulchritudinem, quæ tamen citò marcescit, & defluit. Vnde illi intende, de quo dicit propheta: *Psal. 23.* *Qui non accepit in vanum animam suam*; In vanum accipit animam suam: (vt iam de huius vitæ dicamus molestijs,) qui secularia struit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendum, & bibendum surgimus, & nullus expletur, vt non post momentum esuriat, ac sitiat: Quotidie lucrum quærimus, & nullus cupiditati modus ponitur: *Eccl. 1.* *Non satia-*

tiabitur, ibquit, *oculus visu, nec auris auditu*. Qui diligit argentum, non satiatur àrgento; Nullus' finis laboris, & nullus est fructus abundantiæ. Cupimus quotidiè scire noua: & quid est ipsa scientia, nisi quotidiani doloris adiectio? *Omnia quæ sunt, iam fuerunt, & nihil sub sole est nouum, sed omnia vanitas*. *Ibid.*

Quis itaque ascendet in montem domini? Quis ascendet in altissimam iustitiam domini? Aut quis stabit in loco sancto eius? Aut quis permanebit in eo, quò ascendit super maria fundato, & super flumina præparato loco? Innocens manibus, & mundo corde. Quis ergo illùc ascendet, & permanebit ibi, nisi innocens in operibus, & mundus in cogitationibus? Qui non accepit in vano animam suam. Qui non in rebus non permanentibus deputauit animam suam, sed eam immortalem sentiens æternitatem stabilem, atque incommutabilem desiderauit. *Ex Augustino Psal. 23.*

Iterùm legimus in eodem libro Psalmorum: Non sedi cum consilio vanitatis. Idest: Non elegi apponere cor meum, his, qui prouidere conantur, quemadmodum, quod fieri non potest, rerum transeuntium perfunctione beati sint. (*Et cum iniqua gerentibus non introibo.*) Pulchrè quoque idem sanctus propheta: *Nolite*, ait, *sperare in iniquitate*: Vana quippè est iniquitas, potens non est, nisi iustitia. Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest. Florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest. *Psal. 25. Ex August. ibidem. Psal, 61. Ex August. ibidem.*

Charitas congaudet veritati. Cùm esset Zorobabel in ministerio Darij Regis, controuersia facta est inter eum, & duos alios Regis ministros, quid esset fortius in mundo? & vno dicente, quia nihil est fortius quàm vinum: altero autem, quia nihil fortius *Ex Author. Oper imperfecti in Matth hom. 1 inter Oper. Chrysto. 2.*

tius est, quàm Rex: Zorobabel dixit: nihil fortius est, quàm mulier, & veritas. Quibus de hoc sine fine certantibus ventum est vsque ad sententiam Darij Regis: quo residente, cum Principibus suis ad iudicandum contenderunt tres, singuli pro sua sententia. Verba contentionis eorum, qui vult scire, legat Esdram prophetam. Tamen vicit Zorobabel, & iudicio Darij, & omnium Principum pronunciatum est: Omnibus fortior veritas est. Cum autem diceret ad eum Darius Rex, cum iuramento; Pete à me quod vis, vsque ad dimidium regni mei, respondit Zorobabel: Ego non peto regnum tuũ, sed ipse vtere eo in æternum: sed hoc peto, quod cæpit pater vester Cyrus Rex ante vos, vt dimittatis captiuitatem filiorum Israel redire in sua. Darius concessit. Exiens autem Zorobabel gratias egit Deo, dicens: Benedictus es Deus, & pater veritatis: quod sapientiam hanc in os meum misisti. Et ideò inuentus est rectè secundum prouidentiam Dei nominatus Zorobabel, idest, hic doctor Babyloniæ. Quæ autem maior doctrina est, quàm ostendere veritatem dominatricem esse omnium rerum? Et impletum est in eo, quod fuerat scriptum: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super seniores intellexi, quia mandata tua exquisiui.* Est autem, vt ego sentio, veritatis definitio: Firma eius quod est intellectio: falsitas enim phantastica quędã circa id, quod non est, comprehensio: quasi subsistat, quod non est. Veritas autem est eius, quod verè est, firma intellectio. Longis autem spatijs temporum altiori per quietem animo meditari oportet, vt firmiter intelligere possis, quid sit, quod verè

2. Esd. 3. & 4.

Phras. 5 Marc. 6 Ibi: Pete à me, quod vis, & dabo tibi. &c.

Liuor ea, quæ recta sunt, inficere, volet ille quidem. sed non poterit. Omnium etenim rerum fortissima est veritas, vt cum Esdrà censeo. *Theolog. ora. 3.*

Psal. 118.
Ibid.
Veritas quid?
Ex Nysseno lib. de Vit Moysis. col. mihi 13.

rè eſt,quod naturâ ſuâ eſt: quid quod non eſt,quod ſolum eſſe videtur, cum per ſe,atque naturam ſuam minimè ſubſiſtat.

Indixit opus Verbum Dei, & promiſit mercedē. Quod eſt opus? Si manſeritis in verbo meo. Breue opus, verbo breue, magnum opere: Si manſeritis. Quid eſt, ſi manſeritis? Si in petra ædificaueritis. Quid eſt, ſi manſeritis? O quam magnum eſt, fratres, hoc: ſupra petram ædificare, quàm magnum eſt! Venerunt flumina, flauerunt venti, deſcendit pluuia, & impegerunt in domum illam, & non concidit: fundata enim erat ſupra petram. Quid eſt ergo in Verbo Dei manere, niſi nullis tentationibus cedere? Præmium quod eſt? Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Compatimini nobis, quia vocem meam ſentitis obtuſam: adiuuate me tranquillitate. O prçmium! Cognoſcetis veritatem. Fortè aliquis diceret, & quid mihi prodeſt cognoſcere veritatem? Et veritas liberabit vos. Si non delectat veritas, delectet libertas. In conſuetudine Latinæ linguę liberari duobus modis dicitur: Et maximè in eo conſueuimus audire hoc verbum, vt quicumque liberatur, intelligatur periculum euadere, moleſtijs carere; liberari autem propriè dicitur, liberum fieri. Quomodo ſaluari, ſaluum fieri; Sanari ſanum fieri: ſic liberari, liberum fieri. Ideò dixi, ſi non delectat veritas, delectet libertas. Hoc in Græca linguà euidentiùs ſonat, nec poteſt alitèr intelligi. Et vt noueritis, quia aliter intelligi non poteſt, loquenti Domino reſponderunt Iudæi; Nos nemini ſeruiuimus vnquā: quomodo tu dicis; Veritas liberabit vos, ideſt, veritas liberos nos faciet? Quomodo dicis nobis, qui nemini vnquam ſeruiuimus?

In verbo Dei manere.

Ioan.8. ex August ſer. 158 de Verb. Domini to. 10. Matth. 7.

Aedificare ſuprà petram, magnum eſt.

Liberari duobus modis dicitur.

Quos vides, inquiunt, non habere seruitutis necessitatem, quomodo eis polliceris libertatem? Audierunt quod debuerunt: sed non fecerunt, quod debuerunt: Quid audierunt? Quia dixit; Veritas liberabit vos. Attendistis nos, qui non seruitis homini, & dixistis; Nemini seruiuimus vnquàm. Omnis Iudæus, & Græcus, diues, & pauper, honoratus, & priuatus, imperator, & mendicus, omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

Ex Chrys. hom. 25. ex 55. in Matth. col mihi 4 & seq.

Proditor veritatis, quis?

Aduertere autem oportet, quòd non solùm ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palàm mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille, qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet; aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere oportet, proditor est, vt veritatem, quam audiuit à Deo, liberè prædicet: sic laicus debitor est, vt veritatem, quam audiuit quidem à sacerdotibus probatam in scripturis, defendat fiducialiter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis; Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hæc autem diximus, quoniam multi Christianorum palàm quidem transgredi veritatem, putant peccatum, tacere autē veritatem coràm infidelibus, non putant esse peccatum: & propterea multi inueniuntur in isto reatu. Ideò nos conuènit apertiùs dicere, quoniam nihil de veritate neganda præsens loquitur sermo, sed de veritate non liberè prædicanda, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & nolite timere eos, qui occidunt corpus,* quominùs dicatis in lumine, quod audistis in tenebris. [Non legimus Dominū solitum fuisse noctibus sermocinari, vel doctrinam in tenebris tradidisse, sed quia omnis sermo eius carnalibus tenebræ sunt, & omnis doctrina eius infide-

Rom. 10.

Sæpè volui subsistere, & desinere à scribendo, credite mihi, tamen, ne, aut vobis difficilior viderer, aut illis qui id à vobis postularunt, & quibus periculum est, nè silentio meo pertinaciùs in impietate versentur: vim mihi ipse feci, vt pauca ista, quæ iam vestię pie-

de-

delibus nox est. *Hilar.*] Vide, quoniam non solum iille transgressor est veritatis, qui palàm denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem eorū, qui possunt occidere corpus, tacit veritatem.

pietati mitto, conscriberem: *Ex Athan. ep.* omnibus vbiq; vitam solitariā agentibus, &c. *Matth.* 10.

Cur autem veritas parit odium, & inimicus eis factus est homo tuus, verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate, nisi quia sic amant veritatē, vt quicumque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem, & quia falli nollent, nolunt conuinci, quòd falsi sint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderūt eam redarguentem. Quia enim falli uolunt, & fallere volunt, amant eam, cum se ipsam indicat, & oderunt eam, cùm eos ipsos iudicat. Inde retribuet eis, vt qui se ab eà manifestari nolūt, & eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Sic etiam, sic animus humanus etiam, sic cæcus, & languidus, turpis, atque indecens latere vult: se autem vt lateat aliquid non vult. Contra illi redditur, vt ipse non lateat veritatem, ipsum autem veritas lateat. [Illud verum esse desideratur, quod nostræ sit consonum voluntati; Idque libenter auditur.]

Ex August. lib. 10 *Confess. cap.* 23. *to.* 1.

Veritas tibi in consilio adsit, quæ Regum, & inprimis Christianorum tutela est, cum eà vos regna administrare, tutissimum est, cum dicat sacra scriptura; *Misericordia, & veritas regi custodia est, & circumdabit in iustitia thronum eius*. Hanc, cum Zorobabel ille sapiens exteris anteferret, victoriam retulit, acclamatumque est ab vniuerso populo, *Magna res veritas, & preualet omnibus.* Si igitur apud alios accusatus essem, ad tuam Maiestatem prouocarem; quemadmodum Apostolus dixit: *Cæsarem appello*, & cessatum est ab insidijs cōtra eum. Iam cum, apud

Veritas curatio calumniæ. *Ex Athanas. Apol ad Imperat. Constantiū.* *Prou* 20. *Zorobabel.* 3. *Esd.* 4. *Act.* 25.

te calumniam mihi ausi sunt intentare, ad quem à te, quæso, appellare potero, nisi ad Patrem eius, qui dicit: *Ego sum veritas*, vt ille cor tuum ad placabilitatem inclinet? Domine omnipotens, Rex seculorum, Pater Domini nostri Iesu Christi, tu per Verbum tuum imperium hoc famulo tuo Cōstantio dedisti, tu illumina mentem illius, vt cognitis mei calumnijs, beneuolenter recipiat meam excusationē, omnibusque clarum, manifestumque reddat, quàm aures hàbeat confirmatas, communitasque veritate, solùmque sibi, vti scriptum est, accepto esse labia iusta: ita enim solium regni fortunatum fieri, per Salomonem pronunciasti.

Ioan. 14.

Deo Patri preces fundendæ.

Itaque, si quis in hæc sacratarum disputationum certamina veniens, exuat se vitæ huius expositæ ad errorem solicitudine, & nudus malitiæ, athleta pietatis, oleo spiritali velut quædam animæ membra perfusus, suscipiat certamina veritatis, haud dubiè perpetua promerebitur sacratarum præmia coronarum. Bonorum enim laborum nobilis fructus est. Et quanto plura certamina, tantò præcellentior corona.

Ex Ambros. Proœmio in Euang. Luca.

Sap 3.

Quàm verò sublimis, quàm decora, & vtilis sit societas potentiæ, & veritatis, Dauid rex, & propheta docet, inquiens: Potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Idest: *In circuitu tuo*: Circum te est veritas, vt tibi perpetuò sit antè oculos, & in promptu, vt nunquam tibi excidat, vt nunquam fallas. Non solùm es potentissimus, sed etiam veracissimus, ipsaque veritate cingeris. Omnia verissima sunt apud te, & circum te. (Aliter; viri consilij tui, qui ante te assistunt, veridici sunt.) *Misericordia & veritas praecedent faciem tuam*. Ante oculos præstò sunt: Ante te in-

Psal. 88.

Ex Geneb. ibid.

A beneuolentia verò, odio, vel amore veritas plerumque surripi solet.

Naz. orat. 1.

Ibidem.

incedunt in rebus agendis, & administrandis, cum his proprietatibus te geris, erga mortales. Solium tuum firmatur iustitiâ, & equitate: misericordia autem, & veritas sunt, velut præcursores tui, & satellites, perpetuò parati ad rerum tuarum administrationem, & procurationem.

Ideò discipuli veritatis humanam gloriam fugiũt & à temporalium amore desciscunt, vt quæ Dei sũt sapiant, non quæ hominum: proficiunt sensibus, neque vigorem cordis amittunt, sed excellentissimæ intelligentiæ lumen accipiunt, viuentes quidem in hoc mundo, sed omnes mundi strepitus relinquentes; vt redimant tempus, quia dies mali sunt. Quo autem pretio quies huius temporis aptiùs comparatur, quàm vt ipsi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materiæ refundantur, & sancto, beatoque commercio ematur Christiana libertas, fiantque filij Dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Non enim, vt dilectores huius seculi putant, parui cordis, aut segnis est animi, terrrenas opes, spes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam quęrere, vbi laudatur peccator in desiderijs animæ suę, & qui iniqua gerit, benedicitur. Vnde, si verè intelligatur, contemptus iste rerum præsentium ad quæ tendat, & qualia concupiscat, nihil huiusmodi mentibus rectius, nihil inuenietur electius, quę sacratissimis desiderijs vniuersa transcendunt, neque ad vllam creaturam, quàmuis potentem, atq; mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium, & inuisibilium ambiunt creatorem: cui appropinquare, clarescere est: quem timere, gaudere est: cui seruire, regnare est.

[Margin: *Ex Ambr. lib.* 4 *ep.* 31. *Matth.* 16. *Coloss.* 3. *ibi:* Quæ sursum sunt, sapite, non quę super terrã *Ephes.* 5. Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatẽ, & veritas liberabit vos. *Ioa.* 8. *Psal.* 9.]

Quoniam verò charitas congaudet veritati; Et inter [Margin: 1. *Cor.* 13.]

ter

ter fructus spiritus, idem Apostolus enumerat gaudiũ,
Galat. 5. *libet de eo pauca, quæ se offerunt, beneuolo, ac deuoto*
Psal. 5. *lectori recensere. Pulchrè quidem rex, & propheta;*
Lætentur, inquit, omnes qui sperant in te domine; Vi-
Ex Chrys. ibid. *de, quæso qui legis, lucrum orationis!* Et illi melio-
Paulò ãte quippè dixerat: orabo ad te Dñe. res euadent, & desistent à vitijs: & alij magna voluptate afficientur, videntes illorum mutationem, & ad id quod est melius, conuersionem, & alios ea ratione fieri meliores. [In ęternum exultabunt, & habitabis in eis.] Hoc est, maximè gaudium perpetuum. Alia enim gaudia nihilò sunt stabiliora, quã fluuiorum fluenta, quæ simul, ac videntur, superfluunt. Quæ est autem ex Deo lætitia, manet, firmisque hæret radicibus, & est sufficiens perpetua, ac stabilis, quæ nullis inopinatis, ac inexpectatis casibus interrumpitur, sed per ea, quæ prohibent, maior, & sublimior redditur. Nam & Apostoli fla-
Act. 5. gellis cędebantur, & gaudebant, & Paulus affligebatur, & exultabat. Moriturus erat, & gaudij par-
Philip. 2. ticeps appellabat: Sed, etsi debitor propter sacrificium, & ministerium fidei vestrę, gaudeo, & collętor cum vobis omnibus; Itidem, & vos gaudete, & mecum collætemini: Cum ijs, qui ita lætantur, Deus cohabitat. Quamobrem ipse quoque dicit;
Io 16. In æternum exultabunt, & habitabis in eis. Hoc ipsum Christus, etiam significans dicebat, ostendens voluptatem minimè posse cessare. Rursùs videbo vos, & gaudium vestrum nemo tollit. Et rursùs
1. Timot. 5. Paulus, *Semper gaudete, assiduè orate.* [*Et gloriabũtur in te, qui diligunt nomen tuum.*] His enim solis licèt maximè gloriari, his gaudere, his lætari. Nam qui de ijs, quæ ad hanc vitam pertinent, gloriatur, ac sibi placet, is nihil differt ab ijs, qui in sõno voluptate fruuntur. Quid enim (dic mihi quęsò)

ex

ex rebus humanis eſt eiuſmodi, vt de eo, quis poſſit verè, ac ſolidè gloriari? Vires corporis? Sed vt eas validas habeamus, non eſt noſtri arbitrij, & ideò non eſt, quod gloriemur, & alioqui flaueſcunt, & excidunt, & ſępè etiam lędunt eum, qui eſt ijs pręditus, ſi ijs non vt oportet, vtatur. Hoc etiam videri poteſt, & in pulchritudine, & in diuitijs, & in potentia, & voluptate, & omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent. In Deo autem gloriari, & in amore in ipſum, eſt ornatus omnium maximus, & ſplendor, qui innumerabilia ſuperat diademata, etiamſi ſit captiuus, & in vincula coniectus, qui gloriatur. Hic ornatus, non morbo, non ſenio, non rerum viciſſitudine, non temporum varietate, non ipſa denique morte interrumpitur: ſed tunc etiam magis reſplendet. [*Quoniam tu benedices iuſto.*]

Dicat frequenter, & toto corde dicat; Abſit domine, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi: abſit, vt quocunque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impijs, ſed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium, tu ipſe es. Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te, ipſa eſt, & non eſt altera. Qui autē aliā putant eſſe, aliud ſectantur gaudium, neque ipſum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudij, voluntas eorum non auertitur. Quoniam autem nemo poſſidet Deum, niſi qui poſſidetur ab eo: ſimus nos ipſi facti Dei poſſeſſio, & efficietur nobis poſſeſſio, Deus. Et quid poteſt eſſe in mundo fęliciùs, quàm cui efficitur ſuus Imperator, & redemptor, cenſus, & hæreditas dignatur eſſe ipſa diuinitas? Omnes enim ex illo fructus percipimus, ſi in illo, & de illo ſemper viuimus. Quid rogo, homini ſufficit, cui ipſe conditor non ſufficit? Quid vltra quærit, cui omne gau-

Ex Aug lib. 10. Confeſſ cap. 22.

Ex eod Aug lib. vno de Salutar. document c. 10. & 11. 10 4: Qui tamē libellus ex diuerſis eius Sancti Doctoris epiſtolis conſarcinatus eſt, maximè quod ad ſententias attinet.

Academia Louaniensis. gaudium, & omnia suus redemptor esse debet? Heu quàm subtilitèr nos ille antiquus hostis decipiendo fallit: eamque cæcitatem ante oculos mentis nostræ abducit, nè discernere valeamus gaudium huius sęculi, & gaudia regis æterni. Nam gaudere si quidē bonum est, sed qui gaudet, si non inde gaudet, vnde debet, non potest bonum esse, quod gaudet. [Non potest enim quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium: æterna est quippè exultatio, qui bono lætantur æterno. *Sentent, 90. inter eas, quæ sunt ex Augustino, to. 3.*]

Ex Greg. lib. 10 moral. cap. 4. *Psal. 2.* Sancti tamen viri sic de spe certi sunt, vt tamen semper sint de tentatione suspecti: quippè quibus dicitur: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; vt, & de spe exultatio, & de suspicione nascatur tremor. Quorum voce iterùm Psalmista ait: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* *Psal. 85.* Qua in re notandum: quòd non ait: lætetur vt securū „ sit, sed lætetur, vt timeat. Meminerunt namque, „ quamuis eorum actio prosperetur, quia adhuc in „ hac vita sunt, de qua per eundem Iob dicitur: Tētatio est vita humana super terram. Meminerunt rursùm quod scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum, multa cogitantem.* *Sap. 9.* Meminerunt, & metuūt; & certitudinem sibi in se promittere non pręsumūt: sed positi inter gaudium spei, & tentationis metū, confidunt, & timent: confortantur, & titubant: certificantur, * & suspecti sunt. ** al. Certi morantur.* Benè ergo, per vocē electi membri sub figura nostri capitis dicetur: Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi: quia Redemptori nostro, quasi arridenti non credimus: dum multis iam eius donis testantibus, & gratiam fauoris eius accipimus: & tamen adhùc sub eius iudicio

dicio

dicio de noſtra infirmitate titubamus. Videamus, qualitèr Paulo,& arridetur iam per ſupernam gratiã; & ipſe adhuc quaſi non credit per ſuſpicionis metum. Iam è cœlo illi Dominus loquens, eiuſque interiùs oculos aperiens, exteriùs claudens, potentiam ſuæ maieſtatis oſtenderat: iam de eo, Ananiæ dixerat: *Vas electionis mihi eſt:* Iam ad tertium cœlum ſuper ſe raptus fuerat: iam in Paradiſum ductus, arcana verba,quę dicere nõ poſſet,audierat:& tamen adhuc timidus dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: nè fortè alijs prædicans,ipſe reprobus efficiar.* [Non dixit, perdo, (non enim inimica caro eſt) ſed caſtigo, & in ſeruitutem redigo, quod Domini eſt, non hoſtis, Magiſtri non inimici, exercitatoris non aduerſarij: *Chryſoſt.* 28. *in hom.* 1. *ad Corinth.* Ecce arridenti ſibi diuinæ gratiæ iam credit per ſpem: & nec dùm tamen credit per ſecuritatem!]

Act. 9.

1. *Cor.* 9.

Pſaltes ille cœleſtis,qui ſæpè in cithara,& pſalterio decem chordarum pſallebat Domino,dicit ei:Frmamentum meum, & refugium meum es tu. Ideſt: per te ſum firmus, & ex te ſum firmus. *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu*: vt fiam firmus ex te, ſicubi fuero infirmatus in me,refugiam ad te. Firmũ te facit gratia Chriſti,& immobilem aduerſùs omnes tentationes inimici. Sed ibi eſt,& humana fragilitas, ibi eſt adhùc prima captiuitas, ibi eſt, & lex in membris repugnans legi mentis, & captiuum volens ducere in legem peccati: adhuc corpus, quod corrumpitur,aggrauat animam. Quantumlibet firmus ſis ex gratia Dei, quamdiù adhuc portas terrenum vas, in quo theſaurus eſt Dei, aliquid etiam de ipſo vaſe fictili formidandum eſt. Ergo firmamentum meum es tu, vt firmus ſim in hoc ſæculo aduerſus omnes tentationes. Sed, ſi multæ ſunt, & turbant me,refu-

Pſalm. 70. *Ex Aug. Ibidẽ.*

Meditatio frequenter facienda: Da mihi Domine, vt ſic faciam, & vtiliter faciam.

Roman. 7.

Sapient. 9.

2. *Corinth.* 4.

gium meum es tu. Ad hoc enim confiteor infirmitatem meam, vt sim timidus tãquàm lepus, quia spinis plenus tanquàm Ericius. Et sicut in alio Psalmo dicitur: *Petra est refugium ex herinacijs, & leporibus: Petra autem erat Christus.*

Psalm. 103.
1. Corinth. 10.

Idem ipse sanctus Vates, suauis Spiritus sancti citharædus, in alio Psalmo, Ecce, inquit, exemisti oculos meos a lachrymis, pedes meos à ruina, quoniam placebo Domino in regione viuorum. Transit regio mortuorũ, venit regio viuorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Hic falsi fęlices, veri infęlices, quia falsa fęlicitas, vera miseria est. Qui verò se agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera fęlicitate. Et tamen nunc, quia miser es, Dominum audi dicentem; *Beati lugentes.* O beati lugentes. Nihil tàm coniunctũ miseriæ, quàm luctus: nihil tàm remotum, & contrarium miseriæ, quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? Intelligite, inquam, quos dico Beatos, dico lugentes. Quare beati? In spe. Quare lugentes? In re. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua: & quia agnoscunt se esse in ista miseria, & gemunt, beati sunt.

Psalm. 55.
Ex Aug. in. Ps. 85.
Matth. 5.

Rursus in alio Psalmo legimus: Dedisti lætitiam in corde meo. Vbi aduertere debemus, quod non dixit simplicitèr, & absolutè, Dedisti lætitiam, sed, In cor meum, ostendens non esse in rebus externis lætitiam, nèc in mancipijs, nèc in auro, nèc in argento, non in vestibus, non in lauta, & opipàra mensâ, nèc in potentiæ magnitudine, nèc in domus laxitate. Hæc enim lætitia non est cordis, sed solùm oculorum. Multis ergo eorum, qui hæc possident, vitam non esse vitalẽ existimant, & angoris fornacem in animo circumferunt, ac curarum multitudine exhausti, & continuis timo-

Psalm. 4.
Ex Chrys. ibidẽ.

timoribus oppressi. Sed mihi, inquit, non est in his lætitia, sed in corde intelligente, in mente incorporea, & ea, quæ sunt incorporea, cogitante. Quare, si te delectant, & ex ijs Dei prouidentiam cognoscis, multò magis eam disces ex futuris, quæ sunt, & præstantiora, & diuturniora, & quæ auferri non possunt. Si quod diuitijs affluas, & prosperè agas, id tibi persuadet esse Dei prouidentiam, multò magis id tibi persuadeant, quæ sunt in cœlo, diuitiæ. Non ergo foris quærenda est lætitia his, qui adhuc graues corde diligunt vanitatem, & quærunt mendacium, sed intùs, vbi signatum est lumen vultus Dei. In interiore enim homine habitat Christus, vt ait Apostolus. Ad ipsum enim pertinet videre veritatem, cum ipse dixerit, Ego sum veritas. Et cum loquebatur in Apostolo dicente; *An vultis experimentum eius accipere, quod in me loquitur Christus?* Non eis foris vtique, sed in ipso corde, idest, in illo cubili, vbi orandum est, loquebatur. Sed homines temporalia sectantes, qui certè multi sunt, nihil aliud nouerunt dicere, nisi quis ostendit nobis bona? Cum vera, & certa bona intrà semetipsos videre non possint. Ex Aug. Enar. in Psalm. 4. Ephes 5. Ioann. 14. 2. Corinth. 13. Matth. 6.

[Ostendit Dominus fatuos esse iudicandos, qui temporalium bonorum, vel copiam sectantes, vel inopiã metuentes, amittunt æterna, quæ nèc dari possunt ab hominibus, nèc auferri. *Ex eodem Augustino sermon. de verb. Domini in monte tom. 4.*]

Charitas patiens est, omnia sustinet, operatur tolerantiam passionum. Ideò idem egregius Prædicator dicit: Os nostrum patet ad vos, ò Corinthij: Cor nostrum dilatatum est. Et ante eum, Dauid canebat: Benedicite Dominum omnes serui Domini: qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri. Pulchrè autem addidit in atrijs: Atria enim ampliora spatia domus intelli- 1. Cor. 13. 2. Corin. 1. Ibidem 6. Psal. 133. Ex Aug ibid.

telliguntur. Qui stat in atrijs, non angustatur, non premitur, quodammodò delectatur. In latitudine mane,& potes diligere inimicum tuum,quia non ea diligis, vbi ab inimico angustias pateris. Quommodò intelligeris stare in atrijs? Sta in charitate, & stas in atrijs. In charitate latitudo est, in odio angustia. Audi Apostolum: *Ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* De latitudine autem charitatis,quid dicit? Quoniam *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis*. Vbi audis diffusionem, intelliges latitudinem. Vbi audis lętitudinem,intellige atria Domini, & habebis veram benedictionem Domini,quando non maledicis inimicis. Alloquitur enim spiritus eos,qui patiuntur tribulationem,vt glorientur in tribulationibus, & dicit eis:Ecce nũc benedicite Dominum omnes serui Domini. Quid est,ecce nunc? In hoc tempore. Nam post transactas tribulationes manifestum est,quia benedictioni Domini vacabimus: Et dictum est; Beati, qui habitat in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Qui tunc benedicturi sunt sine defectu,hic incipiunt benedicere Dominum: Hic in tribulatiouibus, in tentationibus,in molestijs,inter aduersitates sæculi,inter insidias inimici, inter fraudes, & impetus Diaboli: Hoc est, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini*. Diuinarum scripturarum multiplicem abundantiam,latissimamque doctrinam,fratres mei, sine vllo errore comprehendit,& sine vllo labore custodit,cuius cor plenum est charitate: dicente Apostolo, *Plenitudo legis est charitas*. Et alio loco; *Finis autem praecepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Si ergo non vacat,omnes paginas scripturarum euoluere,

Roman. 2. *Rom. 5.* *Psalm. 93.* *Ex Augu. serm. 39. de tempore.* *Rom. 13.* *1. Timot. 1.*

uere, tene charitatem,& in ea inuenies omnem scientiam. Quid est autem finis præcepti, nisi præcepti adimpletio? Quid est præcepti adimpletio, nisi legis plenitudo? Quod ergo ibi dixit; Plenitudo legis est charitas: hoc etiam hic dixit; Finis præcepti est charitas. Nec dubitari vllo modo potest, quod templum Dei sit homo, in quo habitat charitas. Dicit enim & Ioannes, *Deus charitas est*. Hæc enim dicentes Apostoli nobis charitatis excellentiam commendant. Non vtique aliud, nisi quod comederunt,* eructare potuerunt. Ipse quoque Dominus pascens eos verbo veritatis, quod est ipse panis viuus, qui de cœlo descendit: *Mandatum*, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem*. Et iterum: In hoc scient omnes, qui Discipuli mei estis, si vos inuicem dilexeritis. Ille enim, qui venit per Crucis irrisionem carnis perimere corruptionem, & vetustatem vinculi mortis nostræ, suæ mortis nouitate dissoluere: mandato nouo fecit hominem nouum. Res enim vetus erat, vt homo moreretur. Quod nè semper valeret in homine, res noua facta est, vt Deus moreretur. Sed, quia in carne mortuus est, non in diuinitate, per sempiternam vitam diuinitatis non permisit esse sempiternum interitum carnis. Itaquè, sicut dicit Apostolus, *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. Qui ergo contra mortis vetustatem attulit vitæ nouitatem, ipse contra vetus peccatum opponit nouum mandatum. Quapropter quisquis vetus peccatum vis extinguere mandato nouo, extinguere cupiditatem, & amplectere charitatem. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas: ità & radix omnium bonorum est charitas. Totam magnitudinem, latitudinem diuinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum, Proximumque

1. Ioann. 4.

*Aliàs: Ructare

Ioann. 13.

Roman. 13.

diligimus. Docet enim nos vnus cœlestis Magister, & dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges Proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Si ergo non vacat, omnes paginas sanctas perscrutari, omnia inuolucra sermonum euoluere, omnia scripturarum secreta penetrare: tene charitatem, vbi pendent omnia, ita tenebis, quod ibi didicisti: tenebis etiam quod nondùm didicisti. Si enim nosti charitatem, aliquid nosti, vnde & illud pendet, quod fortè non nosti, & in eó, quod in scripturis intelligis, charitas patet: in eo, quod non intelligis, charitas latet. Ille itaquè tenet, & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Quapropter, fratres, sectamini charitatẽ, dulce, & salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noe per diluuium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima; in Dauid tribulationibus mansuetissima. In tribus pueris blandos ignes innocentèr expectat: in Machabæis sæuos ignes fortitèr tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria preter virũ. Libera in Paulo ad arguendum humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendũ, diuina in Christo ad ignoscendum. Sed quid ego de charitate maiùs, aut vberiùs possum dicere, quam quod per os Apostoli laudes eius intonat Dominus, super eminentẽ viam demõstrantis, atq; dicentis,

Matth. 22.

Si

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens? Et si habuero prophetiam, & sciero omnia sacramenta, & si omnem scientiam, & habuero omnem fidem, itaùt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si donauero omnes facultates meas, & si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Charitas magnanima est, benigna; Charitas non æmulatur, non agit perperam. Non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt. Non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert, charitas nunquàm cadit. Quanta est ista? Animarum salus, scientiæ solidamentum, fidei fructus, diuitiæ pauperum, vita morientium. Quid tam magnanimum, quàm pro impijs mori? Qui tàm benignum, quàm inimicos diligere? Sola est, quam fęlicitas aliena non premit, quia non ęmulatur. Sola est, quàm fęlicitas sua non extollit, quia non inflatur. Sola est, quam conscientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria secura est, inter odia benefica est. Inter iras placida est, inter insidias innocens. Inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illà fortius non ad retribuendas, sed ad non curandas iniurias? Quid illà facilius, non vanitate, sed veritate? Nam ideò tolerat omnia in præsenti vitâ, quia credit omnia de futura vita, & suffert omnia, quæ hic irrogantur, quia sperat omnia, quæ ibi promittuntur: meritò nunquam cadit.

In charitate radicati, & fundati, vt possitis cõprehendere cũ omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiã supereminentẽ scientię charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. *Ephes.* 3.
1.*Corinth.* 13.

Magna profectò virtus charitatis, *quæ omnia sustinet*. Hanc ipsam capiti nostro Domino Iesu Christo conuenire nouimus. Quanta autem ipse pro nobis sub-

Aspicientes in authorẽ fidei, & consũmatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio

dio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Hebr. 12.
Ex Augu serm. 46. de tempore

substinuerit, puto charitatem vestram ignorare non posse: tamen exinde aliquid dicam, si tamen de tanto aliquid dignè dicam. Priùs illud, quod Deus homo, quod verbum caro factum est, quod multa bona fecit, & mala perpessus est, quod mortuos suscitauit, & mortuus est, quod singularis illa patientia pertulit Diabolum tentatorem, Discipulum traditorem, quod ipsum Iudam, priusquam ostenderet traditorem, pertulit furem, & ante experimentum vinculorum Crucis, ac mortis, labijs eius dolosis non negauit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta sustinuit? Pertulit odiorum flammas, ministras pessimi cordis linguas, clamauerunt Iudæi, *Crucifige, crucifige*: vt rei remanerent Iudæi, innocens ab eis crucifixus est filius Dei. Ad Crucem ducitur, expalmatur, qui est vera palma victoriæ. Spinis coronatur, qui spinas peccatorum venit confringere. Ligatur, qui soluit compeditos. Ligno suspenditur, qui erigit elisos: Aceto potatur fons vitę, disciplina cęditur, salus vulneratur, vita moritur: occidit ad tempus vitam mors, vt in perpetuum à vita occideretur mors.

Ioann. 1. *Luc. 22.* *Matth. 27.* *Psalm. 145.*

Ex Chrys. hom. 14. in epist. ad Philipp. in moral.

Si nobiscum ipsi pacem seruemus, Deus etiam nobiscum erit: Si verò bellum excitauerimus, Deus pacis non erit nobiscum. Nihil enim adeò hostilitèr aduersatur animæ, atque malitia. Hoc est: In securitatem constituit eam pax, & virtus. Itaquè gubernare oportet, quæ nostra sunt, & tunc Deum attrahemus: non est Deus belli, ac pugnæ. Dissolue bellum, & pugnam, tàm quæ contra ipsum, quàm quæ contra proximum. Pacificus esto cum omnibus. Cogita qualem te Deus existentem saluet: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. Omninò filium Dei, qui tales sunt, imitantur. Imitare illum, & tu quoque: Pacem seruato. Quantò te magis impugnauerit, fra-

Matth. 5.

ter,

ter, tantò maior erit merces. Etenim audi quid Propheta dicat: *Cum his, qui oderunt pacē, eram pacificus.* Psalm. 119.
Hoc virtutis est, hoc maius est humana ratione, hoc Deo vicinum facit. Nihil adeò Deum exhilarat, atq; si iniuriarum memores non fuerimus. Hoc tibi peccata remittit, hoc tibi culpas adimit. Si verò pugnauerimus, ac concertauerimus, parientur inimicitiæ. Ex inimicitia verò, iniuriarum memoria, & vindicandi libido. Excide radicem, & non erit fructus: ità discemus contemnere temporalia. Non enim est, non est, inquam, in spiritualibus pugna: sed quidquid fieri videas, siue pugnas, siuè inuidentiam, seù quod cumque aliud dixerit quisquam, temporalium gratià cōmittitur. Habet enim omnis pugna ortum suum, vel ex auaritia, vel ex inuidentia, vel ex inani gloria. Itaquè si pacifici fuerimus, discemus & ea, quæ in terra sunt, contemnere. Rapuit tibi quisquam pecunias? Sed nihil lęsit, modò supernas diuitias tibi non abstulerit. Gloriam tuam præpediuit? At non eam, quam habes apud Deum, sed eam, quæ prorsùs nulla est; Neque enim ipsa gloria est, sed nomen dumtaxàt gloriæ: imò verò ignominia. Præripuit tibi honorē? Non tibi, sed sibi ipsi. Quemadmodùm enim qui aliū lędit, non lędit, sed lęditur: ità & qui Proximo insidiatur, seipsum primùm interimit. Nam qui Proximo suo foueam parat, incidit in eandem: nè insidiemur itaque alijs, ne nos ipsos lędamus. Animæ fortis, & constantis est posse obluctari his, qui auellere moliuntur, & nihil facere, vt hominibus placeat, sed oculum suum intendere ad illum insopitum oculum, & ab eo solùm gloriam expectare, & hæc despicere, nulliusque pili facere humanam laudem, vel conuicia, sed transire, vt vmbras, & omnia. Iam hic sæpè multi non ferentes conuicium hominum viginti, vel

Psalm. 7.

Ex eod hom 23. in Genes col. 3. & sequent.

Dd decem,

decem,vel etiam paucorum supplantantur,& ruunt: Est enim confusio ducens in peccatum. Neque parũ est,despicere irridentes, & opprobrantes, & salibus incessentes;at iustus ille non tantùm decem,& viginti, & centum homines, sed & omnẽ hominum naturam, & tot myriades despexit. Verisimile enim,omnes illos ridere,reprehendere,subsannare,& debacchari; & fortè etiam si possibile fuisset, dilacerare voluisse; Semper enim contra virtutem insanit malitia. Atquè non solùm nihil illi nocet, sed & infestando fortiorẽ reddit. Tantum enim virtutis robur, vt patiendo superet negotium sibi facientes, & cum impugnatur, hostibus fit potentior.

Phrasis Pauli scribẽtis ad Galatas;Ibi: Testimonium enim perhibeo vobis: quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi: *Galat.* 4. *Prouer.* 9.

Ex eod hom. 80. *in Matth.*

Vis discere,quàm magnum bonum sit iniuriarum obliuio,& quomodò summoperè eà Deus placetur? Eos,qui lętantur,quoniam iustè ab eo quidam puniti sunt,non patitur omninò impunè id facere. Nam & si iustè illi vexati sunt, sed gaudere te hac de causa non oportet. Vnde Propheta multa criminatus, hoc tamen subiunxit, dicens: *Non passi sunt aliquid in contritione Ioseph.* Et rursùs: *Non exiuit ex domicilio suo ad plangendam vnam domum coniunctam ei.* Itá, quàmuis Ioseph,& tribus ex eo,& vicini eius ex Dei sententiá punirentur, sed tamen etiam istis condolere nos vult. Nam, si nos, qui nequàm sumus, quando in seruum nostrum animaduertimus, conseruorumque aliquem ridentem conspeximus, adeò irritamur, vt ad ridentem,iram deriuemus: quantò magis Deus supplicijs aliorum lætantes torquebit? Quòd,si lætandum non est,sed condolendum his,qui adeò puniuntur: multò magis condolendum,qui nos offenderunt, eius namque charitatis id signum est, quam Deus cæteris omnibus anteponit. Nam,sicut illi flores colorum pretiosissimi sunt, quibus trabea

Amos 6.

Impe-

Imperatoris tingitur:sic illi virtutis magni pretij sunt, quibus charitas continetur. Nihil porrò charitatem ità continet, atque conseruat, vt commissorum aduersùs te peccatorum obliuio.

Iterum: Quot patiebatur Dauid iniurias? quot autem inferebat Saul? quis ergo fortior factus est, atque beatior? quis verò miserior, & miserabilior? Nonnè qui fecit iniuriam? Considera verò: promiserat Saul, si Dauid alienigenam prosterneret, ipsum generum accepturum, & multa cum gratia filiam ipsi daturum: prostrauit alienigenam, illi fœdera transgressus est, nèc modò non dabat, verùm,& auferre conabatur. Quis ergo factus est clarior? Nonnè ille quidem à dolore suffocabatur, & malo Dæmone: hic autem super Solem triumphis,& Dei beneuolentià coruscabat? Rursùm: in munerum choro nùm ille quidem angebatur inuidià, hic autem tacitè cuncta ferens omnes capiebat, & sibi colligabat? Postquã, & cum ipse in manus cepit, vt pepercit: vter rursùm beatus, vter miser, vter autem imbecillior, vter potentior? Nonnè hic, qui neque iustè grassatus est? Et valdè meritò: Ille namque milites armatos, hic autem iustitiam innumeris exercitibus fortiorem, auxiliarem habebat, & adiutricem: propterea iniustas passus insidias, nèc iustè voluit occidere. Ex superioribus namque sciebat, quòd non malè facere, sed malè pati, reddit potentiores: hoc & in corporibus efficitur, hoc in arboribus. Quid autem Iacob? Nonnè à Laban iniuriam sustinuit,& malè passus est? Quis itaque fuit fortior? Qui cepit eum in manibus, nec ausus contingere, sed timens,& tremens: an non hic sine armis,& militibus innumeris, Regibus ipsis factus terribilior? Vt autem, & alteram hac maiorem vobis probationem afferã dictorum, in ipso rursùm

Ex eod. hom 45. ad Populum.

1. Reg. 17.

Ibidem 24.

Genes. 31.

Dauid, per contrarium sermonem habeamus. Hic enim iniuriam passus, corroboratus, posteà vicissim iniuriam operatus, infirmior factus. Cum igitur Vriā affecit iniuriâ, mutatus rursùm est ordo; & infirmitas quidem ad eum, qui patrauit iniuriam: virtus autē ad iniuriam passum transiuit. Mortuus enim Ciuitatem populabatur, & ipse quidem licèt Rex esset, & viuus, poterat nihil: ille verò miles tantùm, & iugulatus, omnia illius subuertit. Vultis, & aliundè, quod dico, faciam manifestius? Indagemus, & iustè se vlciscentes: Nam iniuriam quidem inferentes, quod omnium vilissimi sunt, animā suam impugnantes, quodammodò manifestum est.


2.Reg. 11.



DE

DE DILECTIONE DEI, ET PROXIMI.

LIBER QVARTVS.



CARITAS non cogitat malum. *1.Corinth.13. Ex Chrys. hom. 4. in Genes.* Strangulanda itaquè est nostra praua cogitatio, & mansuefacienda truculenta illa fera, (iram dico) & certamen, quasi ante tribunal terribile staremus, aggrediendum: docendi sumus, quod si fortitèr hosti resistimus, magna nos expectant bona: sin minùs, graue sustinebimus „ iudicium. Nequè temerè, inutilitèr tempus expen„ dere oportet: sed singulis diebus, & horis ante „ oculos nostros proponere iudicium, & quæ sint ea, „ quę magnam nobis tunc fiduciam afferre queant: quæ item, quam pœnam inferant. Et ità hæc versantes in nostris cogitationibus, superabimus affectiones, & compescemus carnis lasciuias: & mortificabimus, iuxta beatum Paulum, membra nostra, quæ su- *Coloss. 3.* per terram sunt, stuprum, immundiciem, passionem concupiscentiam malam, auaritiam, furorem, vanam gloriam, inuidentiam. Quod, si has affectiones in nobis mortuas, itaùt in nobis nihil operari valeant: *Galat. 5.* poterimus accipere fructus spiritus, qui sunt *charitas gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia*.

Cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ *Aliàs: Reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt tibi.* cogitationis diem festum agent tibi: Quæ est autem cogitatio, quę confitebitur? Quæ damnat vitam priorem, cui displicet, quod erat, vt sit, quod non erat, ipsa *Psalm. 75. Ex Aug. ibidem*

est

est prima cogitatio. Sed, quia sic debes recedere à peccatis, primam cogitationem confessus Deo, vt non tibi recedat de memoria, quia peccator fuisti, per hoc, quod peccator fuisti, solemnia celebras Deo. Adhùc intelligendum est. Prima cogitatio confessionem habet, & * remissionem à vetere vita. Sed si oblitus fueris, à quibus peccatis liberatus sis, non agis gratias liberatori, & non celebras solemnia Deo tuo. Ecce prima cogitatio confitens Sauli, Apostoli iàm Pauli, qui primò Saulus fuit, quando audiuit vocem de cælo, cum persequeretur Christum, & fureret in Christianos, & vellet, vt vbicunque inuentos adduceret necandos, audiuit vocem de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris? Et circumfulsus lumine, facta sibi cæcitate in oculis, vt intus videret, emisit primam cogitationem obedientiæ, cum audiret, *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris; Domine*, ait, *quid me iubes facere?* Et hæc cogitatio confitentis, iàm Dominum appellat, quem persequebatur. Quomodò reliquiæ cogitationis solemnia celebrant, in Paulo audistis, cum ipse Apostolus legeretur: *Memor esto, Christum Iesum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum.* Quid est, memor esto? Non deleatur de memoria tua cogitatio, qua primò confessus es: Sint reliquiæ cogitationis in memoriâ. Et vide, quemadmodùm repetit, quod sibi donatum est, idem Paulus Apostolus alio loco: *Qui priùs*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus*. Quid dicit? Priùs fui blasphemus. Numquid „ adhuc blasphemus est? Vt non esset blaphemus, „ fuit primò cogitatio confitens: vt autem comme„ moraret, quid illi donatum est, reliquiæ cogitatio„ nis solemnia celebrabat. Etenim, fratres mei, ecce innouauit nos Christus, donauit nobis omnia pecca-

ta,

* *Aliàs*: Recessionem.

Act. 9.

1. *Timoth.* 1.

1. *Timot.* 1.

ta, & conuersi sumus. Si obliuiscamur, quid nobis donatum est, & à quo donatum est, obliuiscimur munus Saluatoris. Cum autem non obliuiscimur munus Saluatoris, nonnè quotidiè nobis Christus immolatur? Et semèl pro nobis Christus immolatus est. Cum credidimus, tunc nobis fuit cogitatio: modò autem reliquiæ cogitationis sunt, qua meminimus quis ad nos venerit, & quid nobis donauerit. Ex ipsis reliquijs cogitationis, idest, ex ipsa memoria, quotidiè nobis sic immolatur, quasi quotidiè nos innouet, qui primà gratià suà nos innouauit. Iam enim innouauit nos Dominus in *Baptismo*, & facti sumus noui homines, *in spe quidem gaudentes, vt in tribulatione simus patientes*: tamen non debet de memorià nostrà recedere, quid nobis præstitum sit, etsi modò non est cogitatio, quæ fuit. Etenim prima cogitatio fuit confitentis recedere à peccato, modò autem non recedis, sed tunc recessisti: sint reliquiæ cogitationis, nec excidat à memoria, qui sanauit. Vulnus te habuisse, si oblitus fueris, non tibi erunt reliquiæ cogitationis. Quid enim putatis dixisse Dauid? Ecce ex omnium persona loquitur: Peccauit Dauid sanctus grauitèr, missus est Nathan propheta ad illũ, & corripuit illum, & confessus est, & dixit: Peccaui. Hæc fuit prima cogitatio confitentis. *Cogitatio hominis confitebitur tibi*: Quæ erant reliquiæ cogitationis? quando, ait, *Et peccatum meum ante me est semper*. Quæ fuit ergo prima cogitatio? Vt recederet à peccato: Et si iam recessit à peccato, quomodò peccatum illius ante illum est semper? Si quidem illa cogitatio transijt, sed reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt. Meminerimus ergo, fratres charissimi, rogamus vos: Quisquis liberatus est à peccato, meminerit, quid fuit: sint in illo reliquiæ cogitationis. Tunc enim

Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouũ hominem, qui secundũ Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: *Ephes.* 4. 24.
Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicẽ, sicut & Deus in Christo donauit vobis: *Ibidem* 32.
Roman. 12.
2. *Reg.* 12.
Psalm. 75.
Psalm. 50.

enim portat alium ad sanandum, si se meminerit esse sanatum.

1.Cor. 4. Dixit Sanctus Paulus: *Etsi nihil mihi conscius sum:* addidit tamen: *Sed non in hoc iustificatus sum.*
Ex Ambros. lib. de Nabuth. cap. 16 tom. 1. Et vos etiam, si nihil estis conscij, confitemini tamen Domino, nè quid sit, quod vos prætereat. Qui enim confitetur Domino, etsi reliquias cogitationis adhibuerit ad confessionem, *diem festum* mentis celebrabit arcano, & epulabitur, *non in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* Itaq; in conclusione conuersus ad vos propheta, dicit: *Orate, & reddite Domino Deo vestro*, idest, Nolite dissimulare, diuites, dies instat, orate pro peccatis vestris, reddite pro beneficijs, quæ habetis munera. Ab ipso accepistis, quod offeratis: ipsius est, quod ei soluitis: *Dona*, inquit, *mea, & data mea*: hoc est, quæ offertis mihi dona, data sunt mea: ego ea dedi vobis, atque donaui. Deniquè Propheta ait: *Quoniam bonorum meorum non eges*: tua tibi offero, quoniam non habeo, quod non dedisti.

Psalm. 75.
1.Corin. 5.
Psalm. 75.
1.Paral. 29.
Num. 28.
Psalm. 15.

Psalm. 118. Ex Aug. ibidem, Concione 24. *Adiuua me*, inquit sanctus Dauid, *& saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis sēper. Spreuisti ōnes* (*vel quod de græco diligentiùs videtur expressum*) *Ad nihilum deduxisti omnes discedentes à iustificationibus tuis, quia iniusta cogitatio eorum:*) Ideò ergo clamauit, Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper, quia in nihilum redigit Deus omnes discedentes à iustificationibus suis. Quare autem discedunt? Quia iniusta est, inquit, cogitatio eorum. Ibi acceditur, ibi disceditur. Omnia opera, vel mala, vel bona, à cogitatione procedunt: In cogitatione quisque innocens, in cogitatione reus est: propter quod scriptum est, *Cogitatio sancta seruabit te*: Et alibi legitur, *In cogitationibus impij interro-*

Sapient. 1.

terrogatio erit. Et Apostolus, *Cogitationibus*, ait, *accusantibus, aut etiam defendentibus*. Vbi autem felix est, qui in cogitatione miser est? Aut quomodò ibi non miser est, qui ad nihilum redactus est? Magna quippè est sterilitas, iniquitas. Meritò dictum est: *Confundantur iniqui facientes vanè*: idest, inanitèr, tanquàm redacti in nihilum. Roman. 1. Psalm. 11.

Charitas non vincitur à malo, sed iuxtà consilium Apostoli, *vincit à bono malum*. Qui autem iniuriæ memor est, procul dubio vincitur à malo. Propterea mihi iàm suspiria suboriuntur, quod cum possumus & habere præsentia, si leges Christi; quemadmodum, oportebat audissemus, & acquirere futura: ab vtrisque excidimus, dùm quæ dicta sunt, negligentes in vanis, ac superfluis philosophamus. Nam & vtilitèr ille præcepit omnia, & ostendit quid nos, vel celebres faciat, vel dedecoret. Quod, si istud discipulos suos ridiculos, facturum fuisset, vtique non præcepisset. Verùm quoniam illustriores facit omnibus, quod cum malè audiant, vicissim non malè dicunt: Quod cum malè afficiantur, vicissim non malè faciunt: propterea ista illis traddidit. Quod, si hoc est, multò magis gloriosum erit, si cum malè audieris, benè vicissim dixeris: si conuicijs impetitus, encomium rependeris: si insidias passus, econtrà benè feceris. Vnde & ista quoquè decreuit; Parcit enim Discipulis suis, optimè sciens, quid paruum faciat, quid magnum. Si ergo illis, rerum non ignarus parcit: quid quæsò, illi reniteris, aliam viam ingredi volens? Ex diabolicis quippè legibus est, malefaciendo vincere. Propterea & in Olympiacis certaminibus Diabolo consecratis, ad eum modum vincunt; quotquot illic decertant. In stadio verò Christi, non est ea certandi lex, sed omninò contraria. Hic

Rom. 12. Ex Chrysostom. Ibid. homil. 21. in moral.

Qui in Philosophiâ plurimum excelluere, animi indignationē remiserunt, quorū immortalis memoria, per omnia sęcula durat: *Basil. epist. 164. quæ est Andr. Præsidi*

enim non eum, qui percutit, sed qui percutitur, coronari, decretum est.

Quid verò conuenientius Iesu Christi Domini, & Saluatoris nostri Discipulis, quid vtilius, quàm charitatē meditari, recogitare mansuetudinem: quæ dilectionis sunt, eloqui: quæ amorē Domini Dei tangunt, & Proximi (quantùm vnicuique largiri ipse Deus dilectionis, & pacis, dignabitur) opere complere?

Author.

Ex Augu. serm. 168. de Tempor. Coloss. 2.

Primum medicamentum est animæ ægrotanti, plena, & perfecta dilectio, per quam possit non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere. Quam rem qualitèr fidelis Christianus credere, tenere, & obseruare debeat, de veteri, ac nouo Testamento, prout potuimus, vnicum, ac singulare remedium animarum pro amore inimicorum, pauca capitula excerpsimus, quæ vnusquisque, si non discutiendo, sed credendo susceperit, & peccatorum suorum indulgentiam accipiet, & ad æternam beatitudinem, Deo auxiliante, perueniet. In primis considerandum est, quanta in beato Iacob fuerit charitas, vt odientem se fratrem suum, maluerit in longinquis regionibus fugere, quàm vicem odij repensare: quem, sicut vitare sciuit, ità odisse nesciuit: & reuersus, multis muneribus, vt eum sibi placatum faceret, honorauit. Deindè attendendum est, quàm benigna fuerit etiam erga inimicos antiquorum Sanctorum charitas. Nam beatus Ioseph pro parricidij crimine, impijs, & inimicis fratribus suis, non odij amaritudinem, sed charitatis dulcedinem repensauit. Osculabatur enim singulos, & per singulos flebat, quibus non solùm nihil mali rependit, sed omnia bona retribuens, tàm viuo, quàm mortuo patre, germano semper amore dilexit. Beatus quoque Moyses, cum frequentèr eum Populus rebellis, non solùm contemnere, sed etiam lapidare vellet,

Genes. 45

Germanus amor.

vellet, diuinæ charitatis memor, ita pro illis Domino supplicabat, vt clamaret, & diceret: *Si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exod 32.
In ipso enim veteri Testamento legimus scriptum; [illegible]
Itinera eorum, qui iniuriam retinent malè facti, in mortem. Et iterum: *Nè memor*, inquit, *sis iniuriæ Proximi tui.* Leuit 19. Et iterum: *Si videris asinum inimici tui iacentem in luto, non præteribis, nisi priùs alleues eum.* Exod. 23. Quo loco diligentèr vnusquisque consideret, quod, si asinum inimici non licet in luto dimitti, quantò magis homo ad imaginem Dei factus, non debet odio haberi, nèc negligi? Beatus quoque Iob ita veram, & perfectam charitatem etiam cum inimicis fidelitèr retinebat, vt gaudens, & liberà conscientià ad Deum diceret: *Si gauisus sum ad ruinam inimici mei, & exultaui in eo, quod inuenisset eum malum, vel si in corde dixi, benè.* Iob. 31. Beatus quoque Dauid, licèt virtutibus multis exornatus, nulla tamen eum actio familiariùs Deo coniunxit, quàm dilectio inimicorũ suorum. Cui, cum inimicus suus in faciem malediceret, maluit tamen parcere, & Dei iudicio reseruare, quàm suæ iracundiæ satisfacere. 1. Reg. 16. Et intantum non fuit simulata, nèc vel falsa dilectio sua, vt ipsos etiam aduersarios suos fleret, & in illis, qui eos occidere præsumpserant, vindicaret. Ideo securus in Psalmo dicebat illud, quod omnes homines satis attento, & trementi animo dicere debent: *Si reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Psalm. 7. Ecce, quali maledicto se ipsum contemnat, qui de inimicis diligendis Dei præcepta contemnens, odium in corde seruare non metuit. Vnde considerandum est, qua

 fronte,

fronte, vel qua conscientiâ versiculum istum ex ore suo proferre poterit, qui inimicis suis mala pro malis retribuit. Per Salomonem quoque Spiritus sanctus clamat, & dicit: *Cum ceciderit inimicus tuus, nè gaudeas: nè fortè videat Deus, & displiceat illi, & auertat iracundiam suam ab eo*: & vtique cum ab illo auerterit, ad illum dirigat, qui de inimici ruinâ gaudebat, secundùm illud, qui in ruinâ gaudebat, secundum illud, qui in ruinâ lętatur alterius, non erit impunitus. Item ibi: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? Et in hominem similem sibi non habet misericordiam, &c.* Ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem quærit à Deo: quis exorabit pro delictis ipsius?

Prouer. 24.

Prouer. 17.

Eccl. 28.

Illud etiam cum timore, & tremore considerare debemus, quod in psalmo terribilitèr Spiritus sanctus dixit; Cum enim illam cælestem Hierusalem, idest, congregationem omnium Sanctorum, quæ cùm Christo est regnatura, ad laudandum dominũ prouocaret, cùm dixisset; *Lauda Hierusalem dominum*: addidit: *Qui posuit fines tuos pacem*. Ergo, vt ipsi videtis, Hierusalem illa cælestis muros de pace constructos habet. [Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretio ornata. Et portæ eius non claudentur per diem. *Apocal. 21. Erit nanque ibi pax super pacem, mons pacis, quæ exuperat omnem intellectum. Nullus intrat inimicus, nullus exit amicus.*] Qui enim talem pacem, & talem charitatem habet, vt omnes homines diligat, & pro bonis oret, vt meliores fiant; pro malis supplicet, vt citò se corrigant, de qua parte voluerit intrare, illius cælestis Hierusalem portas apertas merebitur inuenire: qui autem non vult habere talem charitatem, qualem & Christus præcepit, & Apostolus docuit, ex omni parte

Ex eod. August. supra citato ser. 68. de Tempor. col. mihi 4. & sequent.

Psal. 147.

Primùm hoc statuo esse virtutis, conciliare sibi animos hominum. *Tullius de Amicitiâ.*

Hie-

Hierusalem portas clausas inueniet. Et, quia oleum charitatis habere noluit, clausis ianuis sponsi, cum illis fatuis virginibus illam metuendam audiet vocẽ: *Amen dico vobis, nescio vos, vnde sitis*. [Rectè illis respondetur, *Amen dico vobis, nescio vos*: Ille quippè hoc dicit quem non latet aliquid. Sed nescio vos: nihil aliud est, quàm nescitis me: quando de vobis potiùs eligitis confidere, quàm de me, &c, *Ex Aug. epist. 120. cap. 35.*] Quomodo enim illis quinque virginibus, quæ charitatis oleum habuerunt, illa cælestis Hierusalem aperiet ianuas suas, vt intrent in gaudium Domini sui: sic illis è contrario, qui sine charitate viuunt, claudet, & æterna à se separatione repellet: & implebitur illud, quod in psalmo dicitur de Hierusalem: *Quoniam*, inquit, *confortauit seras portarum tuarum*. Clausis portis, & confirmatis seris, nunquàm exiet amicus, nunquàm intrare poterit inimicus: quia, sicut iustus numquàm erit exiturus à gloria, ita & peccator nunquàm poterit liberari à pænà.

Math. 25.

Psal. 147.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã meritò ab inimicis meis inanis, &c. Vide igitur, quid sibi imprecatur, vt frustrà laboret, vt ab inimicis vincatur, vt moriatur, vt nè morte quidem communi, vt eius etiam memoria deleatur, vt cum ignominia, non tot, & tanta sibi imprecaturus, nisi conscientiæ vehementer confideret. Quod, si illi erat inimicus, non potest in eum culpa conferri, neque enim ipse præbuit occasionem? Quam Sauli? Num illum, cumque mortem mererentur, fecisset, ad tempus, castigatum reduxit, & restituit? Nunc autem mortem ei machinantem, in manus sæpe acceptum seruauit. Non ergo respice, an inimicos habuerit, sed an eos ipse fecerit. Neque enim Christus hoc iussit,

Psal. 7.
Ex Chrys ibid. col. mihi 11.
Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non non quasi aerẽ verberans, &c. *1. Cor. 11. & 1. Thessal. 2.* Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit.
2. Reg. 16. & seqq.
1. Reg 24 26.

iussit, nos non habere inimicos, sed non odisse: hoc enim est in nostra potestate, illud verò omninò nõ est. Nè autem sine causa odio habeamur, non est in nostra potestate, sed in eorum qui oderunt. Improbi enim bonos nulla omninò de causa odisse cõsueuère. Etenim Christum quoque sine causa odio
Psal. 34 habuerunt, quemadmodum dicit: *Oderunt me gratis*. Et Apostoli habuerunt inimicos, pseudoapostolos, & prophetæ falsos prophetas. Non est enim hoc spectandum, vt non habeamus inimicos, sed nè iustè, & nè cum causâ, & vt licèt millièś odió habeamur, non habeamus odio, neque auersemur. Sunt hæc enim inimica, odio habere, & auersari. Quando ergo odio habeor, & odio non habeo, ille me inimicum, non ego eum habeo. Quando ei benè precor, quando ei volo benè facere, quomodò ego illi sum inimicus? Propterea dicebat Paulus:
Rom. 12. *Si possibile est, quod est in vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Nostra ergo afferamus, & huic ipsi sufficientem laudem. Quęnam sunt autem nostra? Vt verbi gratia, Hic odio habet, & bellum gerit, tu ama, & eum beneficio affice. Probris, & maledictis appetit, tu benedic, & lauda. Sed, nè sic quidem soluit inimicitias, maiorem igitur tibi affert mercedem. Mali enim, quò magis à nobis obseruati bellum nolunt componere, eò nobis splendidiorem remunerationem comparant, & se reddũt imbecilliores. Qui enim odio habet, & non recõciliatur, colliquatur, tabescit, & in perpetuo bello versatur. Qui est autem his telis superior, stat remotus à magnis tempestatibus, & sibi ipsi antè illum maximè prodest, studet illi reconciliari, & non cum eo bellum gerere, se ipsum à bello, & pugnâ liberans. Fugiamus ergo inter nos ipsos bellum ge-

„ re-

„ rere, & eorum radicem de medio tollamus, vanã „ gloriam, & auaritiam; Vel enim proptèr pecu- „ nias est inimicus quispiam: vel propter vanam gloriam. Quod, si ijs fuerimus superiores, etiam nè nos apprehendant inimicitię, euademus superiores. Etsi ergo contumeliâ affecerit, magno, & forti animo feramus, se ipsum enim non te affecit iniuriâ, etsi percusserit, nè dexteram contrà tendas: Ipse est enim, qui feritur, & quidem manu, se ipsum verò irâ pulsans, & sibi malam ab omnibus existimationem comparans.

Inuidiæ dupliciter radix, vanagloria .s. & cupiditas. Vtraque, vt eradicetur, difficilis.

De vnâ portiunculâ passionum, hoc est, iracundia, Salomon dicit: *Melior est sapiens forti, qui autem continet iracundiam, melior est quàm qui vrbem capit*. Beatus igitur, qui hoc bellum euaserit: iam enim non aduena, nec peregrinus, sed ciuis sanctorum, & domesticus Dei, quem in terra positum terrena non quatiant. Nunc affectum seruare cupiebat Abraham: Itaque vt vir pacificus ait primò: *Non sit rixa inter me, & inter te*. Inde ait: *Et inter pastores meos, & pastores tuos*. Tertium posuit: *Ecce*, inquit, *tota terra ante te*: hoc est, si non potes conuenire, cedo omnibus, totum cape, si de loco, aut possessione dissentio est. Quod si moribus non conuenit, discede à me. Quanta autem præmisit, nè cogeretur discedere? Sed etiam hoc virtutis, ac disciplinæ est. Dixit enim ante nos vir ex philosophiæ perfectus disciplinâ, quatuor hæc bono viro inesse: Vt elaboret primùm, vt omnes amicos faciat: Secundum, vt si non potest amicos facere, certè nec inimicos: Tertium, vt si nec istud suppetit, ex sententia discedat: Quartum, si quis cędentem persequitur, vindicet se, vt potest. Sed illa tria in Abrahæ, non sermonibus nudis, sed veris operibus

Ex Ambros. lib. 1. de Abraham. cap 6.
Prou. 16.
Eph. 2.
Genes. 13.
Genes. 14.

bus agnoſcimus. Quartum autem non ita eſt, quando etiam circa cædentem ſeruauit affectũ parentis; vt, cum non ſolùm non perſequeretur, ſed etiam captum erueret, ac liberaret. Denique Apoſtolus, cum tria illa doceat, quartum præceptis ſuis ſoluit, quod addiderat philoſophia. Ait enim, cum pacificum populum Dei informare vellet: *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Deinde, ſi hoc non poteſt, certè nec diſcordias, nec inimicitias moueat. Ideò addidit: *Non vos vindicantes, chariſſimi*. In quo, & tertium illud excluditur, vt vindicare nos nequaquàm velimus: *Sed dare locum iræ*. Habes & quartum, vt diſcedas magis, & vindictam Deo committas, quàm tibi exigas: tanquàm & hoc ſecundùm legem magis dictum voluit videri. Nam ſecundùm Euangelium habet: *Benedicite eos, qui vos perſequũtur*. Habemus hæc præcepta ad Timotheum in ſecunda epiſtola: *Propter quam cauſam*, inquit, *admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*: Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Et iterum: *Tu autem Fili chariſſime, fortitudinem cape in gratia*. Habes ergo primę præceptum ſententiæ, vt erga omnes gratiam locet: Deinde, ſi non poteſt præceptis ſuis omnes acquirere, caueat nè verbis aliquos exaſperet, hoc eſt, nè inimicos faciat. Vnde ait infrà: *Hoc commoneo, teſtificans corã Deo: Noli verbis contendere, nihil vtile, niſi ad ſubuerſionem audientium*. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes. Pulchrè poſt pauca ſubiecit, & cauſam præſtitit, quam philoſophia non vidit: *Cum modeſtia*, inquit, *corrigentem eos, qui reſiſtunt, nequando Deus det illis pœnitẽtiam*

Rom. 12. Ibidem. Deuthor. 32. Matth. 5. & Rom. 12. 2. Timoth. 1. 2. Timoth. 2. Ibidem. Ibidem.

tiam ad cognoscendam veritatem. Ad tertium quoque illud, vt discedamus ab eis, cum quibus nobis conuenire non potest: habes additum, cum præcepit, vt loquatur, *quę decent sanam doctrinam*; deinde pugnas legis declinet: hoc est, primùm gratiam seminet, deinde nullum litigando auertat. Tertium est, vt Hæreticum hominem post vnam correptionē deuitet, quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit à semetipso damnatus. Quàm argutè suo iudicio damnatum, nostrę vltioni subtrahit, quasi indignum, in quem vindicetur. Dauid autem euidentèr studium vindictæ amouet dicens: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*. Ergo mens viri sapientis, eiusdem animæ vel lapsus, vel irrationabiles motus studet corrigere, sibique coniungere. Potest enim fieri, vt quæ interdùm displicent, emēdentur cum gratia. Effusio patrimonij sui recidatur, habet liberalitatem sine dispendio. Verecundia interdùm remissiua est: Si confirmetur, habet & pudoris gratiam, & propositi constantiam. Commotio si temperetur, indignationis horrorem deponit, assumit laudem vigoris. Quod, si emendare non potest, non exasperet. Anima per memoriam sentit, per obedientiam audit, per intelligentiam videt, per circunspectionem olfacit, & gustat per dilectionem.

Tit. 2. 3.

Psal. 7.

Sensus animæ recensentur.

Laboratus benè cultus ager est charitas, vberes fructus reddit per singulos dies; pomarium pulchrum nimis, sed dulcibus refertum pomis, & salutiferis. Vtilitàs eius vincit mentem nostram, & cogitationes nostras longè transcendit. Si cogitatum superat, quātò magis eloquium? Ipsa mentes amore pingues in laudibus eius minores sunt, quantò plus inanis mens mea, & prorsus arida? Quæ legi, colligo, & refero!

Ber. in sentētijs.

Author.

idque negligentèr, ac frigidè. Compatere mihi, qui legis, nec orare pro me desinas, supplex rogo.]

Ex Chryſ. hom. 49. in Matth.

Auxilio quis eget, patrocinare, adminiſtra, venare, peregrinos his modis induc nudos, neceſſitates diſſolue proximorum, tunc tibi alimoniȩ gratiam referent: quæ tàm tibi, quàm illis prodeſſe poteſt, quam nullus vnquàm accuſabit: hoc modo etiam amicitiæ conglutinantur. Nam & qui gratis nutriũtur, etiam ſi diligi videantur, verentur tamen, quaſi apud te incaſſùm viuentes. Si verò aliquid conferant, & ipſi ad te faciliùs venient, & tu ſuauiùs recipies, atque liberiùs: Ità domus tibi non ſpectaculum, ſed eccleſia fiet. Ità fugam inde diabolus rapiet, & Chriſtus cum Angelorum innumerà multitudine ingredietur. Vbi enim Chriſtus eſt, ibi Angeli ſunt: Ibi cœlum, ibi lux, hac ſolari luce fulgentior. Quod, ſi vberiores fructus ab eis capere volueris, iube cum aliarum rerum curam agis, diuinas ab eis legi ſcripturas: libentiùs in his tibi morem gerent, quibus tàm tu, quàm illi honeſtiores efficimini, quàm in illis gnatonicis, quibus vnà omnes dehoneſtamini, tu quaſi contumeliator, ac temulentus, illi quaſi miſeri, ac ventri ſeruientes. Nã qui ad contumeliam aliquos miſerit, grauius quid facit, quàm ſi occideret: qui verò ad lucrum, & laudem, is magis prodeſt, quàm ſi à morte liberaret.

Pſalm. 36. Conſule Vulgatam.

Ex Ambr. Ibid.

Dauid rex, cœleſtis interpres oraculi, loquitur, dicens: *Deſine ab ira, & relinque indignationem: nè æmuleris, vt nequitèr agas.* Sunt multa vitia, quæ obrepunt inſipienttbus. Ira grauis paſſio eſt: plerunque accendit inuictum: & volentem mitiùs vindicare, in furorem rapit, vt perimat quem putauerit coercendum. Commotus, gladio ſæpè tranſuerberat innocentem. Amicos, & fratres per indigna-

tio

tionem plurimi peremerunt. Ideò ſapiens dicit: *Ira perdit et ſapientes.* Salomonis dictum eſt, quia non ſolùm quoſcumque de medio homines, ſed etiam ipſos perdat ira ſapientes. Et Dauid ſapientē monet; dicens: (Deſine ab ira;) nè cum accenderis eā, illa non deſinat, priuſquam te, eius flamma conſumat. (Relinque, inquit, indignationem.) hoc eſt: Natura te rapit, mouet affectus, culpa te alicuius excitat, vel offenſa, vt indigneris: ſed non vſquequaq; vt modum neſcias. Relinque eam, finem impone, nè te in peccatum trahat. Hoc eſt quod ſupra dixit: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Non enim hortatur vt iraſcaris, ſed ad tempus cedit affectui. Dat tamen medicamentum, nè diutiùs vis vlceris ſerpat. Iraſcimini, quod ait, tuæ eſt paſſionis. Medicus enim non ſtatim adhibet medicamenta languori. Si dolor feruet, fomenta adhibet, vt miteſcat dolor. Si febris exæſtuat, remedij tempus expectat: ipſum potum ſitientibus negare conſueuit. Non dicit: Nolite febrire, cum vapor feruet ægroti: ſed dicit, expecta, deſinat febris, digeratur commotio. Sic & Propheta non potuit dicere homini, cuius caro, vt varijs morborum, ita commotionum paſſionibus excitatur: Non iraſcere, ſed dicit: (Deſine ab ira, & indignationem relinque,) nè pecces. Ira enim grauis eſt magiſtra peccati. Aliùs quoque medicus dicit: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*: nedū diù differs, veniat ille, qui calefactum corporis ſōno excitare conſueuit, & ſtimulet te, inſerat tibi cogitationes, & in ſecreta tui cordis imm rgat, dicens: Vindica iniuriam tuam, virum te eſſe cognoſce. Femineæ infirmitatis eſt, non capere vindictam. Ergo contemnere te debuit ſeruus? Frater decipere? Amicus illudere? Et tu adhuc tuam non vlciſce-

Prouer. 14.
Pſal. 4.
Epheſ. 4.

gnere, verum animus promptus eorum, qui flagellabantur, rerum naturam vicit. Proinde & Paulus dicit: *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Etsi homo non persequatur, diabolus tamen oppugnat. Vnde multà nobis opus est philosophià, multà fortitudine, vt in præcibus vigilemus, nec vnquàm dormitemus, nè res alienas concupiscamus: vt quæ adsunt, in egenos distribuamus, vt omnibus delicijs gemere, plorareque renunciemus, tum ijs, quæ sunt in vestibus, vt auaritiam fugiamus, vt ebrietatẽ, vt maledicentiam vitemus, vt linguæ temperemus, neque vociferemur. Omnis enim amarulentia, commotio, & iracundia, & vociferatio, & maledicentia toleratur à vobis, nè obscęna loquamur, nè dictis vrbanis delectemur. Non est mediocris laboris in his perfectam præstare continentiam. Atque, vt intelligas, quanta res sit philosophari, quamque non habeat relaxationem: audi, quid dicit Paulus: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo:* hoc dicens aperuit, quanta sit violentia, quantusque labor, quem oportet sustinere eos, qui volunt corpus reddere subiectum, ac tractabile. Quin & Christus discipulis ait; *In mũdo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundũ.* Hæc, inquit, afflictio requiem vobis conciliabit, certaminũ caueę sunt, hæc præsens vita. In caueis autẽ, ac certaminibus nemo potest frui requie. Itaque qui coronandus sit, quiq; venit coronari, asperam, ac laboriosã vitã suscipiat: vt postquàm hic breuẽ laborẽ sustinueritis, illic perpetuis honoribus fruamini.

Statuisti, inquit sanctus Rex Dauid, *in loco spatioso pedes meos.* Certè angusta via est, laboranti angusta est, amanti lata est. Eadem, quæ angusta est, lata fit. In spatioso, dicit, posuisti pedes meos, nè

an-

[Margin notes:] 2. Tim. 3. — *Eph.* 4. — 1. Cor. 9. — Ioan. 16. — Afflictiones prò Christo domino lætitiam generant, quietem pariunt, pressuræ pro eo vinũ effundunt gaudij, mærorem abigunt. — *Psal.* 30. — *Ex August. ibidem Concion.* 1. *in fine.*

angustiati pedes mei irent in se, & incurrendo in se deijcerent me. Ergo quod ait, Posuisti in spatioso pedes meos, planè fecisti mihi facilem iustitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis: hoc est, Posuisti in spatioso pedes meos.

Ex Ambros. in Psal. 1. vers. 1. Duæ quidem viæ sunt: vna iustorum, altera peccatorum. Vna æquitatis, altera iniquitatis; de qua dixit Propheta: *Et vide, si via iniquitatis in me est.* (*Psal. 138.*) Non solùm ergo vita nostra via est, sed etiam in ipsa vita nostra, aut virtutis via est, aut iniquitatis. Caue igitur, nè in te gressus suos collocet auaritia, & sis via criminis: nè improbitas, nè libido, & sis via iniquitatis iterantibus detrita flagitijs. (Ideo dicitur: Inclina cor meũ Deus, in testimonia tua, & non in auaritiã. *Psal 118.*) Licet tibi eligere quos sequaris: aut iustos, aut iniustos. Iustorum via angustior est, iniustorum latior, *Matth. 7.* Illa sobrietatis angustior, hæc ebrietatis latior, vt possit capere fluctuantes. Hæc habet seculi huius illecebras: illa habet futurorum præmia. In istis fructus præsentior, in illis spes tardior. Quæ enim suauia sunt, non differunt diuturna expectatione perfunctionem, sed habent præsentem. Quod autẽ serum est, labore quæritur, quod beata cogitatione vix capitur: *quia oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparàuit Deus diligentibus se.* (*1. Corinth. 2.*)

Ex Chrys. hom. 63 ad Popul. Sed nihil difficile, si velimus, [Gratià Dei præueniente, atque comitante.] nihil graue, si attendamus. Nam si patimur, & conregnabimus. (*2. Tim. 13.* *Rom 8.* *Matth. 9,*) Quid est patimur? Si tribulationes ferimus, & persecutiones, si viam ambulemus angustam. (*Psal 118.*) Nam angusta quidem à naturà est laboriosa, voluntate verò nõstrà leuior efficitur, propter speciem futurorum. *Momentaneum enim, & leue tribulationis*, per excellentiam in excellentiam, *æternum põdus gloriæ operatur, non considerantibus nobis quæ videntur, sed quæ non vi-* (*2. Tim. 4.*)

videntur. Transferamus igitur oculos in cœlum, & illud cogitemus semper, & spectemus; si enim in illis semper immoremur, nihil circa quæ sunt hic iucunda, patiemur: non tristia ægrè feremus. Verùm & hæc, & similia deridebimus, & nos aut extollere, aut mancipare nihil poterit, si modò desiderium illuc intendamus, si respiciamus ad illam charitatem.

Cælũ paras ascẽdere, & regnũ cæli inuadere: & interrogas, nè qua tibi difficultas occurrat in itinere, nè quid asperũ tibi in via accidat, aut laboriosum: & non erubescis, non pudore oppressus sub terra temetipsum defodis? Si enim hæc omnia mala tibi occurrerent, si vniuersa tibi pericula imminerent, si conuicia, si ignominię, si calumnię, si gladius, si ignis, si ferrum, si bestię, si præcipitia, si fames, si ægritudo, & cuncta, quæ vel dici, vel excogitari possunt mala, super te irruerent: dignum aliquid pati erat? Nonnè tibi hæc omnia pro tantis, ac talibus causis ridenda prorsùs, & spernenda penitùs viderentur? Anilis animæ est metus hic, & effeminatę. Erit ergo ita abiectus aliquis, & infelix, erit ita degeneris animi, vt cælum cupiens ascendere, de terrenà requie cogitet: quam non solum requirere, sed etiam præparatam recipere, indecorum est. Aut non tibi videtur absurdum, vt hi quidem, qui humano amore flagrant, totam mentem suam, totamque cogitationem in illis habeant, quos amant: etsi absentes corpore sint, cogitatione tamen cum illis sunt: nec aliud aliquid sibi dulce esse in præsenti vita deputant, nisi ipsos videre si liceat: aut, si id non potest, de ipsis absentibus cogitare: nos autem qui amore sancto, incorruptoque flagramus, omissa cura, & sollicitudine eius, quem amamus, requirimus: eaque amorẽ nostrum, non solum nil iuuare, sed & impedire plurimùm possunt. *Ex eodem lib. 1. de Compunct. cordis colũ mihi 17. tom. 5.*

Rex

Rex erat Dauid gloriosus, & victor, & dicebat: *Confiteantur tibi, domine, omnes reges terræ: & cantent in vijs domini, quoniam magna est gloria domini.* In quibus vijs domini cantent? De quibus supradictum est; *In misericordia tua, & veritate tua, quoniam vniuersę vię Domini misericordia, & veritas.* Non ergo sint reges terræ superbi, sed humiles sint. Tunc cantent in vijs domini, si humiles sint, ament, & cantabunt. Nouimus viatores, & cantatores: cantant, & peruenire festinant. Sunt cantica mala tanquam veteris hominis, sed canticum nouũ pertinet ad hominem nouum. Ambulent ergo, & reges terræ in vijs tuis, ambulent, & cantent in vijs tuis. Quid cantent? *Quoniam magna est gloria Domini,* non regum. Vide, quomodo reges voluit cãtare in vijs humilitèr portantes dominum, non se extollentès aduersùs Dominum? Nam si extulerint, quid sequitur? *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit.* Volunt ergo reges respici? Humiles sint.

Psal. 147. Ex Aug. ibidem Psal. 24.

Et quia hùc sermo noster euasit, libet de duplici timore, (quorum alterum sequi, alterum vitare debent præsertim ecclesiarum Præpositi) breuitèr disserere. Docuit quippè dominus, solùm in nobis metũ eorũ, quæ verè timenda sunt, oportere esse, cum dicit: *Nolite timere eos, qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt occidere. Timete autem magis eũ, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam.* Impius ergo timor est: cum quę non timenda sunt, timentur, & quæ timenda sunt, nõ timentur. Et plerunque nos tanquàm pro debità officij religione piè adulari regibus existimamus, quia in corpus nostrũ sit his aliquid potestatis: quibus nihil vltra de nobis licet, quàm latroni, quàm febri, quam incendio, quàm

Ex Hilario in Psal. 52. vers. Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, &c. Matth. 10.

quàm naufragio, quàm ruinæ. His enim casibus corporũ pro summa potestate desęuiunt: & propter breuem dolorem, libertatem Ecclesiæ, spei nostræ fiduciam, confessionem Dei adijcimus: punitiorem, perditoremque in igne iudicij, & corporis, & animæ nostræ Deum non timentes, & æternis diuinæ vltionis pœnis momentanea, atque abolenda supplicia præferentes, dùm placere nos ipsis, & in eorũ gratiâ permanere famulatu impio gloriamur, hoc & ipsum decreto grauissimo sentẽtia diuina codẽnat.

Felices prorsùs domestici Ecclesiæ Sanctæ, qui induti sunt veste duplici, vnâ operis, alterâ mentis; fidei habentes, factorumque velamina, Sacramentis videlicèt sui Redemptoris imbuti, & informati exemplis. Sic enim fit illud Apostoli: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. *Ex Hieronymo in Prouer. c. 31. ver. Omnes enim domestici eius, &c. tom. 8.* *Galat. 3.*

Viæ Sanctorum, generalia Domini mandata, semitę verò iustitiæ, arctiora vitæ cælestis instituta, quæ perfectis solùm accessibilia sunt, iuxtà illud: *Dominus seruans semitas iustitiæ, & vias Sanctorum custodiens*: Vtrasque enim sapientia seruat, vt in quocunque virtutum gradu rectos iuuet, ac simplices. Prudentèr Propheta rogat, dicens; *Perfice* (Domine) *gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea*: Sustenta, tene, vt non excidant à tuis præceptis; vt non sequantur quæ deteriora sunt. Alibi: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia. Idest*, consilia, & actiones. Nè me labi sinas. Rursùs. Nõ me derelinquas vsquequaque. Vndique protege me; nullus relinquatur hostis tyrranidi locus: Firma gressus meos in eloquio tuo: in tuis dictis vestigia mea stabilito, vt ab omni peccato, & scelere purus sim, & nè vlla iniquitas me in seruitutem redigat. [Dura seruitus, longè *Prouerb. 2.* *Ex eod. ibid. ens* *Psal. 16.* *Ibid. 118.* *Ibidem.*

asperior ea, de qua Apostolus ait: Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit, &c. *Corinth.* 11.]

Ex Siricio Papa epist. ad Ambr. inter eius Oper. tom. 5.

Iterùm: Deduc me, inquit, in semitam mandatorũ tuorum. Vt non modò misericordia tua, & gratia tua, præueniat, & sequatur me, verùm etiã comitetur: facilè enim ad deteriorem partem mens humana traducitur, malens per spatiosa ambulare, quàm per arctæ viæ iter cum labore transire. Viæ Domini, velut quidam tramites bonę vitæ sunt, quę diriguntur à Christo, qui ait, *Ego sum via, & veritas, & vita*. Via ergo superna, est Dei virtus: Christus enim nobis via est. Et bona via, quæ credentibus cæli regna patefecit. Viæ autem Domini, viæ rectæ sunt, sicuti scriptum est: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi*. Via castitas: via, fides: via est abstinentia. Est namque via virtutis, est, & via iniquitatis. Scriptum est enim: *Et vide, si est via iniquitatis in me*. Principium itaq; nostræ virtutis est Christus. Principium integritatis, qui docuit virgines, non viriles expectare concubitus, sed integritatem mentis, & corporis sancto magis dicare Spiritui, quàm marito. Principium parsimoniæ Christus, qui pauper factus est, cum esset diues. Principium patientiæ Christus, *qui cum malediceretur non remaledixit, cum percuteretur, non repercussit*. Principium humilitatis Christus, qui *formã serui accepit*: cum Patrem Deum maiestate virtutis æquaret. Ex illo enim accepit virtus vnaquęque principium.

Ex Amb. lib. 3. de fide c. 4 t. 4.
Ioann. 14.
Psalm. 24.
Psalm. 138.
1. Corinth. 11.
1. Corinth. 8.
1. Petr. 2.
Philip. 2.

Psalm. 138.
Ex August. ibidem.

Pulchrè quidem Dauid Rex Regi Regum Deo dicit: Proba me Deus, et scito cor meum: Interroga, vel, scrutare me, & cognosce semitas meas. Vt quid hoc? Attende quid sequitur. Et vide, inquit, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna. Scrutare, inquit, semitas meas, idest, consilia, & cogitationes meas,

meas,& vide,si via iniquitatis sit in me,siuè faciendo, siuè consentiendo: & deduc me in vià ęternà. Quid aliud dicit, quàm deduc me in Christo? Quid est enim via æterna,nisi, quæ est vita æterna? Æternus enim est,qui dixit, *Ego sum via, veritas, & vita*. Si „ ergo aliquid inueneris in via mea, quod displiceat „ oculis tuis, quoniam via mea mortalis est,tu deduc me in via æterna,vbi nulla est iniquitas:quia & *si quis peccauerit, aduocatum, habemus apud Patrem,Iesum Christum iustum: Ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Ipse est vita æterna sine peccato: Ipse est vita æterna sine supplicio. *Ioann. 14.* *1 Io 1.* *Propitiatio vulgata.*

Quę autem sunt istę semitę,nisi vię illæ,de quibus alio loco dicitur; *Nouit Dominus viam iustorum, & via impiorum peribit?* Non dixit, viam impiorum non nouit, nouit viam iustorum, & viam impiorum peribit; quod enim non nouit, peribit, multis locis Scripturæ inuenimus. Quia Dei agnoscere, seruare est, Dei agnoscere, custodire est, non agnoscere, damnare est. Vnde enim,qui nouit omnia,dicturus est in in fine: *Non noui vos?* Non indè gaudeant, & dicant: non puniemur, quia non nouit nos Iudex: Iam puniti sunt, si eos non nouit Iudex. Quæ ergo dictæ sunt viæ, quas nouit Dominus, ipsæ hic dictæ sunt semitę, quo ait, Tu cognouisti semitas meas. Omnis enim semita via est,non omnis via semita est: Quare ergo viæ illæ semitæ sunt dictæ, nisi, quia angustæ sunt? Via lata impiorum, via angusta iustorum. *Ex eodem ibid.* *Psal 1.* *Matth. 7.*

Doctor Gentium,mundi totius prædicator egregius, loquitur: Sitis imitatores Dei,tanquàm filij dilecti,& ambulate in dilectione, quemadmodùm & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ... *Ephes. 4.* *Ex Chrys. ibidē hom. 18.* Hæc vna nobis via dilectionis, & amoris Dei, & Proximi.

Nè verò oblationem istam necessitate coactam fuisse putes, audi, quid dicat: Nempè, quod semetipsum tradiderit. Quemadmodùm te dilexit Dominus, ità tu dilige amicum: imò, nequè ità poteris: verumtamèn dilige, vt poteris. Papè, quid poterit hac voce beatius esse? Nihil par dixeris, etiamsi regnum, aut quidquid tandèm protuleris, Deum imitaberis, Deo exæquaberis, si quandò aduersario ignoueris. Oportet verò delicta magis, quàm pecunias remittere. Nam, si quidem pecunias remiseris, Deum non dùm hoc pacto imitaberis. Delicta verò si remiseris, Deum imitaberis.

Ex Bern epist. 2 ad Fulconem. O bona mater charitas, quæ siuè foueat infirmos, siuè exerceat prouectos, siuè arguat inquietos, diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. Cum te arguit, mitis est, cum blanditur, simplex est. Piè solet sæuire, sine dolo mulcere, patientèr nouit irasci, humilitèr indignari. Ipsa est, quæ hominum mater & Angelorum, non solùm, quæ in terris, sed etiam quæ in cęlo sunt, pacificauit. Ipsa est, quæ Deum homini placans, hominem Deo reconciliauit.

Psalm. 90. Via verò huius seculi plena laqueis: *Ipse*, inquit, *liberauit me de laqueo venantium*: & alibi: *Oculi mei* *Ibidem 24.* *semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos*. Rursùs: *Agnosce*, inquit, *quod in medio* *Ecclesiastici 9.* *loqueorum pertransis*. Iterum iustus dicit: *In via hac* *Psalm. 112.* *qua ambulabam, absconderunt laqueos mihi*: In via, inquit, hac absconderunt: Ideò tu illam viam ambula, quæ dicit; *Ego sum via, & veritas, & vita*, vt dicas: *Animam meam conuertit, deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum*. Moriatur igitur nobis hoc seculum, moriatur nobis carnis istius sapientia, quæ inimica est Deo. Subijciamus animam nostram soli Christo, vt dicat vnusquisque: *Nonnè*

Ex Ambr lib. de bono mortis c. 6. *Ioann. 14.* *Psalm. 22.* *Roman. 8.* *Psalm. 61.*

Deo

Deo subiecta est anima mea? Non seculo subdita, non mundo, inquit, subdita.

[Via peccatorum pluribus placet, quia lata est, & multi per illam ambulant, latitudinem eius vident, finem eius non vident. Ecce vbi finitur, præcipitium est; vbi finitur, profunditas quædã barathri est. Via lata, mortifera est; latitudo eius delectat ad tẽpus, finis eius angustus in æternũ. Si verò arctã causaris, viam Dei cogita quò hęc via perducit: nam *si omnis consumationis*, confidentiæ, & oblectationis seculi huius videris finem, continuò dices, *latum mandatum nimis*. [Si sustinebimus, & conregnabimus: hoc est, si tribulationes ferimus, si persecutiones, si arctà vià ambulabimus: arcta enim naturà, & laboriosa est, nostra autem electione leuis, spe futurorum. *Ex Chrysostom. homil.86. in Ioannem*.] *Ex Aug. in Psal. 145. & 39.* *Ex Guerr. Abb. Psalm. 118.*

Isaias dicit: In multitudine viæ tuæ laborasti, & non dixisti, quiescam, &c. Qui enim ambulat in via vna, & regia, non laborat, de qua per Moysen præcepit Deus: *Via regia ambulabis, & non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*. Vna via est veritatis, quæ dicit in Euangelio: *Ego sum via, veritas, & vita:* Et multæ mendaciorum viæ, per quas nùnc ambulasse arguitur Hierusalem: quarum viarum Deus sciens differentiam, supra loquitur ad errantes: *Non sicut via mea, via vestra, quæ dicunt Domino confitentes: Declinare fecisti vias nostras à vijs tuis*. Cognita igitur vna via regia, videamus quæ dexteræ viæ sint, & sinistræ, per quas prohibemur incedere. Via regia temperata est, nèc plus in se habens, nèc minùs. Verbi gratia: Via recta, & regia, prudentia est. Declinamus ad dexteram, si plus sapimus, quàm oportet sapere, & pro prudentia caliditatem diligimus. *Quia serpens prudentior erat omnibus bestijs in Paradiso*. *Isaia 57.* *Ex Hier. ibidẽ.* *Deuteron. 5.* *Ioann. 14.* *Isaia 55.* *Genes. 3.*

Luc. 16. *diso*: Et filij tenebrarum *prudentiores sunt filijs lucis.* Ad sinistramque diuertimus, quando stultiscimus, & minùs sapimus, quàm necesse est. De quibus dictum
Psalm. 9. est, *Dixit stultus in corde suo: Non est Deus*. Pietas quoque, & vera religio, via regis est. Declinat ad dexteram, qui superstitiosus est, & meretur audire:
Eccles. 7. *Nè sis multùm iustus.* Ad sinistram, qui negligit cultum Dei, & inter hædos, hircosque numeratur: liberalitas quoque, & dispensatio, virtus maxima est, à qua declinat ad dexteram, qui parcus est, & non solùm alijs, sed nè sibi quidē tribuit, quod necesse est. Ad sinistram, qui comedit substantiam suam cum meretricibus & dicit cum Israel: *Manducemus, & bi-*
Isaia 22. *bamus: cras enim moriemur*. Fortitudo etiam, atque constantia via regia est, à qua declinat ad dexteram, qui temerarius, & pertinax est, ad sinistram, qui formidolosus, & pauidus. Vnde vir sanctus, per viam
Psalm. 138. rectam gradi cupiens, deprecatur: *Deduc me, Domine, in viam rectam*. Et in alio loco: *Notam fac mihi,*
Ibidem 142. *Domine, viam, in qua ambulem, quoniam ad te leuaui oculos meos*. De istiusmodi viâ, & alibi scriptura
Hierem. 6. commemorat: Quærite viam bonam, & ambulate in ea, & inuenietis purificationem animarum vestrarū. Hierusalem ergo propterea humiliata est vsque ad Inferos, quia in multis vijs laborauit, neqne dixit: Emendabo errorem pœnitentiâ, sed è contrario, confortabor in incepto, nèc curabo sententiam com-
Ibidem 2. monētis, *Conuerte pedem tuum à via aspera & guttur tuum à siti*.

Bona mater animarum charitas; meliora sunt vbera eius vino, fragrantia vnguentis optimis, & dentes illius lacte candidiores. Inter hæc vbera commemoratur amans Deum. Quasi modò genitus infans, sine dolo dilectionis lacte nutritur. Nihil charitate

dulcius

dulcius, nihil pace gratius. Ideò fortasse dicitur: *Sub vmbra illius, quē desideram sedi: & fructus illius dulcis gutturi meo. Et: Bibi vinum meum cum lacte meo*: comedite amici, & inebriamini charissimi. Comminutum dentibus doctrinæ cælestis panem recipit, quo confirmetur cor eius. Charitas, vt ait Apostolus, non æmulatur, excludit inuidiam. Hæc autem pugnat aduersus etiàm domestica decora, mauultq; liuidus innumera perpeti mala, quàm videre proximum in pretio habitum, etiamsi gloriç pars ad ipsum sit permanatura, quò sanè, quid esse possit miserius? Cantic. 2. Ibidem 5. Ex Chrys. conc. 4 de Laz. tom. 2. Inuidiæ vis.

Attende quæsò, qui legis quāta sit virtus charitatis. Certus erat, Deo pollicente, Moyses, siquidem perijsset populus, cui præerat, se non solùm paritèr periturum non esse, & missum iri in gentem magnam? Et tamen quo affectu, quo studio, quibus pietatis visceribus irritantibus subuenit, obuiat irascenti? Deniq; & se obijciens pro delinquentibus, ait: *Si dimittis, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ex Bernar. epist. 78. Exod. 32.

Fidelis aduocatus, qui, quoniam non quærit quæ sua sunt, facilè obtinet omne, quod querit; planè benignus, qui tanquā caput vnitum membris, genti suæ firma charitate coherens, aut illam saluabit secum, aut non potest, nisi idem cum illis subire periculum. Hieremias quoque, vinctus & ipse inseparabilitèr suis, sed affectu compassionis, non contentionis assensu, præ communi exilio, & seruitute contempsit natale solum, ac propriam voluntatem. Quippè cui cæteris migrantibus liberè manere, in patria liberum fuit, sed maluit captiuus abduci cum populo, cui se fore, & ia ipsa captiuitate nouerat necessarium. Paulus eodem procul dubio spiritu optans anathema etiam ab ipso Christo pro fratribus, proprio experitur affe- Ex eod. ibidem. Hierem. 43. Rom. 9.

ctu,

Cantic. 8. ctu, quàm vera sit illa sententia: *Fortis est, vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Videtis, quorum hos imitatorem probaueritis? Sed addo adhùc, 2 Reg 24. (quem penè prætermiseram) & sanctum Dauid, qui cernens, delensque populi stragem, Angelo percutienti festinus occurrit, & in se potiùs, domumque patris sui diuinam transferri flagitat vltionem.

Omnium enim mater bonorum est, hoc certum, àn Discipulus Christi sis experimentum, & ea, quæ in nobis sunt bona, cuncta complectens. Hæc est precipua ex cunctis omninò virtutibus. Igitur consequentèr radices inimicitiarum, ipsosque fontes, per quos charitas necari solet, multa cum vehementia Christus intercipit. Nè igitur hæc dicta cuiusdam exaggerationis existimes, sed intelligens ea, quæ ex his sæpè gignuntur, legum statutarum mansuetudinē demirare. Nihil ità studet Deus, vt nos mutuis charitatis nexibus colligare. Propterea & per semetipsum, & per Discipulos suos, tàm in nouo, quàm in veteri Testamento plurimo hoc mandatum sermone commendat. Et vehemens animaduersor, atque punitor est eorum, qui preceptum tale contemnunt. Nihil quippè est, quod ità omnem malitiam, & pariat, & firmet, vt interremptio charitatis. Nàm & Dominus idcircò dicebat: *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Sic etiam Cain est fratricida factus: sic Esau, & patri obstat, & fratri minatur interitum. Sic etiam contra Ioseph sanctū fremuit malè iniuriata germanitas. Sic mille alia pullulauere mala, hac virtute subtracta. Propterea & Christus omnia incommodantia charitati, diligentèr interimit. Neque enim hæc tantummodò quæ posuimus, dixisse contentus, alia quoque plura subiungit, per quæ quantùm illorū cura habeat, ostendit.

Ex Chrys. hom. 16 in Matt. 22. *Leuit. 19.* *Deuteron. 6.* Deo maxima, 'st cura charitatis. *Matth. 24.* *Genes. 4.* *Genes 27. & seq.* *Genes. 37. & seq*

Com-

Comminatus enim per concilia, atquè iudicium, comminatus etiam per gehennam, intulit rursùs, & cætera, quę prioribus constarent, dicens: Cum offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersùs te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tùnc veniens offers munus tuum. O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem suum despicit, dùm in proximo charitatẽ requirit: ostendens, quoniam nèc priora, quę etiam comminatus est, odio aliquo hominũ, vel de cupiditate inferendi supplicij comminatur, sed amore præcipuo. Quid enim his verbis mitius esse possit, quid lenius? Interrumpatur, inquit, ministerium meum, vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Propterea quippè non dixit, postquàm obtuleris: vt priusquã offeras: sed munere ipso iam posito, & inchoante sacrificio, reconciliandum mittit ad fratrem, & neque proposita etiam munera auferri iubet, neque priusquam offerantur, id memorat: sed proposito palàm sacrificio, illùc currere imperat offerentem. Quàm igitur ob causam istud fieri iubet? Duo sunt, vt certè ego arbitror, quæ per ista, & designat, & conficit. Vnum quidem, quod vtique iam dixi, ostendere scilicèt volens, quod honoret maximè charitatem, & hanc acceptissimum esse sacrificium ducat: absque ista verò, nèc illud profectò suscipiat. Aliud verò quo irrefutabilem quãdam necessitatem recõciliationis imponat. Qui enim iussit, non priùs munus offerri, quàm reconcilietur offenso; etiamsi non ob proximi charitatem, saltèm nè sacrificium maneat imperfectũ, currere ad contristatum iubet, inimicitiasque dissoluere. Propterea & disertè cuncta memorauit, ter-

Cantic. 8. ctu; quàm vera sit illa sententia: *Fortis est, vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Videtis, quorum hos imitatorem probaueritis? Sed addo adhùc, 2 Reg 24. (quem penè prætermiseram) & sanctum Dauid, qui cernens, delensque populi stragem, Angelo percutienti festinus occurrit, & in se potiùs, domumque patris sui diuinam transferri flagitat vltionem.

Omnium enim mater bonorum est, hoc certum, àn Discipulus Christi sis experimentum, & ea, quæ in nobis sunt bona, cuncta complectens. Hæc est precipua ex cunctis omninò virtutibus. Igitur consequentèr radices inimicitiarum, ipsosque fontes, per quos charitas necari solet, multa cum vehementia Christus intercipit. Nè igitur hæc dicta cuiusdam exaggerationis existimes, sed intelligens ea, quæ ex his sæpè gignuntur, legum statutarum mansuetudinē demirare. Nihil ità studet Deus, vt nos mutuis charitatis nexibus colligare. Propterea & per semetipsum, & per Discipulos suos, tàm in nouo, quàm in veteri Testamento plurimo hoc mandatum sermone commendat. Et vehemens animaduersor, atque punitor est eorum, qui preceptum tale contemnunt. Nihil quippè est, quod ità omnem malitiam, & pariat, & firmet, vt interremptio charitatis. Nàm & Dominus idcircò dicebat: *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Sic etiam Cain est fratricida factus: sic Esau, & patri obstat, & fratri minatur interitum. Sic etiam contra Ioseph sanctū fremuit malè iniuriata germanitas. Sic mille alia pullulauere mala, hac virtute subtracta. Propterea & Christus omnia incommodantia charitati, diligentèr interimit. Neque enim hæc tantummodò quæ posuimus, dixisse contentus, alia quoque plura subiungit, per quæ quantùm illorū cura habeat, ostendit.

Ex Chrys. hom. 16 in Matt. 22.
Leuit. 19.
Deuteron. 6.
Deo maxima est cura charitatis
Matth. 24.
Genes. 4.
Genes 27. & seq.
Genes. 37. & seq

Com-

Comminatus enim per concilia, atquè iudicium, comminatus etiam per gehennam, intulit rursùs, & cætera,quę prioribus constarent,dicens: Cum offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersùs te,relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tùnc veniens offers munus tuum. O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem suum despicit, dùm in proximo charitatē requirit: ostendens,quoniam nèc priora,quę etiam comminatus est,odio aliquo hominū, vel de cupiditate inferendi supplicij comminatur, sed amore præcipuo. Quid enim his verbis mitius esse possit,quid lenius? Interrumpatur, inquit,ministerium meum,vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Propterea quippè non dixit,postquàm obtuleris: vt priusquā offeras: sed munere ipso iam posito,& inchoante sacrificio,reconciliandum mittit ad fratrem,& neque proposita etiam munera auferri iubet, neque priusquam offerantur, id memorat: sed proposito palàm sacrificio, illùc currere imperat offerentem. Quàm igitur ob causam istud fieri iubet? Duo sunt,vt certè ego arbitror, quæ per ista, & designat, & conficit. Vnum quidem, quod vtique iam dixi, ostendere scilicèt volens, quod honoret maximè charitatem,& hanc acceptissimum esse sacrificium ducat: absque ista verò, nèc illud profectò suscipiat. Aliud verò quo irrefutabilem quādam necessitatem recōciliationis imponat. Qui enim iussit,non priùs munus offerri, quàm reconcilietur offenso; etiamsi non ob proximi charitatem,saltèm nè sacrificium maneat imperfectū, currere ad contristatum iubet, inimicitiasque dissoluere. Propterea & disertè cuncta memorauit, ter-

rens illum videlicèt, ac suscitans. Cum enim dicitur, relinque munus tuum; non ibi resistit: sed intulit, ante altare; rursùs horrorem inijciens: & vade: non tantũ dicit, Vade, sed adiunxit, primũ, & tunc veniens offeres munus tuũ: per õnia ista significans, quia per aliquas inter se inimicitias diffidẽtes, nequaquã mẽsa illa suscipiat. audiant hi, qui sacris certè misterijs initiati, cum inimicitijs ad communionem altari accedunt. Audiant etiam illi, qui nondùm initiati sunt: Nam ad ipsos quoque habet aliquid sermo iste commune. Offerunt namque & ipsi munus, & hostiam, orationem dico, & eleemosinam. Quia enim & hæc sacrificij instar obtineant, audi prophetam loquentem, *Sacrificium laudis honorificabit me*. Et rursùm: *Immola Deo sacrificium laudis*; *Et: Eleuatio manum mearum sacrificium vespertinum*. Itaque etiam sic orationem cum tali offeras voluntate, melius est orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc orationem consequentèr offerre. Propter hoc enim facta sunt omnia. Idcircò & Deus homo factus est, atque omnia illa gessit, vt nos in vnũ sine dubio congregaret. Et ibi quidem eum, qui læsit, mittit ad læsum, in oratione verò læsum ad eum, qui læsit, adducit: ac sibi vtrumque conciliat. Nam ibi quidem dixit; *Dimitte hominibus debita eorum:* hic verò iussit: *Si frater tuus habet aliquid aduersùs te, vade ad eum priùs*. Imò hic quoque mihi videtur læsum remittere: & idcircò non dixit, reconcilia tibi fratrem tuum: sed reconciliare fratri tuo.

Mensa Dominica vnanimes requirit, discordes reijcit.

Psal. 49.

Ibidem.

Psalm. 140.

Ioann. 1.

Matth. 6.

Luca 6.

A magnitudine præmij conijcere facile est, quàm grande bonum, sit amor Dei nostri. Vtinam ipse dignetur abundantèr infundere sui amoris affectum cordibus nostris, vt fides per dilectionem operetur, & semper plus in amore proficiamus. Amor vires animæ mini-

Ioann. 14.

,*ministrat. Qui diligit me,dicit Dominus,diligetur à ,patre meo,& ego diligã eũ, & manifestabo illi meipsũ.* Quid est enim diligam, tanquam tunc dilecturus sit, & nunc non diligat? Absit. Quomodò enim nos pater sine filio, aut filius sine patre diligit? Quomodò inseparabilitèr operantur,si separabilitèr diligũt? Sed ad hoc diligam eum,ad hoc, quod sequitur; *Et manifestabo ei meipsum*. Diligam, & manifestabo, idest, ad hoc diligam, vt manifestem. Nunc enim ad hoc dilexit,vt credamus,& mandatum eius teneamus. Tunc adhoc diliget, vt videamus, & ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Quia & nos nunc diligimus credendò, quod videbimus, tunc autem diligemus videndo, quod credimus.

Ex Aug sentent. 363.tom.3. Ioann.14.

Magnum donum Dei est, vt eum diligamus, maius donum, vt sic amemus,quatenus libentèr pro illo patiamur. Apostolus scribens ad Philippenses, ait: Vobis donatum est pro Christo,non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Et ad Timotheum: Bonum certamen certaui, cursum consummaui,fidem seruaui.) Certamen, iuquit, *bonum, & tu ergo ipsum apprehende*. Ità nè vbi catena, vbi mors denique, ibi certamen bonum est? Ità sanè,pro Christo enim fiunt omnia, coronas habent eximias. [*Certamen bonum*] Nihil hoc certamine melius, nihil illustrius, nullo corona hæc fine concluditur,non ea ex oleastri floribus texitur, non habet editorem munerum hominem, neque homines spectatores. Ex Angelis conflatum est theatrum. In certaminibus sæculi laborant dies plurimos, & in ærumnis degunt, vnius horæ momento accepta corona, protinùs voluptas omnium emarcuit: hic autem non sic, sed semper charitas, semper gloria, semper honor augetur. [Ieiunemus itaquè à mundi amicitià, quæ vtique

Philipp.1.

2.Timoth.4.

Ex Chrysostomo Ibidem hom.9.

 falla-

fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos circũspergere, atque iactare non cessat: *Ex Aug. epist. 119. col. mihi 16.*] Quò plus amamus, eò magis accendimur ad amorem. Amor ipse stimulus maioris amoris, frigidus omninò facilè euadet. Amor nutritur amore: charitas charitate roboratur, dilectio existit dilectionis augmentum. Vir fortis in amore Dei vincit cupiditates, quibus iste diligitur mundus; vt sit in corde suo charitas illius. Fides mundat corda. Charitas cooperit multitudinẽ peccatorum: sequamur quæsò dilectionem, quæ totius doctrinæ nostræ caput est.)

Act. 15. 1. Petr. 4. Ex Nazianz. ep. 20.

Dauid propheta dicit in Psalmo: Qui protegit in aquis superiora eius. Cuius superiora? Cæli. Quid est cælum? Figuratè dumtaxat dicimus scripturam diuinam. Quæ superiora scripturæ diuinæ? Preceptum, quo nihil est eminentius, charitatis. Quare autem aquis comparata est charitas? *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vnde aqua ipse Spiritus? Quia stabat Iesus & clamabat; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Vnde probamus, quia de Spiritu dictum est? Dicat ipse Euangelista, qui sequitur & ait; Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Qui ambulat super pennas ventorum; Id est. super virtutes animorum. Quæ est virtus animæ? Ipsa charitas. Quomodo autem ille super illam ambulat? Quia maior est charitas Dei in nos, quàm nostra in Deum.

Psal. 113. Ex Aug. ibidem Concion. 2. 2. Cor. 13.

Amãs reuerà Deum, amat in prosperis, amat in aduersis, in flagellis, vt dicat: In flagella paratus sum? in delicijs dicens: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs: expectans torrẽ-

Psal 37. Ibid. 118. Ibid. 35. Ibid. 22. 1. Cor. 13.

tem

tem illum deliciarum, quò potantur amici eius. Crebrò ait, *non timebo mala, quoniam tu mecum es*: Charitas nanque omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Nec tamen nos pudet, cùm plerique adeò circa opes insaniant, nos in Deum minimam quidem partem huiusce dilectionis ostendere, Deumque apud nos viliorem esse pecunijs, Auri namq; gratia, & vigilias, & peregrinationes, & altera pericula, & odia, atque insidias, & omnia denique tolerant homines: nos pro Deo nè verbū quidem; vel tenue perferre volumus, odiaque subire. Cæterum, si cui oppresso opem ferre opus sit, potentium inimicitias vitamus, atque pericula, prodimusque miserum, cumque vim opitulandi à Deo acceperimus, ipsam prorsùs amittimus, dum odia, & inimicitias perferre nolumus. [Illud sanè diligētèr intuendum est, vt deposita viduarum intemerata maneant, sine vllà seruentur offensione. *Ambros. lib. 2. de offic. cap. 29* Hæc verò Sāctus Pōtifex Chrysostomus docuit; & fecit, cùm prò Callitropæ, & alterius viduæ defensione, Eudoxiam Imperatricem reprehendit, nec indignationem eius formidauit interritus.] At id continuo obijciunt plurimi, frustra odium quærere consilij non fuerit. Frustrà nè id quæsò facis? Et quid hoc præstantius odio? Quippè amicitiam ex Deo fæderatā longè antecellit ipsius gratia susceptum odium. Nam, si propter Deum diligamur, honoris impensi debitores illi sumus: sin verò eius causa odio habemur, debitor ipse fit nobis; Quantumlibet nempè aurum diligant auari, [Et ipsi diebus, ac noctibus pecuniæ quærant compendia: *Ex Ambr.*] nulllū eius dilectionis recipiēt modum: nos si quid, vel parū egerimus: omnia perfecisse ar-

Ex Chrys. hom. 7 in 2. ad Tim. in Morali.

bi-

bitramur. Non ita nos Deum, vt illi aurum diligimus, ne minimà quidem ex parte; multùm illi reprehensioni patent, quod circa aurum, ita vehementer insaniunt: nos culpa vacabimus, qui in Deum non eundem feruorem charitatis ostendimus? Non quantum illi terræ (quippè aurum terra effossa est) tantum nos omnium domino honoris impendimus. Erubescamus sanè, dum illorum intuemur insaniã. Quid enim est, si nos auri non rapit amor, neque tamen omni studio precemur, atque ambiamus Deũ? Hi etenim homines vxorem, ac liberos, & omne patrimonium, postremò salutem ipsam contemnunt, idque cum sciant, an incrementa percepturæ sint illorum opes. Sæpe namque intermedias spes animã quoque posuerunt, frustraque laborasse deprehensi sunt. Nos, cum nouerimus, eo, quem amamus, potituros; (Si quidem illum, vt oportet, dilexerimus:) nè sic quidem ad amorem exardescimus, atq; ideò vtraque in nobis charitas planè refrixit, proximi scilicèt, ac Dei: dum enim à proximi dilectione frigescimus, ad hoc sensim pertingimus, vt diuinæ etiam dilectionis in nobis feruor extinguatur. Neq; enim fieri potest, vt qui amare nescit, quicquam illustre concipiat animo, virilique mente sit prçditus: quippè bonorum omnium amicitia aptissimum instrumẽtum est: *In hoc, inquit, pendet lex, & propheta*. Sicut enim ignis, vbi syluam occupauerit, omnia purgare consueuit; ita & charitatis feruor, quocumque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit, quæ diuinam segetem demoliuntur, emundatque humum suscipiendis, atque fouendis altè seminibus. [Charitas emundat cor, vt tanquàm terra bona, fructum afferat in patientia, *Luca* 8.] Apostolus dicit: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mẽbra,*

Coimus in cętũ, & cõgregationem: vt ad Deũ, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. *Tertul. in Apol.*

Et quoniã abũdauit iniquitas, refrigescet charitas multorum *Matth.* 24.

Matth. 22.

Phras. Psal. 82. *ibi:* Sicut ignis, qui comburit syluam, &c,

1 *Cor.* 12

siuè

siuè gloriatur vnũ membrũ, congaudent omnia mẽbra. Vbi quidam de Sapientibus: Non poteſt corpus de vnius membri vexatione lętum agere, cõdoleat vniuerſum, & ad remedium collaboret, neceſſe eſt; & in Pſalmis: *Oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt.* Ipſa oſſa mea, & ipſa fortitudo mea non ſine tribulatione, non ſine vſtione. Oſſa corporis Chriſti, fortitudo corporis Chriſti, vbi maior, quàm in ſanctis Apoſtolis? Et tamen vide oſſa frigi? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Fortes ſunt fideles boni, intellectores, & prędicatores verbi, viuentes, vt loquuntur, loquentes, vt audiunt. Fortes planè ſunt, ſed omnes qui ſcandala patiuntur, frixorium ipſorũ ſunt: eſt enim ibi charitas, & magis in oſſibus. Interiora ſunt oſſa omnibus carnibus, & portant omnes carnes. Verum, ſi quiſquam patiatur aliquid ſcandalum, & in anima periclitetur, tantum os frigitur, quantum amat. Deſit amor, nemo frigitur: adſit charitas, & etſi membrum compatitur, patiente vno membro, quomodo friguntur, qui portant vniuerſa membra? Oſſa mea ſicut in frixorio confrixa sũt. (*Sed redeamus ad Chryſoſtomi ſancti doctrinam, quæ legentis animum inflammat.*)

Tertullian.
Pſal. 101. Sicut cremium aruerunt. Vulgata.
Ex Auguſt. ibid.
1. Cor. 11.
2. Cor. 13.

Vbi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala: non eſt ibi auaritia, malorum radix, nulla ibi elatio eſt. Quid enim aduerſus amicum ſe quiſpiam extollat? Nihil itaque ſic humilem facit vt charitas, per quam ſeruorum miniſteria amicis impendere non erubeſcimus, imò & gratias illis pro huiuſmodi ſeruitute referimus: per hanc pecunias, largè profundimus, corporibuſque ipſis poſtremò non parcimus, per quam enim ſæpe pro amico periculis ſe quiſque expoſuit. Nulla denique inuidia, nullum crimen locum habet, vbi fuerit vera, & germana dilectio: non

Sequitur idem Chriſoſt. ibid. hom. 7. vt ſupra

mo-

modò enim amicis non detrahimus, verum et si qui detrahere velint, eis silentium imponimus. Omnia in charitate sunt leuia, suauia, mitia; litis, aut contentionis nullum ibi vestigium cernitur, pacisque plena sunt omnia: *Plenitudo enim legis charitas*. Cuncta nempè scelera, quæ pacem perturbent, vt sunt auaritia, rapina, inuidia, accusatio, arrogantia, periurium, mendacium, vbi charitas fuerit, soluuntur: periurat enim quisque vt rapiat. Quis autem eum, quē diligit, diripere queat? Cui contrà, sua quoque largitur libens, gratiasque illis magis, quàm si ab eo accipiat, refert? Nostis ista profectò quicumque amicos habetis, non solo nomine, neque simplici appellatione; sed, si quis ità dilexerit, sicut diligere oportet. Si quis amoris vinculo connexus alicui est, hoc nouit: verè experti non sunt, ab his qui experti discant.

Rom. 13.

Psal. 118. Ex Greg. hom. 16 in Ezechiel. c. 1 mihi antepen. Psal. 30. Matth. 7. Psal. 16. Matth. 11.

De charitate scriptum est: Latum mandatum tuū nimis. De hac iterùm psalmista ait; Statuisti in loco spatioso pedes meos. Sed ecce, dum loquor, animo occurrit, quomodo lata est charitas. Si per charitatem pertingitur ad Deum, & per semetipsam veritas dicit: *Intrate per angustam portam:* & rursùm psalmistam audio dicentem: *Propter verba labiorū tuorum, ego custodiui vias duras.* [Ego custodiui vias laboriosas, mortalitatis humanæ, atque passionis. Ad perficiendos gressus meos in semitis tuis. Idest: vt perficeretur charitas ecclesię in itineribus angustis, quibus venitur ad requiem tuam: *Ex Augustino in Psal. 16.* De his porrò diebus Dauid dicit: In diebus meis inuocabo. Vbi idem Sanctus: Magis, inquit, possum dicere, dies miseriæ meæ, dies mortalitatis meæ, dies secundùm Adam, plenos laboris, dies secundùm vetustatem putredinis, *Psal.* 114.]
atq;

atque in Euangelio Dominus dicit: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*, quomodo ergo, aut lata charitas, si angusta porta? aut quomodo iugum suaue est, & onus leue, si in pręceptis Dei viæ durę sunt, quæ custodiuntur? Sed hanc nobis quæstionem citiùs ipsa veritas soluit, quia via Dei, & inchoantibus angusta est, & perfectè iam viuentibus lata. Et dura sunt, quæ cōtra vsum spiritalitèr animo proponimus, & tamen onus Dei leue est, postquàm hoc ferre cæperimus: itaut pro amore eius etiam persecutio placeat, & omnis pro eo affectio in mentis dulcedine veniat; sicut sancti quoque Apostoli gaudebant, cùm pro Domino flagella tolerabāt. ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit, ipsæ viæ duræ spiritalitèr currentibus molles, & planæ fiunt, dum scit animus, se pro tēporalibus doloribus gaudia æterna recipere: & hoc incipit, quod affligitur amare. [Plorabitis; & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos antem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium, *Ioan.* 16.] *Et pluribus interpositis subtextuit*, (eiusdem prophetæ sermonem subtiliter ac fructuosè expendens.) Signetur per portam fides, per atrium charitas, per locum verò, qui ad faciem vestibuli portæ interioris propinquat, figuretur spes: sine quibus tribus virtutibus quisquis iam vti ratione potest, ingredi ad cæleste ædificium non potest. Habeatur ergo fides in porta, quia introducit ad intelligentiam. Charitas in atrio, quia mentem dilatat in amorem. Spes in loco quinquaginta describitur cubitis, quia per desideria, atque suspiria introducit animum ad secreta gaudia quietis: De qua quiete, etsi adhuc sicut est, veritatis lumen non cernimus, iam tamen per rimas intelligētiæ aliquid videmus. Vnde & hic subditur:

Act. 4.

Erunt aspera in vias planas. *Isaias* 40. Asperum planas iter, &c. *Hymn.*

Christianus ob ignominiū pro Christi nomine clarior, quā ob splendorem, & gloriam. *Ex Nāz. or.* 10. *nu.* 14.

Et fenestras obliquas in thalamis.) In fenestris obliquis pars illa, per quam lumen intrat, angusta est: sed pars interior, quæ lumen suscipit, lata, Quia mẽtes contemplantium, quàmuis aliquid tenuitèr de vero lumine videant, in semetipsis tamen, magna amplitudine dilatantur. Quia videlicèt & ipsa, quę
„ conspiciunt, capere pauca vix possunt. Exiguum
„ valdè est, quod de æternitate contemplantes vi-
„ dent, sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium
„ in augumento feruoris, & amoris. Et inde apud se
„ amplæ sunt, vnde ad seruitutis lumẽ quasi per an-
„ gustias admittuntur. Quæ magnitudo contempla-
„ tionis, quia concedi non nisi amantibus potest, in
„ thalamis obliquæ fenestræ esse perhibentur: vel
„ in his, quæ iuxtà thalamos non iam extrinsecùs,
„ sed esse intrinsecùs dicuntur.

Iob. 3. Ex Greg. lib. 5. Matth. cap. 4.

Hac expertus sanctus Iob, (etiam Dei testimonio calestis) dicebat: Antequam comedam, suspiro. Comedere nanque est animæ, supernæ lucis contẽplatione pasci. Suspirat ergo, antequam comedat, qui priùs gemitibus tribulationis afficitur: & postmodùm contemplationis refectione satiatur. Nisi enim suspiret, non comedit: quia qui se in hoc exilio, per desideriorum cælestium lamenta non humiliat, æterna patriæ gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo ieiuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Suspirat autem qui comedit, qui quos veritatis amor afficit, etiam refectio contemplationis pascit. Suspirans Propheta comedebat, cum diceret: *Fuerunt mihi lachrima mea, panes.* Luctu enim suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo subleuatur: & intùs quidem doloris sui gemitum tolerat: sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lachrymas emanat.

Quis scit, an hæc sit aqua refectionis, quã educatũ se propheta testatur? Psalm. 22.

Psal. 41.

Alibi

Alibi idem sanctus Iob: In horrore, inquit visionis nocturnæ: quando solet sopor occupare homines. Sciẽdum autem est, quia in scriptura sacra figuratè positus, tribus modis somnus accipitur. Aliquando enim somno mors carnis, aliquando torpor negligentiæ, aliquando verò exprimitur, calcatis terrenis desiderijs, quies vitæ: somni namque, vel dormitionis nomine, carnis mors intimatur, sicut Paulus ait: *Nolo vos ignorare, Fratres, de dormientibus.* Et paulò post: *Ita & Deus, eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Somno rursum torpor negligentiæ designatur, sicut ab eodem Paulo dicitur: *Hora est iam nos de somno surgere.* [Vacate, *inquit,* & videte, quoniam ego sum Deus: *Psal.95. vbi Aug.* Non ocium desidiæ quęro, sed ocium cogitationis, vt à locis, & temporibus vacetis, &c. *libro de vera Religione cap.35. tom.1.*] Et rursum; Euigilate iusti, & nolite peccare. Somno quoque calcatis carnis desiderijs, vitæ quies figuratur: sicut sponsæ voce in canticis canticorum dicitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* quia videlicet sancta mens, quò se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eò veriùs interna cognoscit, & tanto alacriùs ad intima vigilat, quantò se ab exteriori inquietudine occultat. Quod benè per Iacob in itinere dormientẽ figuratur, qui ad caput lapidem posuit, & obdormiuit: à terrà scalam cælo inhærentem, innixum scalę Deum, ascendentes quoque, & descendentes angelos vidit. In itinere quippè dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu, à rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit, qui dixit: *Scit enim Deus, quod in quocumque*

Iob.4.
Ex eod. Greg libro 5 Moral. c. 21. & seq.
1. Thess. 4.
Rom. 13.
1. Corint. 13.
Cant 5.
Gen. 28.
Genes. 4.

que die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Vnde & paulò post subditur: *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit: & aperti sũt oculi amborum.* Culpa quippè oculos concupiscentiæ aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Angelos verò ascendentes, & descendẽtes cernere, est, ciues supernæ patriæ contemplari: vel quanto amore authori suo, semetipsos transcendendo, inhæreãt, vel quantà compassione, charitatis nostris infirmitatibus condescendant. Et notandum est valdè, quod ille dormiens angelos conspicit, qui in lapide caput ponit: quia, nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui redemptoris obseruat. Caput quippè in lapide ponere, est, mente Christo inhęrere. Qui enim à præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt: sed videre Angelos nequaquàm possunt, quia caput in lapide tenere contemnunt.

Sunt namque nonnulli, qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore, non studio dormiunt, & idcircò interna non conspiciunt: quia caput, non in lapide, sed in terrà posuerunt. Quibus plerumque contingit, vt quanto securiùs ab externis actionibus cessant, tanto latiùs immundę in se cogitationis strepitum per ocium congerant. Vnde sub Iudęæ specie per Prophetam, torpens ocio anima defletur, cum dicitur: *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.* Præcepto etenim legis, ab exteriori opere in sabbato cessatur. Hostes ergo sabbata videntes irrident, cum maligni Spiritus ipsa vacationis ocia ad cogitationes illicitas pertrahunt: vt vnaquęque repro-

proba anima, quò remota ab externis actionibus seruire Deo creditur, eò magis eorum tyrannidi, illicita cogitando, famuletur. Sancti autem viri, qui à mundi operibus non torpore, sed virtute sopiuntur: laboriosiùs dormiunt, quam vigilare potuerũt, quia in eo quod actiones huius sęculi deserentes superant, * robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant: nè mens per negligẽtiam torpeat: nè subacta ocio ad desideria immunda frigescat, nè ipsis bonis desiderijs plus iusto inferueat: nè sub discretionis specie, sibimet parcendo, à perfectione languescat. Agit hæc, & ab huius mundi inquieta concupiscentia se penitùs subtrahit; ac terrenarum actionum strepitum deserit, & per quietis studium virtutibus intenta, vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his, quę exteriùs implicant, studiosè subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam veritas dicit: *Nemo potest duobus dominis seruire*. Hinc Paulus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus, vt placeat cui se probauit*. Hinc per Prophetam Dominus admonens, dicit: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*.

* Nota:

Matth. 6.

2. Timot. 2.

Psal. 45.

Denique sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina, timor domini sanctus, & sanctus amor. His perfectè afflicta anima, veluti quibusdam duobus brachijs suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait: *Tenui eum, nec dimittam*; Et timor quidem sublimi, profundo, amor lato, longèque respondet. Quid tàm timendum, quàm potestas, cui non potes resistere, quàm sapientia, cui abscondi non potes? Poterat minus timeri Deus, alterutro carens. [De ecclesia nostra propheta dicit: Qui timetis dominum, laudate eum. *Psal.* 21. Quis autem

Ex Bernardo lib. 4. de Consideratione, &c. col. mihi antep.

Cant. 3.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? &c. Ps. 75.

tem

tem veracitèr laudat, nisi qui veracitèr amat? Tantumdem ergo est, ac si diceret; Qui timetis dominum, amate eum. *Ex August. epist. 120. cap. 28.*] Nunc autem perfectò oportet, timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tàm amabile, quàm amor ipse, quo amas, & quo amaris? Amabiliorem tamen iuncta æternitas facit: quæ, dum non excidit, foràs mittit suspicionem. Ama igitur perseuerantèr, & longanimitèr, & habes longitudinem. Dilata amorem tuum vsque ad inimicos, & latitudinem tenes. Esto etiam in omni sollicitudine timoratus, & sublime, profundumque apprehendisti. Aut si mauis, quatuor æquè tuis diuinis quatuor respondere: facis hoc si stupes, si paues, si ferues, si sustines: Stupẽda plane sublimitas maestatis, pauenda abyssus iudiciorum, feruorem exigit charitas, æternitas perseuerantiam sustinendi. Quis stupet, nisi qui contẽplatur gloriam Dei? Quis pauet, nisi qui scrutatur profundum sapiẽtiæ? Quis feruet, nisi qui meditatur charitatem Dei? Quis sustinet, & perseuerat in amore, nisi qui ęmulatur æternitatem charitatis? Nempè æternitatis quandam imaginem perseuerãtia præsefert. Denique sola est, cùi æternitas redditur, vel potiùs quæ ęternitati hominem reddit; dicente Domino; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et nunc aduerte in quatuor istis, contemplationis species quatuor. Prima, & maxima contemplatio est, admiratio maiestatis: Hęc requirit cor purgatum, vt à vitijs liberum, atque exoneratum peccatis, facilè ad superna leuet, interdùm quoque, vel per aliquas morulas stupore, & extasi * suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic: Est enim intuens iudicia Dei.

Etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur. *Psal 24* Et viriliter age, & confortetur cor tuũ, & sustine dominum, *Psal. 26 Rursùs* Sustinentes autem dominum, ipsi hæreditabunt terram. *Psal. 36. Matth 24.*

* *Phras. Act. 3 ibi.* Impleti sũt stupore, & extasi in eo, quod contigerat illi.

Dei. Quo sanè pauido aspectu, dùm vehementiùs concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem seruat. Virtutum siquidem bonum quoddam, ac stabile fundamentū, humilitas. Nempè si nutet illa virtutum aggregatio, nonnisi ruina est. Tertia contemplatio occupatur, vel potiùs ociatur circà memoriam beneficiorum, & nè dimittat ingratum, solicitat memorantē ad amorem benefactoris. De talibus dicit Propheta loquens ad Dominum: *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*. Eructatio, gratiarum actio est. Quarta, quæ retrò sunt obliuiscens, in solà requiescit expectatione promissorum. Quæ, cum sit meditatio æternitatis (si quidem, quæ promittuntur, æterna sunt) longanimitatem alit, & perseuerantiç dat vigorem. Puto iam facile est, quatuor nostra hæc, quatuor illis Apostoli assignare, dum longitudinem comprehendit meditatio promissorum, latitudinem recordatio beneficiorum, sublimitatem contemplatio maiestatis, profundum inspectio iudiciorum. Querendus adhuc fuerat, qui nec satis adhuc inuentus est, nec quæri nimis potest: at orando fertè, quàm disputando, digniùs quæritur, & inuenitur faciliùs. Psal 44.

Propheta rex loquitur dicens; *Ego cantabo potentiam, vel, fortitudinem tuam, & exultabo, (seù) exaltabo mane misericordiam tuam*. Mane, transactis tentationibus: mane, cum nox huius seculi transierit: mane, quando iam latronum insidias, & diaboli, & Angelorum eius non expauescimus: mane, quando iam non ad lucernam prophetiæ ambulamus, sed ipsum Dei Verbum, tanquàm solem contemplamur: Et exultabo manè misericordia tua. Meritò in alio psalmo dicitur: *Mane astabo tibi*, & Psalm. 58. Ex August ibid. Conc. 1. col mihi pen. Psal. 5.

con-

contemplabor. Meritò & ipsius Domini resurrectio diluculò fuit; vt impleretur quod dictum est in alio psalmo: *Vespere demorabitur fletus, & in matutino exultatio*: Ad vesperam quippè discipuli mortuum planxerunt Dominum nostrum IesumChristũ, diluculò ad resurrectionem exultauerunt.

Psal. 29.

Alibi: Quid est mane? Transacta nocte sęculi huius, transactis erroribus tentationum, superato illo Leone, qui nocte rugiens circumit, quem deuoret, quærens. Mane astabo tibi, & contemplabor. Nunc verò, quid putamus fratres, huic tempori congruere, nisi quod rursùs in psalmo dicitur? *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Per singulas noctes, inquit, flebo, in desiderio lucis ardebo. [Locutus est Iudęis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, *Ioan.* 8. Suppliciter itaque rogate: Deus meus, illumina tenebras meas: In te eripiar à tentatione. *Psal. 9. Iterùm*: Sint lumbi vestri, inquit, præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, *Lucæ* 12. Non dixit, lucentes, sed ardentes: nàm sola doctrina, etsi sublimis, sine charitatis ardore non proficit.] In Deo tuo quando stas, & in lumine eius veritatis delectaris, non quæris locum, quò ad eum accedas, sed conscientia accedit, & conscientia recedit. Quod dictum est: *Accedite ad eum, & illuminamini*: animo dictum est, non vehiculo, affectibus dictum est, non pedibus. Et cùm in eo stabis, æstus nòn patieris: Spiritus enim spirabit tibi, & sub alis eius sperabis. [Angelus Domini fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, &c. *Daniel.* 3. 49. 50. *Et*: Sub vmbra alarum tuarũ protege me, &c. *Psal.* 16.] Vides enim habere te quo-

Idem Sanctus tract. 34. in Io.

Psalm. 6.

Ex eodem in Ps. 144.

quomodo delecteris per singulos dies. Non enim te dimittet Deus tuus, etiamsi aliquid triste acciderit. Quàm enim triste erat, quod Sancto viro Iob acciderat, quàm repentè![Hostium repens aduentus magis aliquando conturbat, quàm expectatus, & maris subita tempestas, quàm ante præuisa, terret nauigantes vehementiùs: & eiusmodi sunt pleraque: nihil aliud reperies, nisi omnia subita videri maiora. *Tull. Tuscul.* 3. *Alibi:* Omne malum, quod accidit ex insperato, nimis est graue, quod autem expectatur, antequàm accidat, postquàm acciderit leuius inuenitur. *Author. Oper. imperfect. in Matth. homil.* 24. *Rursus:* Et quidem ob duas causas. Primum, quòd quanta sint, quæ accidunt, considerandi spatium non datur: deinde, cùm videtur præcaueri potuisse, si prouisum esse, quasi culpà contractum malum, ægritudinem acriorem facit. *Aliò itē in loco.* Quoniam multum potest præuisio animi, & præparatio ad minuendum dolorem, sint semper omnia homini humana meditata. *Tull. vbi sup.* Multa verò nec præuideri, nec prouideri possunt: tunc negotium ambulat in tenebris: *Psal.* 90. Denique consule *Ambros. lib.* 1. *de offic. cap.* 38. *per tot.*] Quā multa mala, quemadmodum omnia, de quibus gaudere putabatur, non de quibus gaudebat, diabolo tentante subtracta sunt, quemadmodū & filij mortui sunt? Perijt quod seruabatur: Perierunt quibus seruabatur, nec tamèn perijt, quod & illud, & illos dedit. Quin, & ipsi Filij præsenti seculo perierunt, agnoscendi, & recipiendi in futuro. Ille tamen vir habens aliud, vnde gauderet, in quo verū erat, quod modo commemorauimus: *Per singulos dies benedicam te.* Numquid quia ille dies, quo totum perierat tristis, illuxit: ideò lux interior in corde defecit?

Spiritus, vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quò vadat, &c. *Ioan.* 3.

Iob 1.

Dies tristis dicitur, quia tristes, lætus, quia lætos facit. Augustinus. Deus dominus illuxit nobis. Psal. 117. Et in natiuitate Dñi legitur. Dies sanctificatus illuxit nobis. Sit nomen eius benedictum in secula, &c. Ps. 71 Psal. 33.

Stetit quippè in illa luce, & ait; *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum*. Ergò per singulos dies laudauit, qui etiam in die tàm tristi laudauit. Breue magisterium est, vt semper laudes Deum, veroque corde, non falso dicas: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. Breue mysteriũ est, scilicèt, vt noueris eum misericorditèr dare cum dat, misericorditèr auferre cùm tollit, nec te credas à misericordià eius derelinqui, qui tibi aut blanditur dando, nè deficias, aut corripi exultantem, nè pereas. Siuè ergo in eius donis, siuè in eius flagellis lauda eum. Laus flagellantis, medicina est vulneris.

Psal. 2.

Et quoniam sermo hùc noster euasit, (non mihi reuerà misero peccatori,) sed deuotis lectoribus, quibus studium est humilitèr scrutari diuinam legem, vt custodiant illam in toto corde suo) libet expendere oraculum propheta regis, admonentis nos, & docentis: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quid est autẽ seruire domino in timore? Cum omne præceptum perfecerimus, cum tremore, contractioneque hanc confessionem facere, corde contrito, menteque submissa preces offerre. [Cor contritum, proximum cordi mundo, & hoc est esse secũdum cor Dei. Siquidem cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet: Et iuxtà est dominus his, qui tribulato sunt corde. Samaritanus proximus est illi, qui incidit in Latrones: *Bernardus*.] Nec solùm seruire in timore, verùm etiam exultare cum tremore, Spiritus sanctus per Prophetam iùbet: Nã, quoniam præcepti impletio gaudium gignere solet in animo virtutem exercentis, & hanc, inquit, con-

Ex Chrys. hom. de Verb. Esaia. Vidi Dominum &c. to. 1.

fes-

fessionem cum tremore facere conuenit;nè, si deposito metu confundamur, ac dissoluamur, simul & iacturam laborum faciamus, & Deum in nos prouocemus. Sed,quomodo, inquis, fieri potest, vt quis exultet cum tremore? Nam impossibile est, simul hæc duo accidere, cùm inter hæc plurima sit differentia. Gaudium enim est eorum, quæ desiderat animus: expletio, rerumque iucundarum fruitio,ac molestarum obliuio. [Huiusmodi verò lætitia, quę angorum præstet obliuia, in cælis non in terra, vt existimo, reperitur.] *Lętamini iusti in Domino,&c,* Iam fortè fideles audientes iocundamini, conuiuia meditantur, calices præparant, rosarum tempus expectant: quia dictum est, *iocundamini iusti*. Vide, quid sequitur: *In domino. Iocundamini iusti in Domino*. Expectas tempus veris, vt iocunderis, si Dominum habes, iocunditatem, Dominus tecũ semper est, non habet tempus. Habes illum nocte, habes illum die. Esto rectus corde, & semper est tibi de illo iocunditas. [Beati enim mundo corde, (*vel*, mundi corde) quoniam ipsi Deum videbunt. *Alibi*. In simplicitate cordis quærite illum: Hoc nanque, mundnm cor, quod est simplex cor, &c. *Ex August. lib. 1. de Serm. Domini in mont. cap. 7. t. 4. Rursus*: Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! *Psalm. 71. Consule. ibi eundem Sanctum.* Dirige me domine in veritate tua; vt dicam,Pes meus stetit in directo. Hinc dicere solemus, orantes:Dirigere, & sanctificare, regere, & gubernare, dignare Domine Deus rex Cæli,& terrę hodie corda, & corpora nostra, in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum. Rursùs scriptum legimus: Generatio, quæ non direxit cor suum: Non dictum est opera, sed cor. Cùm autem cor rectum non est, ope-

Phras. Deu. 32. ibi: Ipsi me prouocauerunt in eo,qui non erat Deus, &c:

Gaudium quid?

Psalm. 96. Ex Augustino Ibidem.

Coronemus nos rosis, antequam marcescant;nullum pratũ sit, quod non pertrãseat luxuria nostra, &c. *Sapient. 2. vide praecedentia quoque: & Caue.*

Esai 5.

ra recta non sunt, etiã si recta videantur. *August. in Psal. 77.*] Non enim iocunditas, quæ est secundũ seculum, vera iocunditas est: audi Prophetam Esaiam: *Non est gaudere impijs, dicit Dominus.* Gaudere, quod vocant impij, non est gaudere. Quale gaudium nouerat, qui hoc gaudium improbabat? Credamus illi, fratres, homo erat, sed ambo gaudia nouerat. Homo erat, vtique nouerat gaudia calicis: quia homo erat, nouerat gaudia mensæ, nouerat gaudium lecti: nouerat gaudia ista secularia, & luxuriosa. Ille qui nouerat illa, ait præsumens: *Non est gaudere impijs, dicit Dominus.* Sed non dicit homo Dominus dicit: [Præcipio non ego, sed Dominus, &c. 1. *Cor.* 7.] Ex veritate Dominus dicit: *Non est gaudere impijs.* Nam illi sibi videntur gaudere, Non est autem gaudere impijs, dicit non homo, sed Dominus. Vnde ille ipsum gaudium videns ait: *Et diem hominum non concupiui, tu scis.* Qui mihi aliũ diem ostendis, qui me aliam lucem doces, qui me alia iocunditate perfundis, qui aliud mihi intùs insinuas, fecisti me non concupiscere diem hominũ. Vtique videbat Esaias homines in potatione, in luxuria, in theatris, & in spectaculis totum mundum luxuriari varijs nugis: & tamen clamabat; *Non est gaudere impijs, dicit Dominus.* Si hoc non est gaudere, quale gaudium videbat, in cuius comparatione hoc non erat gaudium? Tanquam, si tu nosses solem, & alicui laudanti lucernam diceres, non est ista lux. Quare lux non est? Ille pro magno habet, gaudet, exultat: & tu dicis non est ista lux? Aut si quis simiam miraretur, diceres, non est ista pulchritudo. Et si fortè ille occupatus esset, circa compositionem membrorum in illa bestia, & omnes illas congruentias miraretur: tu qui noueras aliam pul-

Esai. 5.

Esaiæ 57. secundùm 70. vers. final. Vulg. legit. Nõ est pax, dicit Deus meus impijs.
Hier. 7

Esai. 57.

pulchritudinem, negares istam, & diceres, non est: Quare? Quia aliam nosti. Sed dicis: Ego illam quam videbat Esaias, non video. Crede, & videbis. Fortè non habes, vnde videas: est enim oculus, vnde illa pulchritudo videatur. Nàm quomodo est oculus carnis, vnde lux ista videatur, sic est oculus cordis, vnde illa iocunditas videatur. Fortè ille oculus saucius est, sordidatus est, turbatus est ab irà, [Anima mea turbata est valde, &c. *Psal.6. &*: Conturbatus est in ira oculus meus. *Ibidem* 30. Sed præceptum domini lucidum est, illuminans oculos. *Ibid.* 18. *Rursus*: Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur dominus, &c. *Isaia* 60. Inuocemus Dominum gloriæ, qui perturbationem cordis nostri, tempestatemque tranquillat animo sedato, atque pacato.] ab auaritia, à cupiditate, *à libidine insensata* turbatus est oculus tuus, non potest videre illam lucem: crede, antequã videas, sanaberis, & videbis: *Lux orta est iusto, & rectis corde iocunditas*. (Sed redeamus quæsò, vnde discessimus.) Metus autem expectatorum malorum incursus cooriens aduersùs condemnatam conscientiam. Quomodo igitur, licet exultare cum timore, nec simplicitèr cum timore, sed etiam cum tremore, qui est timoris vehementia, & immodicę cuiusdam anxietatis signum? [In Euangelio Matthęi etiam legimus quòd mulieres, quæ venerant ad monumentum quærentes dominum, eumque non inuenientes ibi, quia resurrexerat, exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno, &c. *Matth.* 28.] Quomodo igitur, inquis, hoc fiet? Ipsa te Seraphim docent, reipsa tale ministerium implentia. Nam illa ineffabili gloria conditoris fruũtur, incomprehensibilem eius pulchritudinem con-

Spirituales oculi perspicaciores sunt oculis corporis, neq; isti præstare possunt, qui visibilia cernũt quantum oculi spiritus, qui ea, quæ non vidẽtur, neq; subsistunt, videre possunt.

Ex Chrys. hom. 10. in Genes.

Nota.

tem-

que die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Vnde & paulò post subditur: *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit: & aperti sũt oculi amborum.* Culpa quippè oculos concupiscentiæ aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Angelos verò ascendentes,& descendẽtes cernere, est, ciues supernæ patriæ contemplari: vel quanto amore authori suo, semetipsos transcendendo, inhæreãt, vel quantà compassione, charitatis nostris infirmitatibus condescendant. Et notandum est valdè, quod ille dormiens angelos conspicit, qui in lapide caput ponit: quia, nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui redemptoris obseruat. Caput quippè in lapide ponere, est, mente Christo inherere. Qui enim à præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt: sed videre Angelos nequaquàm possunt, quia caput in lapide tenere contemnunt.

Sunt namque nonnulli, qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore, non studio dormiunt, & idcircò interna non conspiciunt: quia caput, non in lapide, sed in terrà posuerunt. Quibus plerumque contingit, vt quanto securiùs ab externis actionibus cessant, tanto latiùs immundę in se cogitationis strepitum per ocium congerant. Vnde sub Iudęæ specie per Prophetam, torpens ocio anima defletur, cum dicitur: *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.* Præcepto etenim legis, ab exteriori opere in sabbato cessatur. Hostes ergo sabbata videntes irrident, cum maligni Spiritus ipsa vacationis ocia ad cogitationes illicitas pertrahunt: vt vnaquęque re-

pro-

proba anima, quò remota ab externis actionibus seruire Deo creditur, eò magis eorum tyrannidi, illicita cogitando, famuletur. Sancti autem viri, qui à mundi operibus non torpore, sed virtute sopiuntur: laboriosiùs dormiunt, quam vigilare potuerũt, quia in eo quod actiones huius sęculi deserentes superant, * robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant: nè mens per negligẽtiam torpeat: nè subacta ocio ad desideria immunda frigescat, nè ipsis bonis desiderijs plus iusto inferueat: nè sub discretionis specie, sibimet parcendo, à perfectione languescat. Agit hæc, & ab huius mundi inquieta concupiscentia se penitùs subtrahit; ac terrenarum actionum strepitum deserit, & per quietis studium virtutibus intenta, vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his, quę exteriùs implicant, studiosè subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam veritas dicit: *Nemo potest duobus dominis seruire*. Hinc Paulus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus, vt placeat cui se probauit*. Hinc per Prophetam Dominus admonens, dicit: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*.

* Nota:

Matth. 6.

2. Timot. 2.

Psal. 45.

Denique sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina, timor domini sanctus, & sanctus amor. His perfectè afflicta anima, veluti quibusdam duobus brachijs suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait: *Tenui eum, nec dimittam*; Et timor quidem sublimi, profundo, amor lato, longèque respondet. Quid tàm timendum, quàm potestas, cui non potes resistere, quàm sapientia, cui abscondi non potes? Poterat minus timeri Deus, alterutro carens. [De ecclesia nostra propheta dicit: Qui timetis dominum, laudate eum. *Psal. 21.* Quis autem

Ex Bernardo lib. 4. de Consideratione, &c. col. mihi antep.

Cant. 3.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? &c, *Ps. 75.*

tem veracitèr laudat, nisi qui veracitèr amat? Tantumdem ergo est, ac si diceret; Qui timetis dominum, amate eum. *Ex August. epist. 120. cap. 28.*] Nunc autem perfectò oportet, timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tàm amabile, quàm amor ipse, quo amas, & quo amaris? Amabiliorem tamen iuncta æternitas facit: quæ, dum non excidit, foràs mittit suspicionem. Ama igitur perseuerantèr, & longanimitèr, & habes longitudinem. Dilata amorem tuum vsque ad inimicos, & latitudinem tenes. Esto etiam in omni sollicitudine timoratus, & sublime, profundumque apprehendisti. Aut si mauis, quatuor æquè tuis diuinis quatuor respondere: facis hoc si stupes, si paues, si ferues, si sustines: Stupēda plane sublimitas maestatis, pauenda abyssus iudiciorum, feruorem exigit charitas, æternitas perseuerantiam sustinendi. Quis stupet, nisi qui contēplatur gloriam Dei? Quis pauet, nisi qui scrutatur profundum sapiētiæ? Quis feruet, nisi qui meditatur charitatem Dei? Quis sustinet, & perseuerat in amore, nisi qui ęmulatur æternitatem charitatis? Nempè æternitatis quandam imaginem perseuerātia præsefert. Denique sola est, cùi æternitas redditur, vel potiùs quæ ęternitati hominem reddit; dicente Domino; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Et nunc aduerte in quatuor istis, contemplationis species quatuor. Prima, & maxima contemplatio est, admiratio maiestatis: Hęc requirit cor purgatum, vt à vitijs liberum, atque exoneratum peccatis, facilè ad superna leuet, interdùm quoque, vel per aliquas morulas stupore, & extasi * suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic: Est enim intuens iudicia Dei.

Etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur. *Psal* 24. Et viriliter age, & confortetur cor tuū, & sustine dominum, *Psal.* 26. *Rursùs* Sustinentes autem dominum, ipsi hæreditabunt terram. *Psal.* 36. *Math* 24.

* *Phras. Act* 3. *ibi.* Impleti sūt stupore, & extasi in eo, quod contigerat illi.

Dei. Quo ſanè pauido aſpectu, dùm vehementiùs concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad ſapientiam, humilitatem ſeruat. Virtutum ſiquidem bonum quoddam, ac ſtabile fundamentũ, humilitas. Nempè ſi nutet illa virtutum aggregatio, nonniſi ruina eſt. Tertia contemplatio occupatur, vel potiùs ociatur circà memoriam beneficiorum, & nè dimittat ingratum, ſolicitat memorantẽ ad amorem benefactoris. De talibus dicit Propheta loquens ad Dominum: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt*. Eructatio, gratiarum actio eſt. Quarta, quæ retrò ſunt obliuiſcens, in ſolà requieſcit expectatione promiſſorum. Quæ, cum ſit meditatio æternitatis (ſi quidem, quæ promittuntur, æterna ſunt) longanimitatem alit, & perſeuerantię dat vigorem. Puto iam facile eſt, quatuor noſtra hæc, quatuor illis Apoſtoli aſſignare, dum longitudinem comprehendit meditatio promiſſorum, latitudinem recordatio beneficiorum, ſublimitatem contemplatio maieſtatis, profundum inſpectio iudiciorum. Querendus adhuc fuerat, qui nec ſatis adhuc inuentus eſt, nec quæri nimis poteſt: at orando fortè, quàm diſputando, digniùs quæritur, & inuenitur faciliùs. Pſal 44.

Propheta rex loquitur dicens; Ego cantabo potentiam, vel, fortitudinem tuam, & exultabo, (ſeù) exaltabo mane miſericordiam tuam. Mane, tranſactis tentationibus: mane, cum nox huius ſeculi tranſierit: mane, quando iam latronum inſidias, & diaboli, & Angelorum eius non expaueſcimus: mane, quando iam non ad lucernam prophetiæ ambulamus, ſed ipſum Dei Verbum, tanquàm ſolem contemplamur: Et exultabo manè miſericordia tua. Meritò in alio pſalmo dicitur: *Mane aſtabo tibi, &* Pſalm. 58. Ex Auguſt ibid. Conc. 2. col. mihi pen. Pſal. 5.

con-

contemplabor. Meritò & ipsius Domini resurrectio diluculò fuit; vt impleretur quod dictum est in alio

Psal. 29. psalmo: *Vespere demorabitur fletus, & in matutino exultatio*: Ad vesperam quippè discipuli mortuum planxerunt Dominum nostrum Iesum Christũ, diluculò ad resurrectionem exultauerunt.

Idem Sanctus tract. 34. in Io. *Alibi*: Quid est mane? Transacta nocte sęculi huius, transactis erroribus tentationum, superato illo Leone, qui nocte rugiens circumit, quem deuoret, quærens. Mane astabo tibi, & contemplabor. Nunc verò, quid putamus fratres, huic tempori congruere, nisi quod rursùs in psalmo dicitur?

Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Per singulas noctes, inquit, flebo, in desiderio lucis ardebo. [Locutus est Iudęis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, *Ioan.* 8. Suppliciter itaque rogate: Deus meus, illumina tenebras meas: In te eripiar à tentatione. *Psal.* 9. *Iterùm*: Sint lumbi vestri, inquit, præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, *Lucæ* 12. Non dixit, lucentes, sed ardentes: nàm sola doctrina, etsi sublimis, sine charitatis ardore non

Ex eodem in Ps. 144. proficit.] In Deo tuo quando stas, & in lumine eius veritatis delectaris, non quæris locum, quò ad eum accedas, sed conscientia accedit, & conscientia recedit. Quod dictum est: *Accedite ad eum, & illuminamini*: animo dictum est, non vehiculo, affectibus dictum est, non pedibus. Et cùm in eo stabis, æstus nòn patieris: Spiritus enim spirabit tibi, & sub alis eius sperabis. [Angelus Domini fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, &c. *Daniel.* 3. 49. 50. *Et*: Sub vmbra alarum tuarũ protege me, &c. *Psal.* 16.] Vides enim habere te quo-

quomodo delecteris per singulos dies. Non enim te dimittet Deus tuus, etiamsi aliquid triste acciderit. Quàm enim triste erat, quod Sancto viro Iob acciderat, quàm repentè![Hostium repens aduentus magis aliquando conturbat, quàm expectatus, & maris subita tempestas, quàm ante præuisa, terret nauigantes vehemẽtiùs: & eiusmodi sunt pleraque: nihil aliud reperies, nisi omnia subita videri maiora. *Tull. Tuscul.* 3. *Alibi:* Omne malum, quod accidit ex insperato, nimis est graue, quod autem expectatur, antequàm accidat, postquàm acciderit leuius inuenitur. *Author. Oper. imperfect. in Matth. homil.* 24. *Rursus:* Et quidem ob duas causas. Primum, quòd quanta sint, quæ accidunt, considerandi spatium non datur: deinde, cùm videtur præcaueri potuisse, si prouisum esse, quasi culpà contractum malum, ægritudinem acriorem facit. *Aliò itẽ in loco.* Quoniam multum potest præuisio animi, & præparatio ad minuendum dolorem, sint semper omnia homini humana meditata. *Tull. vbi sup.* Multa verò nec præuideri, nec prouideri possunt: tunc negotium ambulat in tenebris: *Psal.* 90. Denique consule *Ambros. lib.* 1. *de offic. cap.* 38. *per tot.*] Quã multa mala, quemadmodum omnia, de quibus gaudere putabatur, non de quibus gaudebat, diabolo tentante subtracta sunt, quemadmodũ & filij mortui sunt? Perijt quod seruabatur: Perierunt quibus seruabatur, nec tamèn perijt, quod & illud, & illos dedit. Quin, & ipsi Filij præsenti seculo perierunt, agnoscendi, & recipiendi in futuro. Ille tamen vir habens aliud, vnde gauderet, in quo verũ erat, quod modo commemorauimus: *Per singulos dies benedicam te.* Numquid quia ille dies, quo totum perierat tristis, illuxit: ideò lux interior in corde defecit?

Spiritus, vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quò vadat, &c. *Ioan.* 3.

Iob 1.

Dies tristis dicitur, qui tristes, lætus, quia lætos facit. Augustinus. Deus dominus illuxit nobis. Psal. 117. Et in natiuitate Dñi legitur. Dies sanctificatus illuxit nobis. Sit nomen eius benedictum in secula, &c, Ps 71 Psal. 33.

Stetit quippè in illa luce, & ait; *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum*. Ergò per singulos dies laudauit, qui etiam in die tàm tristi laudauit. Breue magisterium est, vt semper laudes Deum, veroque corde, non falso dicas: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. Breue mysteriũ est, scilicèt, vt noueris eum misericorditèr dare cum dat, misericorditèr auferre cùm tollit, nec te credas à misericordià eius derelinqui, qui tibi aut blanditur dando, nè deficias, aut corripi exultantem, nè pereas. Siuè ergo in eius donis, siuè in eius flagellis lauda eum. Laus flagellantis, medicina est vulneris.

Psal. 2.

Et quoniam sermo hùc noster euasit, (non mihi reuerà misero peccatori,) sed deuotis lectoribus, quibus studium est humilitèr scrutari diuinam legem, vt custodiant illam in toto corde suo) libet expendere oraculum prophetæ regis, admonentis nos, & docentis: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quid est autẽ seruire domino in timore? Cum omne præceptum perfecerimus, cum tremore, contractioneque hanc confessionem facere, corde contrito, menteque submissa preces offerre. [Cor contritum, proximum cordi mundo, & hoc est esse secũdum cor Dei. Siquidem cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet: Et iuxtà est dominus his, qui tribulato sunt corde. Samaritanus proximus est illi, qui incidit in Latrones: *Bernardus*.] Nec solùm seruire in timore, verùm etiam exultare cum tremore, Spiritus sanctus per Prophetam iùbet: Nã, quoniam præcepti impletio gaudium gignere solet in animo virtutem exercentis, & hanc, inquit, con-

Ex Chrys hom. de Verb Esaia. Vidi Dominum &c. 10. 1.

fes-

fessionem cum tremore facere conuenit;nè, si deposito metu confundamur, ac dissoluamur, simul & iacturam laborum faciamus, & Deum in nos prouocemus. Sed,quomodo, inquis, fieri potest, vt quis exultet cum tremore? Nam impossibile est, simul hæc duo accidere, cùm inter hæc plurima sit differentia. Gaudium enim est eorum, quæ desiderat animus: expletio, rerumque iucundarum fruitio,ac molestarum obliuio. [Huiusmodi verò lætitia, quę angorum præstet obliuia, in cælis non in terra, vt existimo, reperitur.] *Letamini iusti in Domino,&c*, Iam fortè fideles audientes iocundamini, conuiuia meditantur, calices præparant, rosarum tempus expectant: quia dictum est, *iocundamini iusti*. Vide, quid sequitur: *In domino. Iocundamini iusti in Domino*. Expectas tempus veris, vt iocunderis, si Dominum habes, iocunditatem, Dominus tecũ semper est, non habet tempus. Habes illum nocte, habes illum die. Esto rectus corde, & semper est tibi de illo iocunditas. [Beati enim mundo corde, (*vel*, mundi corde) quoniam ipsi Deum videbunt. *Alibi*. In simplicitate cordis quærite illum: Hoc nanque, mundnm cor, quod est simplex cor, &c.*Ex August.lib.1.de Serm.Domini in mont.cap.7.t.4.Rursus*: Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! *Psalm.71. Consule.ibi eundem Sanctum*. Dirige me domine in veritate tua; vt dicam,Pes meus stetit in directo. Hinc dicere solemus, orantes:Dirigere, & sanctificare, regere, & gubernare, dignare Domine Deus rex Cæli,& terrę hodie corda, & corpora nostra, in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum. Rursùs scriptum legimus: Generatio, quæ non direxit cor suum: Non dictum est opera, sed cor. Cùm autem cor rectum non est, ope-

Phras.Deu.32. ibi: Ipsi me prouocauerunt in eo,qui non erat Deus, &c:

Gaudium quid?

Psalm.96. Ex Augustino Ibidem.

Coronemus nos rosis, antequam marcescant;nullum pratũ sit, quod non pertrãseat luxuria nostra, &c. *Sapient.2. vide præcedentia quoque: & Caue.*

Esai 5.

pulchritudinem, negares istam, & diceres, non est: Quare? Quia aliam nosti. Sed dicis: Ego illam quam videbat Esaias, non video. Crede, & videbis. Fortè non habes, vnde videas: est enim oculus, vnde illa pulchritudo videatur. Nàm quomodo est oculus carnis, vnde lux ista videatur, sic est oculus cordis, vnde illa iocunditas videatur. Fortè ille oculus saucius est, sordidatus est, turbatus est ab irà, [Anima mea turbata est valde, &c. *Psal.6. &*: Conturbatus est in ira oculus meus. *Ibidem* 30. Sed præceptum domini lucidum est, illuminans oculos. *Ibid.* 18. *Rursus*: Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur dominus, &c. *Isaiæ* 60. Inuocemus Dominum gloriæ, qui perturbationem cordis nostri, tempestatemque tranquillat animo sedato, atque pacato.] ab auaritia, à cupiditate, *à libidine insensata* turbatus est oculus tuus, non potest videre illam lucem; crede, antequã videas, sanaberis, & videbis: *Lux orta est iusto, & rectis corde iocunditas*. (Sed redeamus quæsò, vnde discessimus.) Metus autem expectatorum malorum incursus cooriens aduersùs condemnatam conscientiam. Quomodo igitur, licet exultare cum timore, nec simplicitèr cum timore, sed etiam cum tremore, qui est timoris vehementia, & immodicę cuiusdam anxietatis signum? [In Euangelio Matthęi etiam legimus quòd mulieres, quæ venerant ad monumentum quærentes dominum, eumque non inuenientes ibi, quia resurrexerat, exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno, &c. *Matth.* 28.] Quomodo igitur, inquis, hoc fiet? Ipsa te Seraphim docent, reipsa tale ministerium implentia. Nam illa ineffabili gloria conditoris fruũtur, incomprehensibilem eius pulchritudinem con-

Spirituales oculi perspicaciores sunt oculis corporis, neq; isti præstare possunt, qui visibilia cernũt quantum oculi spiritus, qui ea, quæ non vidẽtur, neq; subsistunt, videre possunt. *Ex Chrys. hom. 10. in Genes.*

Nota.

tem-

templantia. Non dico illam, vt est natura, hæc enim incogitabilis est; nec spectari potest, nec figurà exprimi, absurdumque est, sic de illà opinari: sed quantum concessum est, quantum ex illo splendore possunt comprehendere. Quomodo enim assiduè famulantur in circuitu throni regalis, in iugi gaudio perseuerant, in sempiterna delectatione, in exultatione finem non habitura, gaudentia, saltantia, citrà vllum silentium, gloriam canentia. Nam stare in conspectu maiestatis illius, deque splendore illinc refulgente illuminari, hoc illis est gaudium, hoc illis exultatio, hoc illis voluptas, hoc denique gloria. [*Alibi:* Tu illluminas lucernam meam domine, Deus meus illumina tenebras meas, &c. *Psalm.* 71. Lucernam, idest, intellectum, quòd sit animæ oculus, & lucerna hominem dirigens: *Ex Euthymio, Genebr. ibid.* Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? *Psalm.* 26. Si ipse illuminat, ipse saluat, quem timebo? Veniant caligines suggestionum: Dominus illuminatio mea. Veniri possunt, proficere non possunt, mentem nostram impugnando, non tamen vincendo: *Ex eodem Chrysost. in præcitat. Psalm.* 26.] Fortassis sensistis aliquid voluptatis, & cupiditas quædam illius gloriæ vos cepit. Agè, vtinam velitis, adhortantem auscultare, præsentemque gloriæ diuinæ celebrationem religiosè peragere. Nam non destituet vos huiusmodi gaudium, si quidem ipse est ille dominus, qui & in cælis, & in terris glorificatur, plenique sunt cæli, & terra glorià eius. [Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, &c. *Psalm.* 88. *Alibi:* Operuit cęlos gloria eius: & laudis eius plena est terra, *Habacuc.* 3. Laudamus te, benedicimus te, glorificamus te: *Gloria in missa.* Et: Omnem crea-

Iuxtà illud; Ego sũ Raphael ãgelus, vnus ex sempte͂, qui astamus ante Dominũ: *Tob.* 12. *& alibi:* De throno procedebãt fulgura, & voces, & tonitrua, & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. *Apoc.* 4.

Fruitio visionis Diuinæ.

a Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudiũ vestrum nemo tollet à vobis. *Ioan.* 16.

creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: ſedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſęcula ſęculorum: *Apocalip. 5.*] Scis, quia bonum eſt gaudere carnaliter, per hoc intellige, quia melius eſt gaudium animæ. Gaudium quippè carnis, cum carne finitur, gaudium autem animæ cum animà perſeuerat. Scis quòd bonum eſt gloriari in terris: per hoc intellige quia melius eſt gloriari in cælo. Quantò enim clarius eſt cælum, quàm terra: tantò glorioſior eſt illa gloria, quam iſta: [*Author. Oper imperfecti in Matth. homil.* 25.] Quomodo fit igitur, vt illa Seraphim cum eiuſmodi voluptate fruantur, hanc cum timore miſceant? Audi quid dicit Propheta: *Vidit Dominum ſedentem in throno excelſo, & eleuato.* Esai. 6. Quam ob cauſam cum dixiſſet, excelſum, adiecit, eleuatum? An non ſatis erat per celſitudinem rem totam ſignificare, declarareque dignitatis eminentiam? Quapropter ergo addidit, eleuatum? Vt cathedram incomprehenſibilem demonſtraret: quandoquidem apud nos quod excelſum eſt, cogitationem quandam præbet comparationis, ad ea, quæ humilia ſunt; ac ſubmiſſiora. [Denique omnes humiles confiteantur Deo, & adorent eum, terribili offerant munera. Vnde terribili? Exultate ei cum tremore: & ei, qui aufert ſpiritum principum, ideſt, tollit audaciam ſuperborum: *Ex Auguſtino in Pſalm. 75. verſ. final.*] Veluti excelſi ſunt montes ad campeſtria, locaque terræ ſupina comparati, excelſum autem Cælum ſuper omnia terrena, ſublatum eſt. Valles dicit ſupinas. Cæterum hæc eleuatio, ſublatioque ſolius eſt illius naturæ incomprehenſibilis, quam neque

co-

cogitatione concipere, neque verbis eloqui quisquam potest; eòque dicit: Vidit Dominum sedentem in throno excelso, & eleuato.


[Non te pigeat quasò deuote Lector, consideratè legere, quæ ibi sequuntur: & pro me dominum obsecrare.]



DE

DE DILECTIONE DEI, ET PROXIMI.

LIBER QVINTVS.



Ominus Iesus,& Saluator generis humani loquitur; *Si quis dixerit fratri suo: fatue; reus erit gehenna ignis.* Multi hoc graue, atque onerosum putant esse mandatum, vt scilicèt pro vno, nudoq; sermone, tāta nobis pęna subeunda sit. Vnde quidam istud exageratione magis dictum esse voluerunt. Sed vereor, nè nosmetipsos his verbis omninò friuolis, vel potiùs infidelibus, seducentes, ibi rebus ipsis supplicia extrema soluamus. Sed, cur quæsò, mandatum istud videtur onerosum? An fortè nescis, quia plurima pars culparum, atque pœnarum à sermonibus sumat exordium? [Ideò propheta Rex: Posui ori meo custodiam, &c. *Psalm.* 38. *& alibi*: Prohibe linguam tuam, (*vel*, coerce) a malo, & labia tua, nè loquantur dolum. *Ibidem* 33. *Rursùs*; Lingua tua concinnabat dolos: & os tuum abundauit malitia, *Psalm.* 45. *Iterùm*: Sermonibus odij circundederunt me; *Ibidem* 108. Consule eundem sanctum Doctorē, *Hom.* 31. *ad Popul. col. mihi* 3. *tom.* 5.] Nam & blasphemia per verba, & Dei negatio per verba, indè & maledicta, & iniuriæ, atque periuria, & falsa testimonia, & ipsa frequentèr homicidia. Noli igitur aspicere, quod vnus hic sermo sit: sed, quantum periculi habeat, expende. An ignoras inimicitiarum tempore incandescente ira, animoque prorsùs ardente, etiam minimum aliquid

Matth. 5.

Ex Chrys. idem hom. 16.

Blasphemia.

magnum videri? [Nulla materies, tàm facilis ad exardescendum, sicut animus hominis, ardet iracundià, flagrat amore. In Psalmo 105. Exarsit ignis in Synagoga eorum, flamma combussit peccatores,&c. Caueamus hunc ignem, postulamus orantes charitatis ignem à Domino, qui dat omnibus affluentèr. Vt fides calore ferueat, fraudis venena nesciat.] Tunc quippè, & quod non valdè iniuriosum est, nimis tamen putatur onerosum. Nam hæc ipsa paruula,& homicidia sæpè pepererunt, & vrbes crebrò integras subruerunt. Sicut enim manente amicitia, etiam quæ molesta sunt,leuia dicuntur: sic inimicitijs obortis, leuia quæque pro grauissimis audiuntur. Nam & si simplicitèr aliqua dicantur,de malo tamen animo prolata creduntur: atque,vt in igne cum scintilla exigua est, etiamsi plurimum lignorum admoueas, non ea facilè comprehendit: si verò satis in excelsum flamma consurgat, non iam ligna, sed & saxa, & omnem prorsùs incidentem materiam sibi vendicat: & per quæ extingui solet,per ea ipsa potiùs accenditur. Quidam quippè aiunt, quod huiusmodi flamma,non ligna tantùm,& stuppã, aliaque ignis aliméta,sed aquã etiam maiori impetu iactatã magis, magisque succendat: ità accidere etiam in ira solet. Quidquid aliquis dixerit,continuò pabulum pessimi huius efficietur incendij.

Quando cruce te signas, vniuersam tecum crucis causam verte: & iræ, ac reliquarum passionum incendia extingue. *Idem Sanctus.*

De inuidià autem, odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi: afflictio autem in prosperis eius propagatur. O mala progenies, quæ si animo intromissa dominari cęperit, omnem sanctitatis sobolem extinguit. Qui itaque inuidet, vel odit, non alium priùs, quàm seipsum occidit. Qui susurrat,& detrahit,priùs suas,quàm aliorum radices euellit. Qui exultat in aduersis proximi, & affligitur in pro-

Ex Amb. Præp. 2. ad miss. tom. 5.

prosperis eius, alieno proximum se petit gladio. Hoc secundum superbiæ virgultum tùnc primò fuit exortum, cum ille, de quo scriptum est: *Inuidia Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum*, Cain persuasit, vt liuoris odio fraternum funderet sanguinem. Sed nimirum idem Cain inuidus priùs suam animam, quā alterius carnem peremit. Scriptum quippè est: *Qui odit fratrem suum, homicida est*: Et scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Hinc Domine apparet, cuius primùm homicida est, qui alterum odit, in quo vita non est. Quod contrà Moyses omnium mitissimus, admonet, dicens: *Nè oderis proximum tuum in corde tuo*. Et quia ille, qui inuidet, & odit, consequentèr susurrat, & detrahit, hoc malum scriptura sancta præcauendum denuntiat: *Non eris*, inquit, *susurro in populis:& : Nolite detrahere alterutrum fratres*. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. *Psalm*. 100.] *Qui enim detrahit fratri, detrahit legi*. Qui enim susurrat, & detrahit, consequens est, vt in aduersis proximi exultet, in prosperis autem animi tristitiam contrahat. Sed occurrit beatus Apostolus, & dicit: *Gaudere cum gaudentibus flere, cum flentibus*. Et ecce alius pro terrenis rebus, terrenisque honoribus, alius pro virtutum successibus, cuilibet inuidet, quemlibet odit, contra quemlibet susurrat, de quolibet detrahit, de cuiuslibet aduersis exultat, de prosperis animum mæstificat. Sed, vt in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat Domine quęsò illud multiforme bonum, quod potenti virtute resistens non det inuidiæ locum; [Continentia est, per quam cupiditas, consilij gubernatione regitur. Clementia, per quā animi temerè in odium alicuius illecti, concitatique comitate retinentur; *August. lib*. 83.

Sapient. 2.
Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum:
1 Ioann 3.
Genes 4.
1. Ioann. 3.
Ibidem.
Rom. 12.

Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, 1. Petr 4.

quæst. quæst. 31. *tom.* 4.] Charitas scilicèt, quæ fundamentum est omnium virtutum, & bonorum, quæ non inuidet, sed congaudet: 1. *Corinth.* 13. [Charitas fundamentum omnium virtutum, custodia, quoque & munimentum: Sed de his alibi, Domino adiuuante, qui dat loquelam balbis.] Non odit, sed diligit: non susurrat, sed obiurgat; non detrahit, sed arguit: non de aduersis proximi gaudet, sed meret: non de prosperis afflictionem, sed consolationem recipit. Meritò autem tale nomen accepit, quod illa carius inueniri, non potest: quam qui habet, te vtique habet. Deus, inquit, charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. [Canonica est hęc epistola: per omnes gentes recitatur Orbis terrę, authoritate tenetur, Orbem terrarum ipsa ędificauit: *Augustinus ibi Tractat.* 7.] Cui, vt præfatum inuidiæ superet malum, cordis simul, & oris iungenda custodia est: cordis scilicet, nè inuideat, nè aduersis proximi exultet, nè in prosperis mæstitiam contrahat. Oris verò, nè susurret, nè detrahat. Scriptum quippe est: *Omni custodia serua cor tuum*, quià ex ipso vita procedit. Et rursùm scriptum est: *Mors, et vita in manibus lingua.* Citius malum, quod intùs latet, extinguitur, si à prauo eloquio foris lingua fręnetur. *Pone Domine custodiam ori meo, vt non declines cor meum in verba malitia.* Alij legunt: *Et portam attentionis circa labia mea*: *Chrysostom. in Psalm.* 38.

1. Ioann. 4. Qui non diligit, non nouit Deũ, quoniam Deus charitas est.

Prouerb. 4.

Prouerb. 18.

Psalm. 114.

Redeamus quæsò vndè discessimus, et de dilectione Dei eloqui prosequamur, (nunquàm enim satis est.) Omni vita tua dilige Deum, et innoca illum in salute tua. [Diligamus in corde amantem Deum, non in verbis tantùm, nèc in lingua, & ore solummodò: Sed cum mente, & cogitatione, opere, & veritate: *Ex* 1. *Ioan.* 3. 18.] *Et in Epithalamio amoris: Laua eius sub capite*

Eccles. 13. 18.

meo,

meo, et dextera illius amplexabitur me. In leuà repu- Canticor 2.
tans recordationem illius charitatis, qua nulla maior Ex Bernard. de
eſt, quòd *animã ſuam poſuit pro amicis ſuis:* (1. Io. 3.) Diligendo Deo, col mihi tom. 2.
in dexterà verò beatam viſionem, quam promiſit
amicis ſuis, & gaudium de præſentià maieſtatis.

Meritò illa Dei, & deifica viſio, illa diuinæ pręſentiæ ineſtimabilis delectatio in dexterà deputatur, de qua & delectabilitèr canitur: *Delectationes in dextera tua vſque in finem*. Meritò in lęua admirabilis illa memorata, & ſemper memoranda dilectio collocatur, quod donèc tranſeat iniquitas, ſuper eã ſponſa recumbat, & requieſcat. Meritò ergo lęua ſponſi Pſalm. 15. ſub capite ſponſæ, ſuper quam videlicèt caput ſuum reclinata ſuſtentet, hoc eſt, mentis ſuæ intentionem, nè incuruetur, & inclinetur in carnalia, & ſecularia deſideria, quia *corpus, quod corrumpitur, aggrauat* Sapient. 9. *animam, deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*. [Adhęreamus inualidi, Deo forti, adhęreamus firmo Deo, homines infirmi. Adhęrere quippè Deo bonum eſt: ponere in eo ſpem noſtram: qui enim confidunt in illum, non confundentur: ponamus cor noſtrum in virtute eius; ſequamur Ieſum Chriſtum, quibuſdam paſſibus deuotionis, & fidei: teneamus eum, nèc dimittamus, donèc benedixerit nobis, potens eſt enim Deus omnem gratiam abundare facere in nobis. Sit denique plenum diuinà laude pectus populi Dei, exultet fęlici exultatione, corde ſcaturiens in amore Dei, & in ore laus illius; vt dicat crebrò cum Propheta: Semper laus eius in ore meo: Et laudationem Domini loquetur os meũ. Tùnc Cygno, & Luſcinia nunquàm poteris canere ſuauiùs. Quid enim dulcius, quid ſuauius Dei laude?] [Inuoca me, ait, per fidele, & canorum organum ſuum, Dominus omnipotens) in die tribulationis; eruam

eruam te, & honorificabis me, lauda promittentem, lauda vocantem, lauda exhortantem, lauda adiuuantem, & intellige in qua tribulatione positus es. Inuocaueris, glorificaberis, permanebis: *Aug. in Psalm.* 49. [Corruptibile enim corpus aggrauat animam, & terrenum hoc tabernaculum sensum opprimit multa curantem: sic legit *Hieronym. in epist. ad Ephes. c.* 4. Et meritò corpus hoc, animæ vinculum, ex Basilio, vocat *Nazianzen. Orat.* 20. *Consule August. in Psalm.* 145. *vers.* Laudabo Deum in vita mea, &c.]

Quid namque aliud faciat considerata tanta, & tàm indebita miseratio, tàm gratuita, & sic probata dilectio, tàm inopinata dignatio, tàm inuicta mansuetudo, tàm stupenda dulcedo? Quid, inquam, hæc omnia faciant diligentèr considerata, nisi vt considerantis animã ab omni penitùs prauo vindicatam amore, ad se mirabilitèr rapiant, vehementèr afficiant, faciantque præ se contemnere quidquid nisi in contemptu horum appeti non potest? Nimirum proinde in odore vnguentorum horum sponsa currit alacritèr, amat ardentèr, & parùm sibi amare, sic amata videtur, etiam cum se tota in amore perstrinxerit. [Diligam te Domine, *Propheta ait, etc. Psalm.* 17. *Vbi Basilius*: Dicit hoc, non quasi qui nondùm illud perfecerit, sed vt qui dilectionis huius satietatem capere nequit. *Hæc ille.*] Nec immeritò: quid magnum enim tanto, & tanti repensatur amori, si puluis exiguus totum se ad redamandum collegerit, quem illa nimirum maiestas in amore præueniens, tota in opus salutis eius intenta conspicitur? *Denique sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum daret.* Haud dubium quin de patre dicat. Item tradidit *in mortẽ animam suam*: Nec dubium, quod filium loquatur. Ait & de Spiritu sancto: *Spiritus paraclitus, quem*

De his vnguentis dicitur in Cãtico Canticorũ: Meliora sunt vbera tua, fragrãtia vnguentis optimis. *Consule eundem Sanctum serm. 9. super Cant. in fin. & 10. ferè per tot.*

Ioann. 3.
Isaia 35.
Ioann. 14.

mittet

mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis. Amat ergo Deus, & ex se toto amat, quia tota Trinitas amat: si tamen totum dici potest de infinito, & in comprehensibili, aut certè de simplici. Intuens ergo hæc, credo satis agnoscit, quare Deus diligendus sit; hoc est, vnde diligi mereatur. Ceterum infidelis non habens filium, nec patrem, proindè habet nec Spiritū sanctum. Qui enim non honorificat filium, non honorificat patrē, qui misit illum, sed nèc Spiritum sanctum, quem misit ille. Is itaque mirum non est, si quem minùs agnoscit, minùs & diligit. Attamen & ipse totum ei sese debere non ignorat, quem sui totius non ignorat auctorem.

Vna est patris, & filij, & Spiritus sancti voluntas, ita & nos esse vult, inquiens: [Vt sint vnum, sicut ego, & tu vnum sumus.] Nihil enim concordiæ, & mutuæ voluntati æquiparandum. Vnus enim multiplex est. Si enim concordes sunt duo, vel decem, non amplius erit vnus, sed eorum vnusquisque fit decuplum, & inuenies in decem vnum, & in vno decem. Etsi inimicum habeant, qui vnum aggreditur, ferè decem aggreditur, ità superatur. Non enim ab vno tantùm, sed non est in egestate, maiore enim ex parte, hoc est, nouem abundat: & pars, quæ indiget, vt pura minor, maior exuberante obtegitur. Singuli eorum viginti manus habent, & oculos viginti, & totidem pedes. Non enim suis tantùm oculis videt, non suis pedibus sustentatur, non suis operatur manibus, sed & amicorum. Decem animis spirat, non enim ipse tantùm sibi curæ est, sed & illis; quod si centum, idem contingeret, & virtus augeretur. Ecce dilectionis excel„ lentia, quo pacto vnum insuperabilem, & multipli„ cem reddat, & vnus in multis simul locis, & in Per- „ side

Ioann. 6.
Ex Chrys. ibidē. hom. 67.

Nota vim amoris.

præſtare non poterit, alius & id & longè maiora pręſtabit: hoc pacto, & voluptatis, & ſecuritatis materiã inueniet. Neque enim eſt, vt malè occidat, qui tot ſatellitibus cuſtoditur: neque regij corporis cuſtodes tàm diligentes ſunt ſuo muneri obeundo, vt amici amico. Illi namque neceſſitate, & metu cuſtodiunt; hi beneuolentià, & dilectione, quę metu longè potẽtior eſt: [*Non tamen deficiunt (vt exiſtimo) Principes, qui plus timeri à ſubiectis expetunt, quàm amari: iuxtà cuiuſdam Imperatoris dictum, ſcilicèt,* Oderint, dùm metuant; *Verùm de his alibi, Domino donante, differemus.*] Et ille cuſtodes ſuos metuit, hic illis magis, quã ſibi fidit, & idcircò nullius timet inſidias. Has ergo merces nobis comparemus, pauper, vt paupertatis eas ſolatium habeat: diues, vt diuitias tueatur: Principes, vt ſeuerè dominetur, ſubditus, vt benigniùs ſibi Principes conciliet [*Sunt tamen, vt opinos, Principes, qui ſeueritatem ſuam non in voluntate, ſed in viriũ attenuatione expetere videntur ſubiectorum.*] Hoc manſuetudinis fundamentum: nàm, & ferę illæ aſperiores ſunt, & ſæuiores, quæ non gregatim viuunt: propterea Ciuitates habitamus, fora habemus, vt inuicem conuerſemus: quod & Paulus iubet, inquiens; Non derelinquentes congregationem ſuam. Nihil enim peius ſolitudine, & locis inacceſſis: nihil à fœdere, & familiaritate alterius. At inquies, Quid Monachi montium cacumina habitantes? Neque illi ſine amicis ſunt, ſed multitudinis tumultus, aufugiunt, amicos autem, & certo amoris vinculo ſibi deuinctos habent, & vt hoc aſſequantur, ſecedunt. Nam, cum rerum actiones, plurimas concipiant contentiones, ideò è medio ſecedentes, quàm diligentiſſimè dilectionem colunt. [*In Pſalm. 84. legimus*: Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Loquebatur, ideſt, in illo Deus

Paupertatis, & pauperum amici perpauci. Vnde eſt illud Theognidis: *Ad calices multi ſeſe profitẽtur amicos, rebus, in dubijs rarus amicus erit,*

Hebræor. 10. 25. Non deſerentes collectionẽ noſtram. Vulgata.

intus,& mundus faciebat illi strepitum foris · *Consule ibi Augustinum:* Actio verò animæ talis esse debet, quæ tendat ad quietem,securitatemque,non quæ augeat inquietum laborem. *Idem sanctus in Psal.* 114.] Et quid, si quis solus sit,inquit, & innumeros haberet amicos? Equidem si fieri posset,velim,& vt etiã simul versari liceret, iam firma maneat amicitia: Neque enim locus amicos facit. Multos habent laudatores, qui non laudarent, nisi amarent. Et ipsi rursùm pro vniuerso mundo orant: quod maximè est dilectionis argumentum. Ideò in misterijs inuicem salutamus, vt multi vnum efficiamur; & communes pro initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terræ, & maris,& vniuersi orbis fructibus sacrificamus: [Omnipotens Deus,te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque,vel pręsens seculum adhùc in carne retinet, vel futurũ iam exutos corpore suscepit, &c. *Oratio,*] Vides dilectionis vim in orationibus, in ministerijs, in admonitionibus?Hoc omnium bonorum causa est.

Complectimur, osculamur. Sacrificium pro omnibus offertur.

Sed, si volueris,sicut quotidiè corpori cibum suppeditas, ità & animam non despicere, vt nè fame pereat: [Nonnè anima plus est, quàm esca, & corpus plusquàm vestimentum? *Matth.* 6.] Sed dare ipsi congruum cibum, admonitionem videlicèt ex lectione scripturarum, & spiritualis adhortationis, non enim in pane,dicit,solùm viuet homo,sed in omni verbo,quod egreditur per os Dei:& si hoc feceris, vt sicut corpori varia præbes indumenta,& rationem habens temporis: similitèr neque animam despicito, vt nè nuda bonis operibus obambulet, sed decentibus illam vestibus indue,statim eam reparabis, & ad naturalem sanitatem reduces: [Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, nè nudus ambulet, & videant

Ex Chrys. hom. 11 in Genes col. penult.

Matth. & Luc. 4. & Deut 8. Nota.

Consule Greg. in Psalm 5. Pœnit. vers Similis factus sum Pellicano.

deant

deant turpitudinem eius: *Apocalyp.* 16. Et quæ sunt animæ indumenta? Eleemosina,& largitas in pauperes: hoc enim maximum animæ vestimentum est,hoc est clarum illius indumentum.[Vestem corpori quęsierunt Adam,& Euam post culpā, consuentes folia ficus,fecerunt sibi perizomata,vt amicirent verò nuditatem animæ,si amictum quæsierint,Scriptura sancta non aperit.] Si autem vis non solùm vestimenta parare,sed illa ornare etiā, sicut corpus solet,appone adiutoriū,quod ex precibus est,& peccatorū confessionē, & continuis lachrymis faciem tuam lauare,nè cesses.Sicut faciē corporis tui quotidiè abluis,nè qua fortè macula faciei tuæ inhærens,fęda appareat; sic animæ curam habe,quotidiè lachrymis eam abluens calidis. Hac enim aquà maculæ deponuntur, fitque facies admodùm luculenta:[Fortè à calore, seù igne Charitatis: Plangendum est ergo in vita ista caduca,ruinis plena,casibus obuoluta; vt,cum plangimus suscipiat Dominus immolationē animę nostrę,& vnicam offeramus victores, dicentes cum Apostolo: Bonum certamen certaui, cursum consummaui,fidē seruaui: de cætero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex in illa die: non tantùm autem mihi,sed & omnibus,qui diligunt manifestationem eius: *Ex eodem Chrysost. homil. de Iepht. col. penult. tom. 1:*] Debiti quoque spiritualis natura talis est, quod quantò magis soluitur, tantò magis augetur, & substantiam magis multiplicat, & ineffabiles diuitias affert tàm danti,quàm accipienti. Vidisti nouam debiti naturam, & raram solutionis speciem? In hunc enim modum se habent spiritualia,vt distributione magis crescant,& cum multi sunt participes, vberior sit abundantia,& qui dinumerauit,non sentiat se aliquid dinumerasse:quandoquidē eius

Splendida, luce plena.

Ex eod. ibidem hom. 22.

Dona spiritualia mutua communicatione augescunt.

non vides,sed gaude,quia vides. [Res sunt enim veluti vades Ecclesiæ,opes,fides, charitas. Cum spes accesserit,fides fundata fuerit,ordinatur charitas,Ecclesia copulatur: *Amb.lib.3.de Virg.t.3.p.mihi* 365.] Spes etiam nostra incommutabilis sit, & figatur in illo,& non nutet, & fluctuet: non agitetur,sicut ipse Deus,in quo figitur,non potest agitari [*Iuxta illud*: Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat,similis est fluctui maris,qui à vento mouetur, & circumfertur: *Iacob*.1.Spe enim salui facti sumus: Spes autem, quæ videtur non est spes: nam quod uidet quis,quid sperat? *Roman*. 8 *Alibi*: Teneamus spei nostræ confessionẽ indeclinabilem, fidelis enim est,qui repromisit: *Hebræorum* 10.] Celebrandus est Deus, cum hilaritate, & voluptate, veluti musicis quibusdam instrumentis; *Per Iesum offeramus hostiã laudis semper Deo,id est,fructum labiorum confitentiũ nomini eius*: *Hebræorum* 13.

Chrysost. hom 54.ad Popul.col antep.

Efficiamur, quæsò,cælum,ascendamus in altitudinẽ illã, & ità videbimus homines,vt putemus à formicis nihil differre.Non pauperes dico tantũ,neq;plebeios, sed etiã si magistratus.Si Imperator sit,non videbimus Imperatorẽ,neq;priuatum agnoscemus.Quid aurum, quid argentum,quid vestis serica,quid ostrum? Cuncta, tanquàm muscas videbimus, si in illa altitudine sederimus. Nullus illic tumultus, nulla illic perturbatio,neque clamor. Et quomodò, inquis,fieri potest,vt ad illam multitudinem subleuetur, qui in terrà ambulat? Non tibi verbo quidem dico, sed ego tibi ipsis operibus ostendam eos, qui ad illam altitudinem peruenerunt. Quos istos? Paulum dico, & eius similes,qui in terrà constituti, in cælo conuersabantur. Et quid dico in cælo? Altiores cælo erant, etiam alio cælo,& ad ipsum peruenerunt Dominum.

Ex Chrys. hom. 16. in epist. ad Hebraeor. in mor. Amor Dei erigit mentem nostram ad contẽplanda cęlestia. Sed ipse Deus infundit amorẽ cordibus,suà solà ineffabili pietate motus.

Quis

excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Iob. 11.

Roman. 8.

2. Corinth. 4.

Rom. 8.

Quis nos separabit, inquit, *à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Et iterùm: Non attendentes, quæ videntur, sed ea, quæ non videntur.* Intueris, quia neque videbat, quæ in præsenti sunt? Vt autem tibi ostendam, quoniam cęlis superior erat, audi illum dicentem: *Certus sum enim, quoniam neq; mors, neque vita, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Christi.* Intueris, quomodò cuncta pertransiens eius animus, superiorem eum fecit, non hac tantùm creaturà, non his cælis, sed alijs etiam quicunque sunt? Vides altitudinem mentis? Vides tabernaculorum opificem, quid factus sit? Quoniam voluit, qui in foro totam vitam transigebat; Nihil est enim impedimenti, nihil est quominùs liceat omnia transcendere, si tamen voluerimus. Si enim artes eas, quæ multos superant, ità percipimus, multò ampliùs quod tanto indiget labore. Quid enim dic mihi difficilius, quàm super funem extensum ambulare, veluti super æquale solum, & sursùm ambulantem, & vestiri, & spoliari, tanquàm in lecto sedeat? Nonnè mirabilis nobis ista res videtur, & terribilis, vt etiam videre nolimus, sed timeamus, & tremamus ad ipsum aspectum? Quid autem, dic mihi, difficilius, quàm * contum in fronte portare, & impositum puerum multa millia schemata facientem ibidem baiulare, & delectare spectantes? [Hoc est, varias figuras: *Iuxta illud Lucill. lib. 24.* In gymnasio, vt schema antiquo est, spectatorem retinere.] Quid autem difficilius, quàm cum gladijs, pilarum more, ludere? Quid autem grauius, dic mihi, quàm profundum pelagi scrutari? [Sunt etenim & exercitationes delectabiles verbis, sunt & rebus;

Etiam qui excellentes sunt in natando, vestire se, ac expoliare, non raró visi sũt.

*hasta longior.

Vide quàm ornatę sententias illuminat!

nèc

nec defi ciunt in hoc seculo millia fabularum, vana quoque,& errabunda loquacitas,sed non,vt lex Domini, immaculata,conuertens animas: & præceptum lucidum illuminans oculos: *Ex Augustino Concion. 20. in Psalm. 113.*] Et decem mille alias artes,quis dicere posset: sed omnium istarum facilior est virtus, si voluerimus,& in cælum ascendere. Velle enim hic opus est tantùm,& omnia sequetur. Non potes enim dicere, non possum: neque accusare potes conditorem. Si enim impotentes nos fecit, & deindè imperat,culpa eius est. Quomodò ergo, inquis,multi non possunt? Quomodò ergo multi nolunt? Si enim voluerint, omnes potuerunt: propter hoc & Paulus dixit: Volo omnes homines esse, sicut meipsum. Quoniam sciebat, quod omnes poterant esse,sicut ipse. Nequaquàm enim hoc diceret,si impossibile esset. Vis fieri? Principium tantùm apprehende. Dic autem mihi,in artibus cunctis cum voluerimus in eis perfecti fieri, non sufficit nobis velle? An etiam aggredimur ipsas res? Veluti quod dico: Vult aliquis fieri gubernator, non dicit volo,& hoc ei sufficit,sed etiam rem ipsam aggreditur. Vult fieri negotiator, non dicit volo tantùm,sed etiam rem ipsam aggreditur. In longinqua vult proficisci, non tantùm dicit volo,sed etiam rem ipsam aggreditur. Et sic in omnibus non sufficit velle tantùm,sed etiam opus oportet addere. In cælum aùtem volens ascendere, dicis tantùm,volo? Quomodò ergo dicebas,inquis,quia velle sufficit? De voluntate dixi,cui sit adiunctum opus ipsum, quæ laboranti in ipsa re concertet. [Quia infirma est fides, parùm se exercens in operibus amoris, quibus alitur: frigida remanet, sine calore charitatis, quæ fouet illam, & nutrit: Domine, adiunge nobis fidem.] Habemus quippè cooperatorem

Nocte, & die in profundo maris fui,&c. 2. Cor. 11 & in Psal. 106. Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.

modum, æternum pondus gloriæ, parit nobis; [In incredibilem modum, &c. *August. lib. de Patientia cap. 3. in fin.*] Expectatio, inquit, gloriæ, quam assequemur, & perpetuæ illius fęlicitatis, leuitèr nos facit ferre continuas illas afflictiones, leuesque eas haberi: scientes quomodò amor in Deum grauitatem molestiarum imminuit, neque sentiri sinit, cum nos inuaserint (Fęlix, qui fide, spe, charitate erga Deum pascitur. In fortitudine cibi huius ascendimus vsque ad montem Dei, imò ad ipsum Deum. Ferueat quæsò animus noster cęlestis patriæ dilectione; non tantùm teneamus memoritèr, verùm etiam vità, ac moribus demonstremus, quod nullus sit bonis patriæ consulendi modus, nihil non vtile, nihil superfluum, vt tàm magnum, & penitùs explicabile bonum assequamur.) Vtinam in vià iustitiæ, succurrente gratià Dei, sine impediměto curramus. Quando quis sauciatur charitatis desiderio, nihil difficile spectat; sed id, quod fuerit plenum periculis, & multà miserià, leuitèr fert ad vnum hoc viuens, quomodò suo potiatur desiderio. [Opus autem nobis diuino semper auxilio, si velimus anchoram in tuto firmare: *Ex eodem Chrysostomo*.] Iustus ille Iacob propter puellę amorem, septennium seruire, ferreque pastoralium laborum ærumnas decreuit, & non sentit, vel labores, vel temporis longitudinem: sed omnia ei leuia, & facilia videntur expectatione spe fructus alitur, & ità vt dies paucos longum, illud tempus putet; qualem nos habebimus excusationem, qui non pari studio ergà Dominum nostrum, & benefactorem, & curatorem, & qui nobis sit omnia, afficimur? Sed, quădo proponitur lucrum těporale, omnia alacritèr sustinere volumus etiamsì laboriosum sit, & valdè ærumnosum, & sordidum, & pœnam in præsenti, & futuro sæculo præ-

Ex Chrys. hom. 25. in Genes.
Amor Dei minuit afflictionũ pondera.

Motiuũ desumptum ex *August. epist. 199 tom. 2.*

Basilius.

Ex Chrys hom. 55. in Genes col. mihi 3.
Humanũ dico, propter infirmitatẽ carnis vestræ, &c. *Rom 6.* Cęterũ incõparabilitèr maiori diligentià, maiorique affectu Deum amari, atque parcere debemus, tantæ maiestati.

 bens:

bens: propter nostram autem salutem,& vt supernã nobis salutem conciliemus,remissi, & supini,& dissoluti videmur. [Sæcularia nimirùm sectantes,turbationibus crebrò implentur,& infructuosis doloribus, si quæ appetunt,non assequuntur.]

Quis Deus amans,sicut Deus noster? Pati namque pro subiectis, pro seruis mori, insigne est charitatis immensæ documentum,singularis est hoc amoris argumentum. [Accendamus in nobis ignem Spiritus sancti, & omne vitium excoquamus peccatorum. Desiderat Dominus istum ignem ardere in nobis. Spiritum nolite extinguere, docet Apostolus, 1. *Thessalon.* 5.] *Commendat autẽ*, inquit Apostolus, *charitatem suam Deus in nobis, quia,cum impij tantũ essemus,Christus pro nobis mortuus est*. Et alibi: *Sic Deus dilexit mundũ,vt filium suum vnigenitũ daret*. Præstet quiuis beneficia, largiatur dona, sit benefactor *prosperis*, diligat obsequentes: numquid illi poterit comparari,qui in se suscepit suorum necessitates; qui se periculis anteponit suorum, qui se pro suis dat pœnis, corpus obiectat morti, vt illos neci subtrahat,illos reseruet ad vitam? Aduersis probatur amor,affectio pensatur periculis: Pœnis examinatur dilectio,morte perfecta charitas inuenitur. Hinc est, quòd Christus intrat carnis iniuriã,subijt contumelias passionum, pœnarum genera pertulit, mortem suscepit peramaram: quia damnari voluit, qui quod fecerat,sic amauit. Deitatis autem non est voluntas hæc noua: Antiquæ legis prima vox hoc quæsiuit: *Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua*: quia vera dominatio est ipsa, quæ amore imperat, non timore: quæ per affectum sibi,& corpora subdit,& corda: quæ amando non inuitam,sed voluntariam sibi instruit seruitutem.

Ex eod serm. 6. de quinta feria passionis col antep.& seq t 5.
Roman. 5.
Ioann. 3.
Amorem Dei, cordi nostro inferamus, & nutriamus diuina lectione,grauiq; colloquio.
Deuter. 6.

[*Ipse*

[*Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis*, ait Ieſus Saluator noſter Diſcipulis ſuis. Cuſtodiamus itaque amorem Dei, nè vel ſtilla eius defluat; aqua enim ſalutaris eſt, emundans ab omni peccato: foueamus, nè frigeſcat ex parte, quàmuis minima: excitemus corda noſtra frequentèr, vt non dormiat, neque dormitet Chriſtus in nobis: crebrò, idque vigilantèr, memoremur *viſcera illa pietatis, & miſericordiæ*: poſtulemus amoris lumen, petamus & ignem, poſtulemus fiducialitèr, petamus flagrantèr, pulſemus indeſinentèr, quàmuis ſæpè repulſi, non deſiſtamus, ſcientes, quòd ſit Deus generis humani dilector. Aut or.

Phraſ. Luc. 1.

Diligamus & nos inuicem: quia charitas ex Deo eſt: *Qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum quem non videt, quomodò poteſt diligere?* Hominem namque non vt ſibi ipſi tantùm prodeſſet, creauit Devs, ſed vt multis. Idcircò Paulus quoque fideles homines luminaria appellat, ex ipsà appellatione manifeſtans, oportere fideles cęteris quoque vſui eſſe: [*Philipp.* 2. *Ibi:* Inter quos luceatis, ſicut luminaria in mundo, &c. Eſt enim luminare, quæ claritatẽ ſplendoremuè ſe diffundit. Sic egregij viri lumen, & ſpendor, & ornamentum ſunt Senatus, & Ciuitatis. Luminare quippè quamdiù ſeipſum tantummodò illuminat, luminare profectò non eſt; quocircà gentilibus quoq; ipſis deteriores eſſe ait, qui proximorum ſalutem negligerent, ſic dicens: *Si quis autem ſuorum & maximè domeſticorum prouidentiam non gerit, fidem adnegauit, & eſt infideli deterior*. Deus autem tolerãtiæ, & conſolationis det vobis, vt eodem alius in alium ſitis affectu ſecundum Chriſtum Ieſum: *Roman.* 15. Nam dilectionis hoc proprium eſt, vt quod pro ſe quiſque curat, idem faciat, & pro altero: *Idem Sanctus*.] Quid enim hoc

1. Ioann. 4.
Nota.
Ex Chryſ. lib. 3. aduerſ. vituper. Vitæ monaſt. col. mihi 4. tom. 5.

1. Timoth. 5.

Curę nomine, prouidentiæ animę, corporisq; significat: *Idem sanctus hom. 4. in 1. ad Tim.*

loco prouidentiæ nomine significari putas? Hanc fortasse necessariorum largitionem? Equidem reor, ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse; sin verò tu contentiosè sensum tuum afferre malueris, sic quoque sententia mea firmior, ac validior manebit. Nam, si de corpore hæc dixit, eumque, qui vilem hunc, & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, Gentilibusque deteriorem esse ait: quonàm tandem in loco statuemus eum, qui id, quod longè maius, & dignius est, magisque necessarium, contemnit? Age itaque colligamus peccati nostri magnitudinẽ, ac paulatim ascendentes ostendamus, quantùm peccata omnia exuperat proximorum contemptus, & neglectio, vtque ad summum malignitatis verticem euadit. Est igitur primus malitiæ, & iniquitatis gradus, amicos aspernari, quin vt ad inferiora sermonẽ reducamus: [nescio enim, quo pacto id me penè effugerat.] Prior illa lex Iudęis tradita, nè iumenta quidem inimicorum despici permittit: sed siuè illa deciderint, simul erigere, siuè oberrauerint, reducere iubet. [*Luc.* 3. Legimus ad Archisinagogum indignantem, quòd mulierem inclinantã erexisset, respondisse Dominum Iesum; *Hypocritæ, vnusquisq; vestrũ Sabbato non soluit bouẽ suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Sathanas ecce decẽ, & octo annos, non oportuit solui à vinculo isto, die Sabbathi?*]

Nonne anima plus est, quàm esca, & corpus plus, quàm vestimentũ? *Matt.* 6.

Exod. 23. & *Deuteronom.* 22

Psalm. 118. *vers. fin. ex Hil. ibidẽ.*

Clamat Dauid ad Dominum: *Erraui sicut ouis, quæ perÿt: quære, vel vt alÿ legunt:* viuifica seruum tuum; Referri enim se errabundam, ac perditam ouem pastoris sui humeris festinat, vt per salutarem, æternũq; pastorem in cælo Angelis æterna gaudia præbeat, se receptà, *Luc.* 15. *Filius enim hominis venit quærere, & saluare, quod perierat: missus ad oues perditas domus*

Israel

Israel: *Matth.* 15. Dominus Iesus Christus, qui est **benedictus in omnia sæcula sæculorum.**] Est itaque primus malitiç, & crudelitatis gradus ab infimis ascendendo, iumenta, & pecora inimicorum, vel errantia, vel lapsa negligere. Secundus ille superior, inimicos ipsos negligentiùs curare. Quātò enim homo mutis animantibus ad honorem præstat, tantò peccatum istud maius, quàm illud est. Tertius deinceps, fratres aspernari, si fuerint ignoti. [Ecce homo, si ex humili generatur, & Deo præstante ad aliquam ascenderit dignitatem, erubescit generationem suam audire. Si quis dixerit eum illius esse filium, indignatur seipsum confiteri, quod est, vt appareat quod non est, &c. *Ex eod. Chrysost. (seu authore illius Oper.) homil.* 54. *ex* 55. *in Matth. Considera lector amice, sequentia, vt videas, quàm longè plerique distant homines ab humilitate, quam Dominus Iesus Christus præcepit nobis, & ostendit exemplis!*] Quartus, familiares quoque despicere. Quintus, cum non solùm corpore, verùm anima quoque fratrum pereunte desinimus. Sextus, si nō familiaribus modò, verùm ipsis quoque liberis nostris pereuntibus, negligimus. Septimus, cum nec alios, quibus illi curæ esse possint, prouidemus. Octauus, cum & eos, qui id à se ipsis facere instituunt, arcemus, atque prohibemus: verùm oppugnamus quoque. Qualiter autem inuicem diligere debeamus, etiam de sanitate, vel firmitate membrorum corporalium possumus euidentèr agnoscere. Si enim sic nos amare voluerimus, quomodò se inuicem amant membra corporis nostri, perfecta in nobis charitas poterit custodiri. Considerate, & videte, quid fiat in nobis carnalitèr, quando sanum est caput, quomodo congaudent omnia membra, & pla-

1. *Ioan*, 3. *ibi*: Hæc est annunciatio, quā audiuimus ab initio, vt diligatis alterutrum. *Ex Aug. hom.* 15 *ex* 50 *to.* 10. Consule ad hęc Chrysost hom. 44. in 1. ad Corinth. col. mihi pe-

penult. & hom. 14 in Epist. ad Ephes. col. mihi 1. in fin. & seq.

placent sibi de singulis cætera membra. [De capite, & cæteris corporis membris, tàm carnalis, quàm mystici; *Consule Augustinum. Præfat. in Enarrat. secundam Psalmi 29. col. mihi 3. & sequent.*] E cõtrario autem, quando aliquid mali patitur vnũ mẽbrum, compatiuntur omnia membra. Ecce spinam calcat pes. Quid tam longè ab oculis, quam pes? Longè est loco, proximus est charitatis affectu. Modicùm pungit spina, & perparuum locum tenet in pede, vide quomodo illuc conuertuntur omnia mẽbra. [Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis fecit in ædificationem sui in charitate, *Ephes. 4. ver. 16.*] Primò ipsa spina incuruat se, & deponunt se omnia membra: Nunquid oculi cessant cernere? Numquid aures cessant audire? Fortè alij, qui vident, vbi sit, dicunt, ecce ibi est, statim hoc audiunt aures, & sequuntur consilium: ibi & oculi quærunt, & manus operantur: & vt dixi, totum corpus illuc incuruatur, & nihil vacat in homine ad subueniendum. Et solùm in pede factum est vulnus, & totum quod est in homine operatur, nunquid omnia puncta sunt? Attendite. Nunquid omnia dolent? Sana est manus, sani sunt oculi, sanum est caput, sana alia membra, ipse pes sanus est, ibi tantùm dolet, vbi punctus est. Non est ergo communis calamitas omnibus, sed per compassionem charitatis omnia veniunt ad subueniendum, & omnia nolunt succurrere: vt impleatur, quod ait Apostolus: Si patitur vnum membrum, compatiũtur omnia membra: & si glorificatur vnum membrũ,

1. Cor. 12.

Conuersus sum in ærumna mea dum cõfigitur: seu, confringitur spina, Psal. 31. h. e. peccati aculeus me cõtinenter pũgit. vide *Genebr.*

con-

congaudent omnia membra.

Hoc nostræ salutis argumentum erit, & occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed & proximo vtiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manuducentes. Et, vt scias quantum bonum sit, cum salute nostra, & alios lucrari, audi prophetam ex personà Dei dicentem: *Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit*. Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit: pro virili humano, me imitatur. Etenim ipse, cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & alia humana omnia sustinuit, & crucem quoq; suscepit, nisi vt nos peccato obnoxios, à maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulùs clamat dicens: *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Si igitur ipse, qui Deus est, ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos, & salutem nostram suscepit: cur non & nos erga fratres iusti sumus, agnoscentesque eos, vt membra nostra, & eripientes ex diaboli faucibus, in viã virtutis inducimus?

Ex Chrys. hom. 3. in Genes. col. mihi 7.

Hier. 15.

Gal. 3.

Nihil est profectò, quod te, sic ad gloriam, ac fiduciam excitare queat, quàm si te contingat, tùm à Deo amari, tum illum vicissim amantem tui, redamare. Hoc ipsum Angelos splendidos reddit, hoc ipsum principatus, & potestates: hoc ipsum cęlorum regno maius. Idcircò & Paulo regnum cęlorum, hoc vno posterius erat: propterea & in corporeas potestates beatas dico, quod & Deum amãt, & illius dicto vbique parent. Hinc igitur illas, & propheta admirabatur, cum diceret: *Potentes virtute, facientes verbum eius*. Hinc & Seraphim Esaias prædicabat, magnam illorum virtutem ostendẽs,

Ex eodẽ Chrys. hom. 9. in epist. ad Rom. circa fin.

Psal. 102.

hoc

hoc ipso, quòd propter immensam illam gloriam assisterent. Id quod maximæ dilectionis argumẽtum fuerit.

Esa. 6.

Dominus maiestatis loquitur dicens: *Qui diligit me, mandata mea custodit*. Dic Domine, quę mãdata? Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Hanc ergo, fratres, charitatem de vbertate fontis hauriamus, istam capiamus, in ea nutriamur. Cape, per quod sis capax: Charitas te gignat, charitas nutriat, charitas perficiat, charitas roboret.

Ioan. 14.
Ex August. ho. 32 ex 50. in fine

Denique non inuenit locum vanitas, vbi totum implet charitas. *Bernar.*

Propterea maximè Christus aduenit, (*Cuius hodie aduentum sacratissimum Ecclesia sancta, dilecta eius sponsa, anniuersarià commemoratione lætantèr celebrat*,) vt cognosceret homo, quantùm eum diligat Deus: & ideò cognosceret, vt in eius dilectionẽ, à quo prior dilectus est, inardesceret, proximumq; illo iubente, & demonstrante diligeret, qui nõ proximum, sed longè peregrinantem diligendo factus est proximus: omnisque scriptura diuina, quæ antè scripta est, ad prænunciandum aduentum Domini scripta est, & quicquid posteà mandatum est literis, & diuina authoritate firmatum, Christum narrat, & dilectionem monet: manifestum est, non tantùm totam legem, & prophetas in illis duobus pendere præceptis, dilectionis Dei, & proximi, quæ adhuc sola scriptura sancta erat: cum hoc Dominus diceret, sed etiam quæcunque posteriùs salubritèr consecrata sunt, memoriæque mandata diuinarum volumina literarum: Quapropter in veteri testamento est occultatio noui, in nouo testamento est manifestatio veteris.

Ex August. libr vno de Catechizandis rudibus cap. 4 tom. 4.

Matth. 22.

O bona mater charitas, quæ siuè foueat infirmos, siuè exerceat prouectos, siuè arguat inquietos, diuer-

Eccl. 7.
Ex Bernar ep. 2

uersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. Cùm te arguit, mitis est: cùm blanditur, simplex est. Piè solet sæuire, sine dolo mulgere, patientèr nouit irasci, humilitèr indignari. Ipsa est, quę hominum mater, & Angelorum, non solùm, quæ in terris; sed etiam, quæ in cælo, sunt, pacificauit. Ipsa est, quæ Deum homini placans, hominem Deo reconciliauit; oportet autem primò quidem forensibus causis, curisuè secularibus omnibus vacuam esse animam, vt cælum fiat, atque habitatio Dei. Alioquin quomodo poterit *vacare, & videre, quoniam ipse est Deus?* Sed, & odio, siuè inuidiæ, aut rancori minimè prorsùs indulgendum, *quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia.* Deinde necesse est eam crescere, & dilatari, vt sit capax Dei. Porrò latitudo eius, dilectio eius, sicut dicit Apostolus: *Dilatamini in charitate.* Nam, etsi anima minimè, cum sit spiritus, quantitatem corpoream recipit, tamen confert illi gratia, quod negatum est à natura. Crescit quidem, & extenditur, sed spiritualiter. Crescit non in substantia, sed in virtute crescit, & in gloria. Crescit etiam in templum sanctum in Domino. Crescit denique, & proficit *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ergo quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet, vt verbi gratià, quæ multũ habet charitatis, magna sit, quæ, parùm parua, quæ verò nihil, nihil, dicente Paulo: *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Quod si quantulancumque habere cæperit, vt saltem diligentes se diligere curet, ac salutare, vel fratres suos, & eos, qui se salutant: iam non nihil quidèm illam animam dixerim, quæ in ratione dati, & accepti socialem saltèm retinet charitatem. Veruntamen iuxtà sermonem Domini quid amplius facit? Nec amplam proinde, nec magnam

Phras. Colos. 1. ibi Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.

Ex Bernardo serm. 27. super Cant.

Psal. 45.

Sap. 1.

Nota.

1. Cor. 6.

Ephes. 4.

1. Cor. 13.

Philip. 4.

gnam, sed planè angustam, modicamque censuerim animam, quam adeò modicæ charitatis esse cognouerim. At, si grandescat, & proficiat, itaut trãsiens limitem angusti, obnoxijque amoris huius, latos fines bonitatis gratuitæ tota libertate spiritus apprehendat, quatenùs largo quodam gremio bonæ voluntatis ad omnem, se ipsam curet extẽdere proximum, diligendo vnumquemque, tanquàm se ipsam: nunquid iam illi rectè dicetur: Quid amplius facis? Quippè, quæ se ipsam tàm amplam facit? Amplum, inquam, gerit charitatis sinum, quæ cõplectitur vniuersos, etiam quibus nulla se nouit carnis necessitudine vnitam, nullà spe percipiendi cõmodi cuiusquam illectam, nullà percepti redhibitione obnoxiam, nullo denique omninò adstrictam debito, nisi illo sanè, de quo dicitur: *Nemini quicquã debeatis, nisi vt inuicèm diligatis*. Verùm, si adijcias etiam vsquequaque, vim facere regno charitatis, vt vsque ad vltimos eius terminos occupare illud priùs inuasor præualeas, dùm, nè inimicis quidem claudenda viscera pietatis existimes, benefacias his quoque, qui te oderunt, ores, & pro persequentibus, ac calumniantibus te, nec non & cũ his, qui oderunt pacem, esse pacificus studeas: tunc prorsùs latitudo cæli, latitudo tuæ animæ, & altitudo non dispar, sed nec dissimilis pulchritudo, impleturque tunc demum in eà, quod dicitur: *Extendens cælum, sicut pellem*. In quo iam miræ latitudinis, altitudinis, ac pulchritudinis cælo summus, & immensus, atque gloriosus non modò dignantèr habitat, sed & spaciosè deambulat. [Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quòd impium est ita credere, sed de ambulatio eius est, in cordibus sanctorum delectari, sicut scriptum est: &

Romant. 14.

Matth. 5.

Anima plenè, diligens inimicos, cælum efficitur, & Dei sedes.

Psal. 103.

in-

inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus: *Tract. seu lib. vno de essentiâ Diuinatis, Inter Oper. Aug. to.* 4. [In charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, &c. *Ephes.* 3.]

Deambulat autem in nobis præsentià maiestatis, si latitudinem inuenerit charitatis. Ad hoc nos exhortans Apostolus ait: Dilatamini: nè sitis iugum ducentes cum infidelibus. Si dilatemur, deambulat in nobis Deus: sed, vt dilatemur, operatur ipse Deus. Si enim latitudinem charitas facit, quæ non nouit angustias, videte, quia Deus sibi in nobis latitudinem facit, ipso dicente Apostolo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. [Spiritus amoris, qui ex mutuo amore Patris, & Filij procedit: Fluuius aquæ viuæ, splendidus tamquàm crystallus procedens de sede Dei, & Agni: *Apoc.* 22. *Consule Synod. Aquisgran. Ann.* 809.] Propter hanc latitudinem, inquã, in nobis deambulat Deus. (Sursùm itaque cor, sursum cogitationem, sursùm amorem, sursùm spem.) Quæ maiora fomenta sunt cordis humani, quàm mansuetudo, atque simplicitas: quibus & dolor omnis acceptę leuatur iniuriæ, & labes criminis omnis excluditur? Vir mitis, & mansuetus, S. Dauid in se ipso expertus cecinit dicens: *Beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem*. Exaltantur enim & superbi, sed non in salutem. Mansueti in salutem, superbi in mortem, idest, superbi ipsi se exaltant, & Dominus eos humiliat. Mansueti autem ipsi se humiliant, & Deus eos exaltat. [Qui se humiliat, exaltabitur. Non enim, qui humiliantur, exaltabuntur: multos enim

Sed his omnibus supereminet Christi charitas. *Ibid.* O vera Christi charitas, da gratiarũ merita; Dissolue litis vincula; Adstringe pacis fœdera.

2 Cor. 6.

2. Cor. 6.

Ex Aug de Verbis Apost ser. 3. cap. 1.

Ex Ambrosio Praef. in Ps 36.

Psal. 149.

Ex August. ibid.

crimen humiliat ad ruinam. *Ex Ambr.*]

Luc.14. Sancta Ecclesia, vt faciat mandata Dei, adiuuatur spiritu Dei, dicente Psalmographo: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.. (*Psalm.*118.) Nisi dilatatum cor habuisset, viã Domini minimè cucurrisset. Et vnde dilatatur cor, nisi per charitatem spiritalem? Hinc & Beatus Paulus Apostolus, simili Psalmographo voce, consentit: *Os nostrum patet ad vos, ò Corinthij: cor nostrum dilatatum est*. Vnde quæsò dilatatum est? *Gratia*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis*. Ergo accepto Spiritu sancto operatur Ecclesia talem dilectionem secundũ præcepta Dei, quæ sine gratià Spiritus sancti nequaquàm poterit operari. Hunc enim spiritum septiformem scriptura sancta commemorat, & commendat. Septiès ergo septiès fiunt quadraginta nouẽ, & addito vno, vt compleatur numerus, fiunt quinquaginta. Vnde, & Dominus ascendens in Cęlum, quinquagesimo die misit Spiritum sanctum, vt corda credentium dilataret. Trecenti verò cubiti significant decem præcepta legis; Deciès autem triginta fiunt trecenta; Sed hæc præcepta non possunt impleri, nisi charitate faciente, idest Spiritu sancto, qui significatur in latitudine quinquaginta cubitorũ, Idcircò arca vtrunque numerum habet. Nam, & ipsa opera propter supernum finem facit Ecclesia, quod significant triginta cubiti altitudinis. Re enim verà Spiritus est altitudo nostra, ipse scilicèt trecenarius doctrinam Euangelicam consecrauit. Ipse est, & superiùs finis, atque omni bono opere indubitantèr Ecclesiam replet.

Ex Aug. Dialogo 65. quæst. ad Orosiũ. qu, 53. cap.14.

1.Cor.16.

Rom.5.

Act.11.

Sperate in eo omnis congregatio populi, &c. Psalm. 61. Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint

rint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Matth. 18. Quòd, si duo vnanimes tantùm possunt, quid, si vnanimitas apud omnes esset? *Cyprian.*]

Magnum quidem bonum est ipsa congregatio: ipsa namque charitatem reddit feruentiorem, & ex ea cuncta optimè generantur. Nihil namque bonum est, quod non per charitatem. Istam igitur cõfirmemus inuicem, *Plenitudo quippè legis charitas est*: non enim labore opus habemus, aut sudoribus, si dilexerimus inuicem, spontanea nobis via sternitur ducens ad virtutem. Sicut enim in via publica contingit, si quis initium eius apprehendat, rectà vià ducitur, & non habet opus, vt manu ducatur: sic etiam in charitate, tantùm arripe principium, & & statim manũ tibi præbens ipsa, te deducit, & dirigit. Charitas proximo malum non operatur, non cogitat malum. Consideret quisque semetipsum, quomodo afficitur erga se ipsum, non sibi inuidet, omnia in se continet bona, omnibus se præhonorat, omnia sub se vult constituere. Si igitur, & circa alios sic afficiamur, omnia mala soluuntur. Non erunt inimicitiæ, non cupiditas; Quis enim seipsũ circumuenire volet? Nullus. Sed contra habebimus communitèr cuncta, & cessabimus congregantes nobis ipsis. Et hoc si fecerimus, retentio mali in corde locum non habebit. Quis autem velit retinere malum? Quis velit sibi ipsi irasci? Nonne maximè nobis ipsis, quàm omnibus iguoscimus? Si ergo sic in proximos afficiamur, numquam remanebit in corde mali retentio. Et quomodo possibile est hoc, inquis, diligere proximum, sicut seipsum?

Ex Chrys. hom. 19. in Epist. ad Hebr. cir. fin. & in Morali.

Rom. 13.

Manus enim domini est cum illo.

Qui non fecit proximo suo malum, habitabit in tabernaculo Dei, & requiescet in mõte sancto eius, *Psal. 14.*

Si non fecerunt etiam hoc alij, benè putas impossibile: Si autem fecerunt, manifestum est, quia per negligentiam à nobis non efficitur: sed & aliàs, uihil impossibile imperat Christus: in tantùm, vt etiam multi supergressi sint eius præcepta. Quis ergo, inquis, fecit hoc? Fecit hoc Paulus, Petrus, omnis chorus sanctorum. Sed si dicam, quia proximos dilexerunt, nihil magnum dico: Inimicos sic amauerunt, quomodo non amauit quisquam suos vnanimes. Quis enim suscipiat pro vnanimis in gehennam ire, cum ire possit ad regnum? Nullus. At
Rom. 9. Paulus pro inimicis hoc susceptum habebat pro lapidantibus, & flagellantibus eum. Qualis ergo nobis erit venia, qualis excusatio, si nè minimam quidem charitatis portionem, quam ostendit circa inimicos Paulus, nos erga amicos ostenderimus? Et
Exod. 32. beatus item Moses, ante istum pro inimicis voluit lapidantibus eum, deleri de libro Dei. Et Dauid rebellantes aduersùs se, videns interemptos, dixit:
2. Reg. 24. *Ego pastor peccaui, & istì quid fecerunt?* Et Saul inter manus habens, occidere noluit, quin etiam sal-
1. Reg. 24. uauit, idque cum ipse in periculo esset constitutus. Si autem hæc in veteri testamento, qualem veniam nos habebimus in nouo testamento conuersantes, & neque ad mésuram illorum peruenientes? *Nisi enim*
Matth. 5. *abundauerit*, inquit, *iustitia vestra plusquàm scribarum, & Pharisæòrum, non intrabitis in regnum cælorum*. Cum ergo etiam minus habeamus ab illis,
Luc. 6. quomodo intrabimus? *Diligite*, inquit, *inimicos vestros*. Dilige igitur inimicum, non enim illi præstas, sed tibi. Quomodo? Similis efficièris Deo: ille igitur si ametur à te, nihil lucratur, à conseruo quippè dilectus est: tu autem si dilexeris conseruũ, magnum lucrum facies, & efficieris similis Deo.

Vides

Vides: quia nihil gratiæ illi præſtas, ſed tibi? ipſum meritum enim, non illi, ſed tibi comparas. Quid ergo, inquis, ſi ſit malignus? Tanto maior erit, & merces, & pro malignitate ſuà debes illi gratiam, non ſecùs quàm ſi impendiſſet tibi multa millia beneficiorum. Si enim non eſſet valde malus, neque tibi merces valdè creſceret. Proinde quid pro cauſa non amandi dicis, quia malignus eſt, hoc ipſum eſt cauſa amandi. Aufer contrarium certatorem, & auferes occaſiones coronarum. Non intueris atcithas, quomodo ſacculos arenà replentes, ita exercitantur? [Qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitimè certauerit. 2. *Tim.* 2, Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, 1. *Cor.* 9. Certa bonũ certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es. 1. *Timot.* 6.] Tu autem opus non habes, ſtudium his impendere. Plena eſt vita humana exercitantibus te, & facientibus fortiorem: non vides qui, & arbores quantò magis ventis commouẽtur, tantò ampliùs fortiores efficiuntur, & denſæ? Et nos igitur ſi fuerimus longanimes, fortiores erimus. Vir longanimis, inquit, multus eſt in ſapientia: qui autem eſt puſillanimis fortitèr eſt ſtultus. Intueris, quanta huius viri laus eſt, & quanta illius accuſatio? Fortitèr, inquit, ſtultus, hoc eſt, valdè ſtultus. Proinde non ſimus puſillanimes adinuicem. Non enim hoc ex inimicitijs contingit, ſed ex puſillanimitate animæ, ſi verò fuerit fortis, omnia facilè tolerabit, & nihil eam poterit demergere, ſed ad tranquillos eam portus adducet. Fortis eſt, & magni animi, qui inimicũ diligit.

Ipſum inimici nomen procul ſit à ſequentibus Ieſum Chriſtum Dominum, ſicut decet ſanctos, non

modò

modò longè à corde omne odium discedat; exprobrantibus, quæ huis sæculi nequam sunt, dogmata: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Si fieri potest*, Apostolus docet, *quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Et paulò ante: *Nemini malum pro malo reddentes*? Si enim alium, qui tibi insidiatur, vituperas: quid te ipsum accusationi reddis obnoxium? Si malè is fecit, cur ęmulationem non fugis? Et vide, quomodo hic nihil discreuerit, sed communem legem posuerit: Non enim dicit, fideli malum non reddas, sed nemini, etiam si Græcus, si scelestus, aut quisquis alius fuerit. Prouidè patrantes bona coram omnibus hominibus, si fieri potest, quantùm in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuentes.) Hoc est: *Luceat lux vestra coràm hominibus*, non vt ad vanæ gloriæ studium viuamus, sed, nè demus ansam ijs, qui cuperent aduersus nos ipsos: Vndè, & alibi dicit: *Inoffensi estote, & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei*. Benè vero consequentèr, quid velit, declaratd, icēs: *Si fieri potest, quantùm in vobis est*. Contingit enim subinde, vt possibile non sit. Nimirùm, quando de pietate sermo est, quando certatur de iniuriâ affectis. Et quid miraris, si inter alienos homines, hoc non vbique fieri possit, quandoquidem etiam inter virum, & vxorem necessitatem illam, & vinculum pacis dissoluat, cum dicit: Si verò infidelis abscedit, abscedat? Quod autem dicit, tale est: Quæ tui sunt officij, pręsta, nemini dans ansam, seù belli, seu diffidij, siuè Iudæo, siuè Græco. Si verò alicubi pietatem labefactari videris, nè præponas cōcordiam veritati, sed generosè præsistas ad mortē vsque. Et tamen, neque sic animo eris erga aduersarium hostili, neque mente illum auersaberis, sed in

Act. 5.
Rom. 12.
Ibid, hom. 22.
Considerãda animaduersio, mihi singularis
Matth. 5.
1. Cor. 10.
Alibi. Græcis, ac barbaris, sapientibus, & insipiētibus debitor sum. Rom. 1.
Ibid. 7.
Quomodo sit seruanda concordia.

in rebus tantummodò pugnabis. Hòc enim est, quod dicit,(quantùm in vobis est,cum omnibus hominibus in pace viuentes.) Quod,si ille pacem non seruauerit; tu vide,nè animum tuum inimicitià,quasi tempestate oppleas, sed voluntate sis amicus: ita tamen,quemadmodum dixi, vt veritatem non prodas. (Neque vos ipsos vlciscentes dilecti: quin potiùs date locum iræ. Scriptum est enim: *Mihì vltio, ego rependam,dicit Dominus.*) Cui iræ? Dei. Quandoquidem enim hoc potissimùm, qui iniurijs affectus est, videre cupit., vt vltione fruatur, hoc ipsum Deus copiosè, & abundè dabit. Nam, si te ipsum non fueris vltus, Deus erit, qui te iuuando vlciscetur. Permitte itaque, inquit, illi,vt aduersarium tuum in ius vocet: Hoc enim est, quòd dicit, Date locum iræ. Paulus pacis amator, sectator Iesu, qui est pax nostra, hortatur nos,dicens: *Soliciti*, seù studentes, *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*. Liga ergo manus tuas mansuetudine. Rursùs bonum nomen est vinculum,dimisimus ipsũ, sed spontè nobis denuò recurrit: bonũ est illud vinculum; bonum est, & hoc ab isto nascitur illud, Alliga te ipsum fratri. Qui tales sunt, nempè dilectione fratribus alligati, omnia facilè ferunt. Colliga te ipsum illi, & illum tibi: vtrumque in tua potestate est. Possumus enim, si quem voluerimus, facilè amicum nobis reddere; Studentes, inquit,seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quid est vnitas spiritus? Quemadmodum in corpore spiritus est, omnia continens, quamquàm diuersa sint membra: ità, & hic. Nam ad hoc datus est spiritus, vt genere, ac moribus diuersis discretos, vniat. Hic enim senex, & iuuenis, pauper, & diues, puer Ephæbus, & vir, mulier, ac masculus, & omnis anima, vnum

Deut. 32. Ezechiel. 9.

Ephes. 4.

Ex Chrys. ibid. hom. 9.

Quid vnitas Spiritus.

Vbi non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, &

Pp quid

&Scyta,seruus, & liber; sed omnia,& in omnibus Christus! *Coloss.* 3.

quid fiunt: idque magis, quàm si corpus vnum essent. Est enim istà cognatione illa maior, & plenior vnitatis huius perfectio. Animæ siquidē propinquitas tantò est exactior, quantò est simplicior, & non diuersarum specierum. Quomodò verò custoditur? In vinculo pacis: in inimicitijs, & dissensione consistere non potest: *Cum enim in vobis sint æmulationes*, inquit, *& contentiones, nonnè carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Quemadmodum enim ignis, si quando arida ligna nactus fuerit, vnam pyram ex omnibus facit: si verò humida fuerint, neque in illis operatur, nec illa conglutinat? Ita, & hìc nihil eorum, quæ frigida sunt, vnitatem hanc complecti poterit, sed quidquid velut magna ex parte feruidum fuerit. Ex hoc igitur, & dilectionis feruor nascitur: vinculo itaque pacis omnes nos colligari vult Apostolus. Nam, quemadmodum, si quando te ipsum alij cuipiam alligare volueris, alia ratione illud non potes, nisi illum tibi colligaueris (nam si quidem duplex volueris efficere vinculum, oportebit, & illum tibi alligari) ità, & hic alligari nos inuicem vult: non simplicitèr pacificos esse, neque vtcumque diligere, sed in omnibus vnam esse animam. Bonum est hoc vinculum; Isto siquidem, & nos inuicem mutuò, & Deo nos ipsos colligabimus. Non stringit vinctas manus, nec premit hoc vinculum, sed & relaxat, & in spaciosam veluti campestrem latitudinem constituit, solutisque alacriores facit. Qui robustus est, si fuerit infirmo alligatus, & illum portabit, & perire non sinet: & si cum pigro ligatus fuerit, excitabit illum: *Frater enim à fratre adiutus*, inquit, *tanquàm ciuitas munita*: istam catenam impedire non poterit viarum interstitium: non cælum, non terra, nec mors,

Prou. 18.

nec

nèc aliud quidpiam,ſed omnium eſt optima,& robuſtiſſima. Iſta etiam,ſi ab vnà dumtaxàt anima, parta fuerit,plures tamen ſimul complecti poteſt. Audi quippè quid Paulus dicat: *Non eſtis anguſti in nobis, anguſti autem eſtis in viſceribus veſtris: dilatamini, & vos*. Quid autem vinculum hoc lædit, ac perdit? Pecuniarum amor, ambitio dominandi, & gloriæ, aliorumque talium vincula iſta laxant, atque intercidunt. Quomodò cauebitur, nè intercidant? Si amoueris illa,nihilque eorum,quæ dilectionem corrumpunt, interturbauerit, audi Chriſtum dicentem: *Quando abundauerit iniquitas, refrigeſcet dilectio multorum*. Nihil adeò charitati aduerſatur, atque peccatum: & non te illa dumtaxàt, dico, quæ ergà Deum,ſed & quæ ergà Proximum eſt. 2. Corinth. 6. Matth. 24.

Et, quia de vinculis eſt nobis ſermo, conſideremus queſò verba Pſalmiſtæ dicentis:Deus in loco ſancto ſuo: Deus,qui inhabitare facit vnius moris (vel vt alij Codices habent) vnanimes in Domo. Quis eſt locus iſte? ipſe Deus, qui eum ſibi facit: Deus enim habitare facit vnius moris in domo, hic eſt,locus ſanctus eius. Quod autem gratia ſua ſibi ædificet hunc locum,non meritis eorum recedentibus,ex quibus eum ædificat: vide quid ſequatur: Qui educit compeditos in fortitudine. (Soluit enim grauia vincula peccatorum, quibus impediebantur,nè ambularent in via præceptorum; educit autem eos in fortitudine, quam ante eius gratiam,non habebant. Similitèr amaricantes, qui habitant in ſepulchris) ideſt, omninò mortuos occupatos in operibus mortuis. Hi enim amaricant reſiſtendo iuſtitiæ: nam illi compediti forſitan volunt ambulare, nèc poſſunt,Deumque precantur, vt poſſint, eique dicunt: *De neceſſitatibus meis educ me, Pſalm.* 24. A quo exauditi gratias agunt, dicentes: Pſalm. 67. Ex Aug. ibidem *Vulgata legit*: Erue me. *Alibi*: Erue nos in mirabilibus tuis,& da

Dirupisti vincula mea. Isti autem amaricantes, qui habitant in sepulchris, in eo genere sunt: quod alio loco scriptura significat, dicens: *A mortuo velut, qui non sit, perit confessio*. Vnde est illud: *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnet*. Aliud est enim desiderare, aliud oppugnare iustitiam: aliud à malo liberam velle, aliud mala sua defendere potiùs, quàm fateri. [Si enim quis correctus generosè tulerit correctionem, audit à Deo: *Exurge*: veluti cum ad Hierusalem dicit: *Exurge Hierusalem, quæ bibisti de calice iræ*: *Esaiæ 51. ex Chrysostomo homil. 4. de Patientià Iob. tom. 1.*] Vtrosque tamen gratia Christi educit in fortitudine; Qua fortitudine? nisi vt aduersùs peccatum vsque ad sanguinem certent. [Fortitèr, viriliter . . . . manu valida, & forti eos educit. In congruentijs, aliqui, vt R. Selomo, idest, congruentèr, congruo, & opportuno modo, vel tempore. *Genebrardus*.]

da gloriam nomini tuo. Rursùs: Eripuit nos de potestate tenebrarum, &c. Coloss. 1.
Psalm. 115.
Ecclesiast. 17.
Prouerb. 18.
Phras. Apostoli Hebr. 12. Ibi: Nondùm enim vsq; ad sanguinem restitistis, aduersùs peccatum repugnantes, &c.

Idem Propheta, qui dicebat: *Psal. 131. Memento Dñe Dauid, & õnis mansuetudinis eius*: in alio Psalmo cecinit: *Cum ijs, qui odio habent pacem, eram pacificus*. Sed nunc quis nostrum hoc poterit dicere? Rectè enim nobiscum agetur, si cum pacificis simus pacifici. Hic autem etiam cum ijs, qui pacem oderant, erat pacificus. Quomodò ergo nos quoque in hac re rectè geremus? Si tanquàm inquilini hic versemur. (Rursùs enim deduco ratioñe ad ipsum argumẽtũ) Si vt hospites, si nulla eorum, quæ sunt, præsentià retardati. Nihil enim æque pugnæ, & belli causa est, vt amor præsentium, vt gloriæ, vel pecuniæ, vel delitiarum cupiditas. Quando hos omnes funes præcideris, & animam nullo horum retineri videris, tunc videbis, vnde bellum ducat principium, & vndenàm sit virtutis iaciendum fundamentum. Propterea iubet etiam

Psalm. 119. Ex Chrys. ibid.
Consideratio digna Chrysostomo.
Matth. 10.

oues

oues esse inter lupos. Nè dicas: Hæc, & illa passus sum,& ideò euasi sæuus,& efferatus. Etiamsi,inquit, passus fueris innumerabilia,mane ouis, & ità lupos superabis. Hic est improbus,& profligatus;sed habes tantas vires, vt vel malis superior euadas. Quid est oue mãsuetius,quid verò lupo agrestius? Ille tamen ab hac superabitur. Ad autem ostensum est in Apostolis. Nihil est enim mansuetudine potentius, nihil lenitate validius, ac firmius. Quocircà Christus quoque iubet, oues esse inter lupos. Deinde,postquàm sic dixit,tanquã non sufficeret hęc mansuetudo ouis, inquam, ei, quem vult se ostendere discipulum, aliquid aliud adijcit: Estote,inquit,simplices,sicut columbæ,duorum mansuetorum,& simplicium animalium miscens mansuetudinem. Nè mihi dixeris, est improbus,nèc ferre possum; tunc enim maximè ostẽdenda est mansuetudo, quando res nobis fuerit cum sæuis,& agrestibus hominibus, quando cum ijs,qui sunt ab humanitate,& mansuetudine longè alienissimi, tunc eius virtus ostenditur, tunc eius munus,& officium,fructusque clarè ostenditur.

Matth.10.

Ibidem.

Quantũ verò diligat Deus homines,quis intelligit, quis enarret,quis capere poterit. Homo,inquit,peregrè proficiscens vocauit seruos suos,& tradidit illis bona sua,&c. Homo peregrè profectus Christus est post victoriã passionis ad patrẽ iturus:volũtate misericordię homo,non necessitate naturæ. Commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctis: Ad regna enim cælestia ascensurus, & ad patrem suũ iturus, vnde descenderat, peregrè se iturum dicit, propter charitatem Sanctorum,quos relinquebat in terris,cum magis peregrè esset in mundo, sicut ipse testatur,dicens: *Incola enim ego sum in terra apud te.* Quando enim venit in mundum Iesus, adhùc peregrinus

Matth.25.

Ibidem hom.53. ex 55,inter Opera Chrys.tom.2.

Nota.

Phrasis Apostol Rom. 5. Ibi: Cõmendat autẽ charitatem suã Deus in nobis, &c.

Psalm.118.

grinus erat, neminem habens sui nominis confessorē: postquàm autem venit, & Discipulos acquisiuit, iàm paterfamilias erat: & ideò proficiscens de mundo, peregrè proficiscebatur. Vis autem scire, quantùm diligat fideles suos, considera, quid passus est pro eis. Si enim magis, quàm gloriam suam illos amauit, quasi homo moriens propter eos: quid mirum, si maiore dilectione tenebatur Sanctorū, quos relinquebat in terris, quàm dilectione gloriæ, quam habebat in cælis?

Doctrina expēdenda à viris doctis.

Pulchrè Redemptor mundi, Iesus Christus: Hoc est, inquit, *præceptum meum, vt diligatis inuicem*. Alibi: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Et Rex Dauid in Psalmis: Meditabor in præceptis tuis, quæ dilexi nimis. Et leuaui manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis*. Pulcherrimus ordo iste, vt primò meditemur, & eorum præceptorum, quæ diligimus, sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cælestium operis boni vsus inolescit. Nam, sicut meditationi verborum finis memoria est, vt quæ meditamur, verba teneamus: sic meditationis præceptorum cælestium, intentio, vel finis operatio est, actusque directus ad implenda præcepta diuina: quæ, nisi quis diligat, implere non poterit; nèc solùm diligat, sed etiam nimis diligat. Ideò priùs posuit: Et meditabar in præceptis tuis, quæ dilexi nimis. Et subiecit: Leuaui manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis. Post meditationem etenim bonum est leuare actus nostros ad præcepta Dei, atque id facere cum charitate, & gaudio, vt non ex necessitate sit bonum nostrum, non cum mœrore, atque mœstitia, sed voluntarium; *quia seruus inuitus facit, amicus voluntarius*. Nos autem studeamus, vt dicatur nobis: *Iam non dicam vos seruos; sed amicos*: quia, quasi amici

Ioann. 15. *Matth. 5.* *Psalm. 118.* *Ex Ambr. ibid. Oct. 6.*

Itaque eorum obliuione exolescit. Vtinam memores simus mandatorum Dei ad faciendum ea.

Nota.

2. Corinth. 9. *Ad Philem.* *Ioann. 15.*

ci

ci mandatum Dei ex voluntate fecistis. Qui autem meditatur,& diligit,& actus suos leuat,vt faciat, quæ placeant Deo,is debet non negligere,nèc transcurrere mandata diuina, sed exercere se in his, immorari plurimùm,iustificaiiones Dei crebrò reuoluens sollicitę mentis affectu. Nota.

Et, quia diuinæ meditationis fecimus mentionem, libet,(non mihi peccatori,& quid sit meditari Deum penè ignaro) sed orationis studioso,ponere sequentia, vt amor erga maiestatem eius,semper augeatur. Pijssime Domine,qui sic nos amasti,& saluasti,sic viuificasti,& sublimasti, pijssime Domine, quàm dulcis est memoria tua! Quantò magis in te meditor, tantò es mihi dulcior,& amabilior. Idcircò delectant me valdè bona tua puro mentis intuitu, & dulcissimo pij amoris affectu in loco peregrinationis meę iuxtà modulum meum: interim, quamdiù his fragilibus subsisto membris,miram tuam dilectionem,& pulchritudinem indesinentèr cupio desiderare,& considerare. Tuę enim charitatis iaculo vulneratus sum,tuo vehementèr desiderio flagro, ad te peruenire cupio,te videre desidero. Idcircò super custodiam meam stabo,& vigilantibus oculis psallam spiritu, psallam & mente,& totis viribus meis te factorem, & refectorē meum collaudabo, polum penetrabo mente, & desiderio tecum ero; est in præsenti quidem miseria,solo corpore tenear,tecum autem cogitatione, & auiditate,atque omni desiderio sim semper: quatenùs ibi sit cor meum, vbi tu es thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis,multùmque amabilis.Sed,ecce Deus meus pijssime, ac misericordissime, dùm tuę immensę bonitatis, & pietatis gloriam considerare volo,cor meum non sufficit: excedit enim omnem sensum humanę mentis tuum decus,tua pulchritudo,tua virtus,

Ex Augu. manual lib. 1. c. 14. Dulcis de Deo meditatio.

Phrasis Matth. 6. Ibi: Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Et in Psalmis.* Diuitiæ, si affluant, nolite cor apponere. *Psal.* 61

tua

tua gloria, tua magnificentia, tua maiestas, & tua charitas: Sicut inexistimabilis est tuæ gloriæ splendor, ità ineffabilis est æternæ tuæ chariratis benignitas, quà illos, quos de nihilo creasti, adoptas in filios, & tibi coniungis.

Ex Chrys. hom. 48. ad Pop. t. 5.

Et quid Deus non fecit, vt à nobis diligeretur? Quid verò non adinuènit? Quid autem omisit? Ipsum iniuriæ nihil operatum, contumelijs affecimus, quin & infinitis, & ineffabilibus bonis nos prosecutum. Vocantem aduersati sumus, & vndique attrahentem. Nèc ità nos puniuit, sed accurrit ipse, & fugientes cohibuit, & excussi sumus, & ad diabolũ resiliuimus: & nèc ità recessit, sed innumeros misit rursùm consolantes, Prophetas, Angelos, & Patriarchas: nos autẽ non modò legationem non suscepimus, verùm & venientes affecimus contumeliâ. Ille verò, neque hostes nos aspernatus est, sed sicut amatores ardentissimi, qui contemnuntur, circumibat, omnibus occurrens, cælo, terrà, Hieremiæ, Micheæ: non vt grauaret, sed, vt se spernentes excusaret, & cum Prophetis ad ipsos accedebat se auersantes, pœnas pendere patatus, & ad reddendam rationem descendere dignatus. Et ad omnia surdos factos, ad colloquium secum trahens. Ait enim: *Popule meus quid tibi feci? Vel quid te contristaui? Responde mihi*, post hæc omnia Prophetas occidimus, lapidauimus, infinitis alijs, insecuti sumus, molestijs? Quid ergo pro his. Non amplius Prophetas, non Angelos, non Patriarchas, sed ipsum misit filium. Et ipse veniens occisus est: neque sic amorem extinxit, sed magis accendit, & permanet obsecrans: & postquàm ipsius interfectus est filius, & supplicans, & omnia agens, vt ad se conuertat. Et clamat Paulus, dicens: *Pro Christo itaque legatione fungimur, tanquàm Deo per nos exhor-*

Phras. Luc. 15. Ibi: Accurrens cecidit super collum eius.

Mich. 6.

Hierusalẽ, quæ occidis prophetas, &c. *Matth. 23. Et Act. 7.* Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? &c.

2. Corinth. 5.

hortante, vt conciliemini Deo. Sed horum nos nihil conciliauit. Ille verò nèc ità nos deseruit, sed perseuerat, & gehennam minitans, & regnum pollicens, vt vel ità nos attrahat: nos autem immotos adhùc non exhibemus. Quid hac feritate sæuius esse possit? Si enim homo hæc fecisset, nonnè facti sæpiùs ei serui essemus? Deum autem auersamur creatorem: O ignauiam, ò ingratitudinem! qui semper quidem in peccatis, & nequitijs viuimus: si quod nonnunquàm exigunm gerimus bonũ, secundùm ingratos seruos, multum quæstum exigimus, & de retributione subtilitèr computamus, si quam modò mercedem res habet. Et maior quidem merces, si non mercedis spe facias. Hæc enim dicere, & diligentèr rationem supputare, mercenarij magis verba sunt, quã grati serui. Opus est enim propter Christum omnia facere, non propter mercedẽ, sed propter ipsũ. Nam & propterea gehẽnã minatus est, & regnũ pollicitus, vt à nobis diligatur. Diligamus igitùr eum, sicut oportet diligere. Hæc enim magna merces, hoc regnũ, & voluptas, hæ delitię, gloria, & honor, hæc lux, & magna beatitudo, quã sermo declarare nõ potest, nõ mẽs cõprehẽdere.

Nota.

Si seruus est, timet à facie Domini: si mercenarius, sperat de manu Domini: Si Discipulus, audit Magistrum, si filius honorat patrem: quę verò sponsa est, diligit. *Ex Ber.*

In Cantico canticorum reperimus scriptum: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex decem millibus*. Quàm amabilis, quàm admirabilis es Domine Iesu! Candidus, quia Patris splendor: (*Hebr*. 1.) Rubeus, quia partus est Virginis. Color in eo fulget, & rutilat vtriusq; naturæ. Memento tamen antiquiora in eo diuinitatis insignia, quàm corporis Sacramenta: quia non cæpit à Virgine, sed qui erat, venit in Virgine. Candidus charitate diuina, rubeus specie coloris humani, quem Sacramento Incarnationis assumpsit. Meritòque & ipsum, quod est rubeum, benè olet, quia caro Christi sine peccato est; quam per-

Cant. 5. *Ex Ambr. lib.* 1. *de Virg. tom.* 4. *pag.* 347.

Ioann 1. *Ex eod. in Psal.* 118. *Oct.* 5 *vers.* 1. *Esaia* 63.

1. Ioann. 1. fidi contrectantes, manus suas inquinauerunt, sancti venerantes, pietatis odore fragrarunt.

Psalm. 65. *Ex Aug. ibidẽ.* *Deuotè etiam loquitur Dauid Rex in Psalmis, dùm ait: Holocausta medallata offeram tibi.* Quid est *medullata*? Intùs teneam charitatem tuam, non erit in superficie; in medullis meis erit, quod diligo te. Nihil enim interius medullis nostris. Interiora ossa sunt ipsis ossibus. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus [Consideratio vtilis: Forte iuxtà illud: An quæro hominibus placere! Si adhùc hominibus placerem, Christi seruus non essem: *Galat.* 1. Neque propter homines obedias Deo, sed propter Deum, potiùs hominibus: *Ex Chrysostom. hom. 21. in Matth.* Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: 1. *Petr.* 2.] Aliud autẽ intùs sentiens, non offert holocausta medullarũ, cuius autem medullam inspicit, ipsum totum accepit.

Ex Chrys. hom. 76. in Ioann. Intuere Dei dilectionem, tanquàm catenà quadã nostræ dilectioni connexam: idcircò nunc duo, nunc vnum mandatum dicit: nemo enim primum sine altero assequi potest. *Matth. 22.* *Nunc, inquit, in hoc, & lex, & Prophetæ pendent: Nunc quæ vultis vobis homines faciant, eadem vos eis facite.* Hæc est enim lex, & Prophetæ, & plenitudo legis, dilectio, vt hoc in loco testatur. *Ibidem. 7.* *Roman. 13.* Nam, si perseuerantia à dilectione, dilectio à mandatorum obseruatione prouenit: mandatum autem est, vt diligamus inuicem, perseuerantia à mutuà oritur dilectione. Neque simpliciter dilectionem dicit, sed & modum docet diligendi: Sicut ego dilexi vos, inquit. Iterùm ostendit, non odio aliquo discedere, sed dilectione. Quare magis admirari me debetis, pro vobis animam meam pono: vt superiùs, inquit optimum pastorem describens: hoc autem in loco eos admonet, & dilectionis suæ magnitudinẽ, &

qualis

qualis ipse sit, ostendit. Sed qua gratia semper dilectionem extollit? Quoniam hoc est Discipulorum argumentum, hoc virtutem corroborat. Propterea Paulus tantoperè dilectionem laudauit, vtpotè verus Christi Discipulus, qui eius vim sit expertus. [Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto: *Galat. 6. Consule ad intellectũ loci huius, Marquez quæst. in Psal. 136. vers. 1. considerat. 2. pag. mihi 5.*

Meretur amari propter seipsum, Deus, & ab infideli: qui & si nesciat Christum, scit tamen seipsum. Proindè inexcusabilis est omnis, etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum toto corde, tota anima, tota virtute sua: Clamant nempè intùs ei innata, & non ignota rationi iustitia: quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Verùm id difficile, immò impossibile est, suis scilicèt quempiam, liberiuè arbitrij viribus semèl accepta à Deo, ad Dei ex toto conuertere voluntatem; & non magis ad propriam retorquere, eaque sibi tanquàm propria retinere, sicut scriptum est: *Omnes, quæ sua sunt quærunt*. Et item *proni sunt sensus, & cogitationes hominis in malum*. Contra quod planè fideles norunt, quàm omninò necessarium habeant Iesum, & hunc crucifixum: dùm admirantes, & amplexantes supereminentem scienriæ charitatem in ipso, id, vel tantillum, quod sunt in tantæ dilectionis, vel dilectionis vicem non rependere confunduntur. Facilè proindè plus diligunt, qui se ampliùs dilectos intelligunt. Cui autem minùs donatum est, minùs diligit: Iudæus sanè, siue Paganus, nequaquàm talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait: *Vulnerata charitate ego sum*. Et rursùm: *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.*

Ex Bern Tract. de diligẽdo Deo col. mihi 4. & seq tom. 2.

Matth. 22.

Philipp. 2.

Luc. 7.

Cant. 3.

gueo. Cernit Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Cernit vnicum Patris crucem sibi baiulantem. Cernit cæsum, & consputum Dominum maiestatis. Cernit auctorem, vitæ, & gloriæ, confixum clauis, percussum lanceà, opprobrijs saturatum: tandem illam dilectam animam suam ponere pro amicis suis. Cernit hæc, & suã magis ipsius animam gladius amoris transuerberat, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo*. Hæc sunt quippe mala punica, quæ in hortum introducta dilecti, sponsa, carpit ex ligno vitæ à cęlesti pane proprium mutuata saporem, colorem à sanguine Christi. Videt deinde mortem mortuam, & mortis auctorem triunphantem. Videt de inferis ad terras, de terris ad superos captiuam duci captiuitatẽ, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestium, & infernorum*. Aduertit terram, quæ spinas, & tribulos sub antiquo maledicto produxerat, ad nouę benedictionis gratiam innouatam refloruisse. Et in his omnibus illius recordata versiculi: *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei*: passionis malis, quæ de arbore tulerat crucis, cupit insigere, & de floribus resurrectionis, quorum præsertim fragrantia sponsum ad se crebriùs reuisendam inuitet. Denique ait: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus*. Quæ lectulum monstrat, satis quid desiderat, aperit: & cum floridum nunciat, satis indicat, vnde, quod desiderat, obtinere præsumat. Non enim de suis meritis, sed de floribus *agri, cui benedixit Deus*. Delectatur floribus Christus, qui in Nazareth, & concipi voluit, & nutriri. Gaudet sponsus cęlestis talibus odoramentis, & cordis thalamum frequentèr, libentèrque ingreditur, quod istiusmodi refertum fructibus, floribusque respersum inuenerit.

Ioann. 19. vers. 17. Matt. 27. vers. 6 Act. 3 15. Christo confixus sum cruci. Galat. 2. 1 Ioann. 3. 16. Et Ioann. 10. 14 Rom. 5. ver. 6. 7. Cant. 1. Philipp. 2. Psalm. 27. Cant. 1. Genes. 27.

Vbi

Vbi suæ videlicet, aut passionis gratiam, aut resurrectionis gloriam sedula inspicit cogitatione versari, ibi profectò adest sedulus, adest libens. Monimenta siquidem passionis, fructus agnosce, quasi anni præteriti, omnium vtiq; retrò temporum sub peccati, mortisque imperio decursorum, tandem in plenitudine temporis apparentes. Porrò autem resurrectionis insignia, nouos aduerte flores sequentis temporis in nouam sub gratia reuirescentis, quorum fructū generalis futura resurrectio in fine parturiet sine fine mansurum. Iàm, inquit, hyemns transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus aduenisse cum illo significans, qui de mortis gelu in vernalem quandam nouæ vitę temperiem resolutus, *Ecce*, ait, *noua facio omnia*. *Cant. 2.* *Apocap. 21.*

Interrogatus à Pharisæis: quod esset magnū mandatum in lege, respondit Iesus Christus Dominus: (videns quia nulla in eis esset charitas, sed inuidiæ liuore tabescerent,) *Diliges Dominum Deum tuum*. Hoc primum, & magnum mandatum est. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quam autem ob rem simile est huic? Quoniā hoc illud inducit, & ab illo rursùs munitur. *Quicunque enim malè agit, odio habet lucem, & non venit ad lucem*: Et rursùs: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. Deinde sequitur; *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt*; Et iterùm: *Radix omnium malorum, auaritia est: quam quidam appetentes, errauerunt à fide*. Et, *Qui diligit me, mandata mea seruabit*. Quorum caput, & radix est, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Si ergo diligere Deum, diligere Proximum est; *Nam si diligis me, ò Petre*, inquit, *pasce oues meas*: Si etiam dilectio proximi facit, vt mandata custodias, meritò, ait, In hoc totam legem, & Prophetas

Vide aliqua. lib 6. de Cognitione vera vita c. 41. inter Opera August. tom. 9. Ex Chrys. hom. 72. in Matth. *Deuter. 6.* *Ioann. 3.* *Psalm. 51.* *Psalm. 13.* *1. Timoth. 6.* *Ioann 14.* *Galat. 5.* *Ioann. 12.*

phetas

phetas pendere. Et quemadmodùm in superioribus, cum de resurrectione interrogaretur, plus docuit, quàm tentantes petebant: Sic in hoc loco, de primo interrogatus mandato, secundum etiam non valde, quàm primum inferiùs sponte attulit. Secundum enim est primo simile. Ità occultiùs insinuauit odio illos ad quærendum incitari: *Charitas enim*, inquit, *non zelatur*.

1. Cor. 13.

Apostolus vbi ait: *Soli Deo honor, & gloria*, prophetico nequaquàm credendus est obuiare semoni, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur. Puto autem simile esse illud verbum Apostoli, ei, quod item ait: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*. Siquidem non hoc voluit, vt alia quęlibet debita negarentur, præsertim cum idem ipse dicat: *Cui honorem, honorem*: & cætera in hunc modum. Vt ergo pleniùs intelligas, quid in vtroque senserit, quiduè nouerit: vide quemadmodùm inter radios Solis minora quælibet luminaria non videntur. Numquid amota modò sydera arbitramur, numquid extincta? Minimè quidem, sed ampliori claritate quodammodò tecta, interim apparere non posse. Sic ergo dilectio illa, quæuis debita superans, quasi sola regnare debet in nobis, vt quidquid debetur cęteris, sibi vendicet, & ex dilectione omnia faciamus. Sic diuinus pręualere debet honor, & quodammodò præiudicare vniuersis, vt solus ipse non modò præ omnibus, sed in omnibus honoretur. Id ipsum sanè putes dictum etiam de amore. Quid enim extrà ipsum reliquit cæteris, qui totum cor totam animam, totam virtutem Domino Deo suo in dilectione donauit?

1. Timoth. 1. Ex Bern. serm. 11. in Psalm. Qui habitat. Psalm. 138. Roman. 13. Ibidem 6. Phrasis 1. Petr. 4. Ibi: Vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christũ Dominum nostrum.

Benedictus Deus amoris, & pacis, qui nos sibi per crucem reconciliauit. Cum priùs per peccatum hostes

Ex Nanzianz. Orat. 6 cir fin.

ftes ei facti essemus; qui faustum pacis nuncium, tùm his, qui propè erant, tùm his, qui longè, hoc est, tùm ijs, qui legi subiecti, tùm illis, qui à lege alieni erant, attulit, Ille, inquam, charitatis parens, imò ipsa charitas; (his enim nominibus præcipuè delectatur, vt per ipsa quoqne vocabula mutuum amorem quasi lata lege promulget,) qui nouum mandatum dedit, vt tantùm nos ipsos mutuò diligamus, quàm dilecti sumus. Quis verò tanta rerum, verborumque copia instructus existat, qui dignis possit laudibus benignitatẽ Dei explicare? Ipse est, qui illuminat cæcos, qui soluit compeditos, grauemque, & humi vergentem à mortis portis in altum subuehit: respicit in orationẽ humilium: & non spernit precem eorum: ipse prospicit de excelso sancto suo: de cęlo in terram aspicit, vt audiat gemitus compeditorũ: ipse est, qui peccatoris mortem non vult, sed redditum, qui nos etiam ipsos in tenebris, & vmbrà mortis sedentes, illuminauit, ac sapientià instruxit.

Ephes. 2. Ibi: Qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.

Roman 2. Ibi: Quicũque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & qui in lege peccauerũt, per legem iudicabuntur.

Ioann. 13. Ibi: In hoc cognoscẽt omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem, &c.

Ex eod. Nãzian. (aliquibus additis) Orat. 4.

Psalm. 145

Psalm. 9.

Præceptum posuit Legislator: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Deus mandat, & fidelis audit dubitare, imò & contraire. Exurrexit Deus in præcepto, quod mandauit, vt Populus Christianus sequeretur. *Cum enim malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non cõminabatur.* Inter ipsas iniurias non verborum tantùm, sed crucis illatæ, orauit pro iniuriantibus; quasi, sic extenctas manus haberet, vt dirigeretur oratio eius sicut incensum in conspectu Patris. Denique patrem exorauit filius, pro impijs crucifixus, dicens: *Pater, dimttte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quid melius, quàm imitari filium Dei? Quid grandius, quid fructuosius, & tamen homines talem gloriam negligunt, & iniu-

Matth. 5.

1. Petr. 2.

riarum

riarum obliuionem, ac dimissionem contemptum putant: gloriam hominum magis quærunt, quàm Dei. Et quia hùc sermo noster euasit, libet recensere sequentia. Hominis quidem in Republica versantis esse arbitrabatur, dicta, factaque sua omnia hùc referre, vt gloriam, & splendorē, apud exteros assequatur, quippe qui præsenti vita, nihil beatius esse ducat: spiritualis autem, & Christiani vnam tantùm salutem ob oculos sibi proponere, atque ea, quæ ad hanc ducant, plurimi facere: quæ autem ad eam nihil adiumenti afferant, vt vilia, nullliusque pretij aspernari, ob eamqne causam, id, quod in aspectum cadit, pro nihilo putare, id autem vnum spectare, atque in eo elaborare, vt in ęterna optimo, & pulcherrimo statu sint: eaque magni æstimare, ex quibus, & ipse, quā optimus futurus sit, & alios exemplo suo ad optima, quæque pertracturus. Sed inter omnia ipsius ornamenta, nihil æquè pulchrum, eique proprium, ac multitudini etiam cognitum erat, vt simplicitas, & mores doli expertes, atque iniuriarum obliuio. Etenim alius quidem antiquorum, aut nouorum hominum, aliud quiddam præstitisse creditur, (pro ea scilicèt gratia, quam quisque à Deo consecutus est) Iob inuictam calamitatibus patientiam, Moyses, & Dauid mansuetudinem, Samuel, quòd videns ea, quæ à fronte sunt, vocatus sit, Phinees zelum, (à quo etiam nomen obtinet) Petrus, & Paulus animi contentionem in Euangelio prædicando, filij Zebedæi grandiloquentiam, vnde & filij tonitrui appellati sunt, (& quid omnes enumerem, cum apud eos, qui hæc norunt, orationē habeam?) At Stephanum, & patrem meum nulla res proindè nobiles, & insignes reddit, ac morum placiditas, & innocentia. Ille quippè, nè in periculum quidē vitę adductus, eos, à quibus impetebatur, oderat,

Ex Nazianzeno Orat. 19. quæ est funebris in laudē sui patris nu. 25. & seq.
Nota.
Politici, & Christiani discrimen.
Iniuriarū obliuio.
Psalm. 131.
Psalm. 105. Ibi: Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio.
Nota hāc Phrasim.
Marci, 3

verùm

verùm, cum lapidaretur, pro lapidantibus orabat, vt Christi Discipulus, pro quo etiam cruciatum sufferebat, maius aliquid morte Christo offerens, nempè longanimitatem: [Ad imitationem Dei, & Christi Iesu, de quo dicitur, *Longanimis, & multũ misericors.* Suauis, & mitis omnibus inuocantibus eum:] hic autem nullum temporis momentum inter obiurgationem, & veniam fluere patiebatur: adeò, vt ignoscendi celeritate mæror quoque ipse penè surriperetur. [Dixi: Confitebor aduersũ me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatẽ peccati mei: *Psal.* 31. Et beato illi latroni dicenti: *Memento mei, dùm veneris in regnum tuũ:* respondit Dominus, *Hodiè mecum eris in Paradiso:* Nè dilatione gratia minueretur.]

Apostolus sua voce admonet: Omnia licere, sed non omnia expedire: 1. *Corinth.* 6, Audacia tamen hominum non ad id, quod expediens, aut decorum est, sed ad id, quod ipsis possibile est, respiciens, contraria molitur. Vnde & manus in diuersum mouens, cedes perpetrat, & auditum ad obauditionem, aliaq; membra pro legitima liberorum procreatione, ad adulterium: Linguam item pro benedicentia ad blasphemias, conuicia, & peierationes traducit. Rursùs manus ad furta, & verberationes hominum sibi specie similium, & olfactum ad multiplicia genera meretriciotum odorum; pedes verò ad celerem impetum effundendi sanguinis, ventrem quoque ad ebrietatẽ, & satietatem inexplebilem transfert. Quæ omnia vitia, & crimina animæ sunt, causæque horum non aliundè, quàm rerum meliorum auersatione.

Ex Athanasio Orat. cõtrà Idola pag. mihi 3.

Homines audaces, quomodò?

Membris suis abutitur homo, à Deo alienus.

Non hæc sola est forma iustitię, vt non lædas eum, qui te non læserit, sed etiam illa, vt etiam ei remittas qui te læserit. Lædimur plerumque fraude alterius,

Ex Ambr epist. 25 lib 3 pag. mihi 10.

Nota.

Quare non magis iniuriã accipitis? Quare nõ magis fraudem patimini? Sed vos iniuriã facitis, & fraudatis, & hoc fratribus? 1. Corinth. 6 Nulli malum pro malo reddentes, &c. Rom. 12.

Psalm. 36.

Psalm. 25.

dolo proximi. Numquid hoc virtutis putamus, vt dolum dolo vlciscamur, fraudẽ referamus fraudibus? Etenim si iustitia, virtus est, crimine debet vacare, nèc improbitatem improbitate refellere. Quæ enim virtus, hoc à te fieri, quod in altero ipse punias? Contagio ista improbitatis, non vltio est. Nihil autem interest, cui malefacias, vtrùm iusto, an iniusto, cum te malefacere non oporteat. Neque distat, quomodò malignus sis, vtrùm iusto vindicandi studio, an voto nocendi, cum malignitas in vtroque genere non careat reprehensione. Nam malignum esse, ab iniusto nihil distat: ideòque dictum est: *Noli malignus esse inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem*; Et suprà idem: *Odio habui congregationem malignantium*. Omnes vtique complexus est, nullum excepit; malignitatem tenuit, non causam interrogauit. Quæ autem melior forma, quàm iustitiæ diuinæ? Dicit enim Dei filius: Diligite inimicos vestros. Et iterùm dicit: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, Matth.* 5. Eò vsque perfectis studium adimit vltionis, vt lædentium charitatem imperet. Et, quoniam in veteri scriptura dixit: *Mihi vindicta, ego retribuam*: In Euangelio ait, Orandum pro ijs, qui læserunt, nè in eos vindicet, qui vindicandum promisit. Vult enim ex tua dimittere voluntate, in quo ex sua conuenitur promissione. Quod, si vindictam requiris, habes, quia iniustus amplius suis punitur opinionibus, quàm iudiciarijs seueritatibus.

Si diligitis eos, qui vos diligũt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligẽtes se, diligũt. Luc 6. Matth. 5. Deuter. 32. Matth. 5. Recogita verba Psalmistæ dicẽtis: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: Psal. 7. Ex Chrys. hom. 14. in Acta.

Qui didicit misereri eius, qui in calamitate, discet etiam non reminisci malorum sibi irrogatorum, ac inimicis benefacere poterit. Discamus proximorum malis confringi, & compati; & discemus etiam illorũ mala

Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus: Rom. 12. Consule ad intellectum, Bernar. ser-

mala ferre. Illum interrogemus, qui etiam malè ergà nos affectus est, an non condemnes seipsum, an non velit resipiscere, an non totum esse dicat iræ, vel pusillanimitatis, vel miseriç, an velit esse is, qui contumeliam ferat, & sileat, & non contumeliam inferens, ac insaniens, & admiratus pessum abeat. Nè putes, quod hoc contemptibiles facit; Contumelia afficere, non tàm venerabiles facit, atque contumelias ferre. Ille enim est contumeliosus, hic verò philosophus: & ille quidem homine peior, hic verò Angelis par. [Idcircò & diuina Scriptura propter affectiones illas interturbantes ab irrationabilibus, & à feris ignominationes his, qui ratione insigniti sunt, imponit, &c. *Ex Chrysostomo homil. 12. in Genesim*.] Licèt enim minor fuerit eo, qui contumeliam fecerit: attamen si voluisset, potens fuisset, vlcisci. Et alitèr etiam ab omnibus misericordiam consequetur hic quidem, ille verò exosus erit. Quid igitùr? Nonnè hinc etiam illo multò melior erit: illum enim, vt insanientem, hunc verò vt prudentē obseruabunt omnes. Quando igitur cogeris, vt aliquem crimineris, dic ad illum, Non possum illi maledicere. Timeo enim, ne fortè sit talis: maximè quidem in mente nè dicas, sed neq; alteri, nè in hoc cum Deo pugnes. Si videris vituperari quemdam, adiuua. Dic, passionis, non viri, verba sunl, dic iræ, non amici, insaniæ, non animæ. Hæc cogitemus de vnoquoque peccato. Nè expectes accendi ignem, sed anteà comprime, nè exacerbes bestiam, sed neque exacerbari sinas: non enim poteris illum compescere, si flamma accendatur. Quid enim dixit, Insipiens, & stulte? Vtri igitur imputatur, dicentinè, an audienti? Nam ille quidem, licèt valdè sapiens, in stulti existimatione erit: hic etiam, licèt insi-

sermon. 10 super Cantic. & anno legis, amice, memento mei peccateris.

Contumeliosus, qui infert iniuriam, non qui patitur.

insipiens, sapiens, ac philosophus habebitur. Vter insipiens dic, oro, is nè, qui alteri dicit ea, quæ non sunt, an is, qui neque sic mouetur? Nam, si sapientiæ est, etiamsi mouearis non moueri, magnæ vtique insipientiæ est, si non mouearis, quem plagis affici, nondùm dico, quis locus pœnæ repositus sit his, qui talia opprobrant, & maledicunt.

Ex Chrys hom. 70. in Ioann.
Apocalyp 4.
Ioann. 13.

In Euangelio Aquilæ volãtis, illius, inquam, Apostoli, quem diligebat Iesus, ab ipso dictum legimus: *Qui manducat mecum panem, leuabit contrà me calcaneum suum.* Quasi diceret, qui apud me nutritus est, qui mecum manducat: hæc autem dicit, erudiens nos, vt bonum pro malo reddamus, etiam his, qui nõ sunt corrigibiles. Et non dixit: Tradet me; sed, leuabit calcaneum suum contra me: vt dolum, & fallaciam deceptoris ostendat. Hæc autem scripta sunt, nè iniuriantibus nobis succenseamus, sed, vt eos arguamus, & deploremus, lachrymis enim digni sunt, non qui afficiuntur, sed qui inferunt iniuriam. Nam seipsos maximè lędunt, cum rapiunt, cum calũniantur, cum aliud simile machinantur: nobis verò maximè proficiunt, si non vlciscemur. Vt exempli gratia: Rapuit ille abs te aliquid, pro iniurià gratias egisti, & laudasti Deum: multùm illà gratiarnm actione lucratus es, quemadmodùm ille immensum sibi ignem præparauit. Quod si quis diceret: Quid enim, si iniurias vlcisci non potuimus? Illud respondebo, quod potuimus saltem ęgrè ferre, & expostulare, imprecari, & maledictis prosequi iniuriantem, & apud omnes eum accusare. Hæc enim in nostra sunt potestate: quæ, si non fecisti, etiam non vlciscendi mercedem accipies: cõstat enim, quod si posses, non vlciscereris, nam qui iniurià afficitur, quibus potest armis, vtitur:

Nota.

pusil-

pusillanimus imprecationibus, & maledictis, & insidijs vlciscetur: his tu non solùm abstineas, sed pro eo precare, hoc pacto Deo similis efficieris: *Orate*, inquit, *pro persequentibus vos, vt similes efficiamini patri vestro, qui est in cælis.* Vides, quàm magna lucremur ex persecutionibus? Nihil adeò Deum delectat, quàm non malum pro malo, imò pro malo bonum reddere: [Non reddentes malum pro malo, neque maledictũ pro maledicto: sed econtrariò benedicẽtes: 1. *Pet.* 3.] Ideò Christus sui proditorem beneficijs affecit, pedes lauit, clàm arguit, parcè perterruit, admonuit, mensa, & osculo dignatus est: neque tamen ille factus est melior, sed in proposito perstitit: sed age, & seruorum exemplo, qui plurimi in veteri habentur testamento, te erudiamus, vt intelligamus, nullam nobis esse succensendi materiam. Vultis Moysen? An altiùs repetamus? quantò enim vetustiora ostendẽtur exempla, tantò magis vos conuincemus. Quid tandèm? Quia, tunc difficilior erat virtus: nondùm enim illi leges scriptas habebant, non vitæ exempla, sed nuda per se erat natura, nullis auxilijs nitebatur: propterea cum laudaret Noe, non simplicitèr *perfectum* appellauit, sed addidit *in generatione sua;* hoc est, in illis temporibus, quibus multa erant impedimenta: nam post eum claruerunt alij, non tamen ipse inferior, in temporibus enim suis perfectus fuit. Quis ergo ante Moysen patiens? beatus, & generosus Ioseph, qui continentià clarus non minùs claruit patientia, nihil iniustè fecit, sed seruiendo, colendo, omnia seruilia munia agendo, fratrũ odio minimè offensus est: neque expostulauit, cum patrem haberet amantissimum sui, sed tulit ad eos cibum in desertum, neque non inuentis maledixit, neque reuersus est, quod

Matth. 5.

Nota.

Cõsideratio singularis. Nè manifeste redargutus, impudẽtior fieret, *Hieron. in Matth.* 26.

Nota.

Genes. 6.

Ibid. 37. & *seq.*

quòd haud immeritò poterat, si voluisset: Sed ad crudeles illos, & immanes properauit, verè fraternũ seruans affectum; indè carceri intrusus, rogatus causam, nemine accusato, tantùm nihil se fecisse, & se furtim ex Hebræorum terrà abreptum dixit: post hæc in potestatem ascitus, laborantibus fame fratribus subuènit, eosque multis liberauit calamitatibus; nam si boni erimus, nulla proximi malitia virtutem nobis auferre poterit. At illi contrà, in eius perniciem accinguntur, in somnium exprobrabant, & acceptis ab eo cibis, & vita, & libertate, spoliare eum machinantur: & dùm comederent, circumspectabant fratrem nudum in cisternam demissum. Quid hoc immanitate crudelius? quibus homicidijs non erant immaniores? Inde eum barbaris, & feris hominibus, & ad barbaros euntibus venditum innumeris mortibus tradiderunt. Ille autem factus Rex, non modò non vltus est, sed crimen in se patratum excusauit, quod Dei dispensatione, non fratrum malitià, factum est: & quod in eos fecit, non irà, sed fratris gratià simulauit: & cum eos videret supplices conqueri, statim abiectà omni simulatione, in fletum prorupit, & tanquàm optimè de se meritos complexus est, qui ab eis iam, quantum in ipsis fuit, interemptus: & omnes in Ægyptum accersiuit. Quàm ergo habebimus excusationem, post legem, post gratiam, post tantæ sapientiæ traditionem, cum qui ante legem fuit, minimè imitamur? [*Consule Hieronym. in Matth. cap. 5. vers. Ego autem dico, &c.* Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: 1. *Corinth.* 11. *Alibi*: Estote ergo imitatores Dei, sicut filij carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, &c. *Ephes.* 5.]

Dilectio sine simulatione. *Rom.* 12.

Passus es aliquid mali, sed si velis, non est malum:

gratias

gratias age Deo,& malum in bonum fuerit transmutatum. Dic tu quoque, quemadmodùm & Iob: Sit nomen Domini benedictum in sæculum. Quid enim tale, quæsò, passus es? Incubuit morbus? At nihil nouum est: corpus enim mortale nobis est,& pati natum. Sed pecuniarum inopia? Verùm,& hæc acquiri possunt, & amitti, & hic tantùm manent. Sed ab inimicis insidiæ, & calumniæ? Sed nos in his iniuriam non patimur, sed illi, qui faciunt: ait enim; *Anima, quæ peccat, ipsa & morietur*. Peccauit autem, non qui malè passus est, sed qui malè fecit. Non enim mortuum oportet vlcisci, sed orare pro eo, vt eruatur à morte. Nonnè videtis apem, quemadmodùm immoritur aculeo? Per illud nos animal docet Deus, nè proximos afficiamus tristitià: ipsi namque priùs mortem excipimus. Et illos quidem fortè paululùm lædimus, nos autem non ampliùs viuemus, quemadmodùm, nèc illud animal. Et si laudat illud scriptura, quod operarium sit, asserens, cuius opus reges, & priuati ad sanitatem offerunt: nihil tamen ipsi prodest, nè moriatur: sed omninò moriatur, est opus. Si verò non illam liberat malè facientem in reliquis præstantia, multò minùs nos. Ferarum est verò sæuissimarum, nemine quempiam lædente, iniuriam incipere, imò verò neque ferarum; Illæ namque, si permittas in deserto se pascere, neque coangustans in necessitatem redegeris, nunquàm lædent, nunquàm impetent, nunquàm mordebunt, sed propriam transibunt viam: tu verò cum sis homo rationalis, tantò decoratus principatu, tanto honore, & gloria, cir-

Ex Chrys. hom. 68. Ad Popul.
Iob 61.
Phrasis etiam Psalm. 71. vers. Sit nomen eius benedictum in sæcula.
Ezechiel. 18.
Sæuire namque in mortuum, nimia prorsùs crudelitas est, & inusitata.
Eccles. 11.

cà consanguineos feras imitaris, & iniurià fratrem afficis, & deuoras: & vnde poteris excusari? Non Paulum audis dicentem: Quare potiùs iniuriam patimini? Quare potiùs non priuamini? At vos iniuriamfacitis, & aufertis, & hæc fratribus. [1. *Corinth.* 6. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? *Vulgata*.]

Genes. 1. *1. Ioann.* 4. *Ex Tract. de creatione Primi hominis incerti Auctoris inter Opera Aug. t.* 9.

Sicut Deus, qui hominem ad similitudinem suam creauit, charitas est, bonus est, iustus est, patiens, & mitis est, mundus, & misericors est, & alia virtutum sacra insignia, quæ Deo leguntur [Tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ, & verax: *Psalm.* 85. *Et alibi*: Miserator, & misericors Dominus, longanimis: *Esaia* 102. *&c. Rursus*: Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies, &c. *Ibidem*.] Ita homo creatus est, vt haberet charitatem, vt bonus esset, iustus, patiens, ac mitis, mundus, & misericors foret. Quas virtutes, quantò plus quisque in seipso habet, tantò propinquior est Deo, & maiorem sui conditoris similitudinem gerit. Si verò, quod absit, aliquis per deuia vitiorum, & diuortia criminum ab hac nobilissimà sui conditoris similitudine degener aberret: tunc fiet de eo, quod scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit, &c.* Quis maior honor poterit homini esse, quàm vt ad similitudinem sui conditoris conderetur, & eiusdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & conditor? De quo legitur: *Dominus regnauit, decorem indutus est*: idest, omni splendore virtutum, & totius bonitatis decore indutus. Vel,

Psalm. 48. *Psalm* 92.

quod

quod maius potest esse homini dedecus, aut infelicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloriâ sui conditoris amissâ, ad informem, & irrationabilem brutorum, iumentorumque delabatur similitudinē? Quapropter quisq; diligentiùs attendat primæ suæ conditionis excellentiam, & venerandam Sanctæ Trinitatis in se ipso imaginem agnoscat; honoremque similitudinis diuinæ, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contēdat: vt, quando apparuerit qualis sit, tunc similis illi appareat, qui se mirabilitèr ad suam similitudinem in primo Adam condidit, mirabiliùs in secundo reformauit. [Nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus: Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniā videbimus eum, sicuti est 1. *Ioan*. 3. Et Paulus ait: Cū Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ. *Colos*. 2.

Homo cum in honore esset, (idest factus ad imaginem, & similitudinē Dei, homo prælatus iumentis) comparatus est iumentis insēsatis, vel, insipientibus, & similis factus est illis. *Psal*. 48. Vbi, Chaldęus, Homo peccator in honore non demoratur cum iustis: assimilatus est bestię mutæ: *Consul. Genebrar.*

Hoc est, Dominus Iesus inquit, *præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. Siuè dicatur præceptum, siuè mandatum, ex vno verbo Gręco vtrumque interpretatur, quod est . . . . Iam verò istam sententiam, & ante dixerat, de qua, me vobis, vt potui, disputasse meminisse debetis. Ibi enim sic ait: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Huius itaque mandati repetitio commendatio est; nisi quod ibi mandatum, inquit, nouum do vobis, hic autem: hoc est, inquit, mandatum meum. Ibi tanquam non fuerit ante tale mandatum, hic tanquā non sit aliud eius mandatum: sed ibi dictum est nouum, nè in vetustate nostra perseueremus, hic dictum est meum, nè contemnendum putemus. Quod autem hic ità dixit; Hoc est mandatum meum, ve-

Ioan. 14. *Ex Aug. ibidem Tract*. 83.

Tract. 65. *Ioan*. 13.

Sæpe in verbis sanctæ linguæ repetitio firmamenti habet vim Paratum cor meum *Psal*. 56. Alio loco dicit: Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine

ne dominum. lut non sit aliud, quid putamus fratres mei? Numquidnam solùm eius de illa dilectione mandatũ est, qua diligimus inuicem? Nonnè est & aliud maius, vt diligamus deum? Aut verò de sola nobis dilectione mandauit, vt alia non inquiramus? Tria certa commendat Apostolus dicens; *Manent autem Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas*. Et si in charitate, hoc est, in dilectione concluduntur duo illa præcepta, maiora tamen dicta esse non sola. De fide igitur nobis, quã multa mandata sunt, quam multa de spe; quis potest cũcta colligere, quis ẽumerãdo sufficere? Sed intueamur, quod ait idẽ Apostolus: *Plenitudo legis, charitas*. Vbi ergo charitas est, quid est quod possit deesse? Vbi autem non est, quid est quod possit prodesse? Dæmon credit, nec diligit, nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit, nemo autem potest desperare, qui diligit. Itaque vbi dilectio est, ibi necessariò fides, & spes, & vbi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei, qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam se ipsum, quandoquidem non diligit & se ipsum? Est quippè impius, & iniquus: *qui autem diligit iniquitatem*, non planè diligit, sed *odit animam suam*. Hoc ergo præceptum Domini teneamus, vt nos inuicem diligamus, & quicquid aliud præcepit, faciemus: quoniam quidquid est aliud, hic habemus. Discernitur quippè ista dilectio ab illa dilectione, qua se inuicem diligunt homines, sicut homines: nam, vt discerneretur, adiunctum est, sicut dilexi vos. Vt quid enim diligit nos Christus, nisi vt regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo, & nos inuicem diligamus, vt dilectionem nostram discer-

Ibid. 16. Consule August. in Psal. 74. vers. Cõfitebimur tibi Deus, &c.

Hoc est maximum, & primũ mandatũ *Matt. 22.*

1. Cor. 13.

Rom. 13.

3 Sent. dist. 36. c. 1

Psal. 10.

ſcernamus à cæteris, qui non ad hoc ſe inuicem diligunt; quia nec diligunt, qui autem ſe propter habendum, Deum diligunt, ipſi ſe diligunt: ergo, vt ſe diligant, Deum diligunt: non eſt hæc dilectio in omnibus hominibus, pauci ſe propterea diligun, vt *ſit Deus omnia in omnibus*.

Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pſalm 10. Id eſt, animæ ſuæ ſalutem. Genebr.

1. Cor. 15.

Magnum quiddam, dilectio eſt, & igne ipſo vehementius, ipſum cælum petit, cuius vim nihil retardare poteſt. Iudas ſanctus, non immundus, nec inſectator Domini, ſed ſectator, cauſam quęſiuit, quare ſe non mundo, ſed ſuis manifeſtaturus eſſet Ieſus, quare adhuc modicum, & mundus non videret eum, ipſi autem viderent eum? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: *Si quis diligit me, ſermonem ſeruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat*. Ecce expoſita eſt cauſa, quare ſe ſuis manifeſtaturus eſt, non alienis, quos mundi nomine appellat, & ipſa eſt cauſa, quòd hi diligant, illi non diligant: ipſa cauſa eſt, de qua ſacer intonat Pſalmus, *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*. Qui enim diligunt, quia diligunt, eliguntur: qui verò non diligunt, *ſi linguis hominum loquantur, & angelorum, ſiunt æramentum ſonans, & cymbalum tinniens, & ſi habuerint prophetiam, & ſcierint omnia ſacramenta, & omnem ſcientiam, & habuerint omnem fidem, vt montes transferant, nihil ſunt, & ſi diſtribuerint omnem fidem, vt montes transferant, nihil ſunt, & ſi diſtribuerint omnem ſubſtantiam ſuam, & tradiderint corpus ſuum, vt ardeat, nihil eis prodeſt*. Dilectio ſanctos diſcernit à mundo, quæ *facit vnanimes habitare in domo*, in qua domo pater, & filius manſionem faciunt, qui donant & ipſam dilectionem,

Ex Chryſoſt.

Ex Aug. Tract. 76. in Ioan.

Pſal. 42.

1. Cor. 13.

al. Myſteria.

Pſal. 67.

Vulgata legit: Vnius moris in domo.

quibus donent in fine etiam ipsam suam manifestationem. De qua discipulus magistrum interrogabat, vt non solùm illi, qui tunc audiebant per os eius; sed etiam nos per Euangelium eius hoc nosse possemus; quæsierat enim de Christi manifestatione & audiuit de dilectione, atque mansione. Est ergo quędam Dei manifestatio interior, quam prorsus impij non nouerunt, quibus Dei patris, & Spiritus sancti manifestatio nulla est, filij verò potuit esse, sed in carne, quæ nec talis est, qualis illa; nec semper illis adesse potest, qualiscumque sit, sed ad modicum tempus; & hoc ad iudicium, non ad gaudiũ, ad supplicium, non ad præmium.

Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mũdo, &c *Ioan.* 17. *Alibi:* Fratres eius, qui neque credebant in eum, dixerunt ad eum: si hęc facis, manifesta te ipsum mundo? *Ibid.* 7.

Dominus dicit: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Qui habet in memoria, & seruat in vita, qui habet in sermonibus, & seruat in moribus, qui habet audiendo, & seruat faciendo: aut qui habet faciendo, & seruat perseuerando, Ipse est, inquit, qui diligit me. Opere est demonstranda dilectio, nè sit infructuosa nominis appellatio. Vide itaque, vt præcepta Dei teneas. Sed quomodo teneas? Non memoriâ, sed vitâ; Iuxta illud: *Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* Memoria retinentibus mandata eius, non vt reddant ea, sed vt faciant ea. Iam fortè modò perturbatur vniuscuiusque anima. Quis tenet omnia mandata Dei? Quis tenet omnes literas Dei? Ecce volo non solùm memoriâ retinere, sed & operibus meis facere. Sed quis tenet omnia memoria? Noli timere, non te onerat; In duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Sed totam legem volo tenere, Tene si potes. Quando potes, quomodo potes? Quamcumque paginã interrogaueris, hoc tibi respodebit; Quod tenes, tene:

Ex eod. ibidem Tract. 75.

Ex eod. in Psal. 101. *Psalm.* 102.

Præcepta dominica multa sunt & vnum, multa per diuersitatẽ ope-

tene: charitatem tene, finis præcepti est charitas: Noli cogitare de multitudine ramorum: radicem tene, & tota arbor in te est. operis, vnum in radice dilectionis, &c. *Greg.*

Quod autem, & lapidum pretiosorum naturam, & cuiusuis mellis voluptatem plurimùm diuina exuperent, audi prophetam, quibus verbis eorum asserat præstantiam. *Desiderabilia*, inquit, *super aurũ, & lapidem pretiosum multum*, *& dulciora super mel, & fauum:* Sed benè valentibus tantùm; quamobrem subdidit: *Etenim seruus tuus custodit ea*. Et alio in loco, cum suauia dixisset, addidit: *Faucibus meis*. *Quam suauia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua*. Et iterùm, vt eorum significaret excellentiã: *Super mel*, inquit, *& fauum ori meo*, cum in bona esset valetudine. Non igitur morbo aliquo affecti, sed animæ priùs curà adhibità, hoc pabulum accipiamus. *Ex Chrys. Prologo in Euang. Ioan. tom. 3.* *Psal. 18.* *Psal. 118.* *Psal. 18.* Doctrina, diuina animæ pabulum.

Dicat crebrò anima deuota: Expectanti mihi, Domine Iesu, aliquando venisti, direxisti gressus meos in Euangelio, immisisti in os meum canticum nouum, quod est nouum testamentum. Gaudentes iam, canamus hymnum Deo nostro, quia nouarum virtutum præcepta cognouimus; iam nostra omnia relinquamus, Christum sequentes, & nostros diligamus inimicos. Nouos enim hausimus mores, vt pro persequentibus nos, precem Domino deferamus. Maledicentes, ecce benedicimus. Nescimus opera nostra iactare, aut cælare peccata. Angelorum etiam more nuptias refutamus. *Ex Ambrosio in Psal. 39. vers.* Et direxit gressus meos, &c. *Apocal. 14.* *Matth. 19.* *Ibid, 5.* *1. Cor. 4.* *Matth. 22.*

Scriptum est, quia finis legis est Christus. Non defectus vtique, sed plenitudo legis in Christo est: *quia venit legem non soluere, sed adimplere*. Sicut enim testamentum vetus venit non soluere, sed implere, ità nouum certificare. Sed sicut omnis veri- Ex *Ambros. in Psal.* 118. Octon. 18. *Matth. 5.*

tas


tas in nouo est testamento, ità & lex per Moysen data, figura legis est verè: Ergo illa lex, veritatis exemplar est. In Exemplari enim agni sanguis effunditur, in veritate Christrus immolatur. Meritòque Apostolus, cum præmisisset vitulorum immolationem secundum legem, adiecit: Necessarium itaque est, exemplaria cælestium his mundari; nam ipsa cælestia melioribus hostijs. Non enim in manufacta sancta intrauit Christus, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, & nunc apparet vultui Dei pro nobis; vt cognoscamus autem, quia legem nouam dedit Dominus Iesus, habes dicentem Spiritũ: *Hoc autem est Testamentum, quod testabor ad eos, dicit Dominus. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in sensibus eorum scribam eas, & peccati, & iniustitia eorum non ero memor*. Vbi ergo remissio, iam non oblatio pro peccatis. Quo euidentèr ostenditur, omnem veritatem Euangelio contineri, quia lex Dei in sensibus hominum, & in cordibus scribitur, non *in tabulis lapideis*. Qui ergo præcepta Dei, nõ habent in cordibus suis, non habent legem, siuè quia inueteratur in Iudæis, renouatur in nobis, vmbra est, non veritas: vt, cum fiat oblatio pro peccatis, secundum legem, non fiat remissio peccatorum. Impossibile est enim sanguine taurorum, & hircorum peccata mundari. Mendax ergo erat illa remissio, donec remissionis veritas adueniret.

1. Cor. 10. Exod. 12. Hebr. 9. Hieren. 31. Hebr. 10. 2. Cor. 3. Hebr. 10.

DE

DE DILECTIONE DEI, ET PROXIMI.

LIBER SEXTVS.



Iſcamus, quæsò, martyrum exemplo, mundi diuitias contemnere, præſentis ſæculi voluptatem non amare, regnum cæleſte deſiderare, Chriſto nihil præponere, ſed eius mandatis in omnibus obedire, paupertatem præſentium rerum diligere, virtutum diuitias habere, ſapientiæ theſaurum appetere, ſpiritales delicias quærere, nulli inuidere, ſed omnes homines diligere, amicos in Deo, & inimicos propter Deum, quia hæc eſt vera, & ſola dilectio. Nã amor carnalis, & vitioſus in præcipitium trahit, & comparabitur odio: vnde ſcriptum eſt: *Qui vult amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur*: Iſti ergo prĩcipes noſtri in amore Dei perfectiſſimo, & in proximorum dilectione repleti, hinc potuerũt mundi impetum vincere, & cruentum ſæculum domare, quia nihil amauerunt in omni re, niſi Dei voluntatem. [*In Pſal.* 142. Doce me, inquit, facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *& Apoſtolus*: Non ceſſamus prò vobis orantes, & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis Dei, &c. *Coloſſ.* 1. *Iterum*: In lege eius meditabitur die ac nocte, in qua eſt voluntas eius: *Pſal.* 1.] Ita & nos, fratres, diligamus in omnibus rebus Dei facere voluntatem, & creatorem noſtrum amemus in ſemetipſo,

Ex Auguſt. de ſanctis ſer. 44.

Iacob. 4.

1. Ioan. 4.

so, creaturam verò in conditore suo: & sic habebimus ordinatissimam charitatem: quia Deus charitas est: & qui diligit hanc dilectionem, diligit Deum. Et si ita dilexerimus, diligit nos ipse Deus, diligũt nos & sancti Apostoli, iudices nostri, & exorant pro nobis, vt in vniuersali iudicio Christi cum ipsis in perpetuum coronemur.

Ex Aug. in Ps. 92.

Nihil æquè pulchrum, & Iesu Christi discipulis, quibus afferat ornamentum, decusque maius, quàm iniuriarum obliuio. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* Illi verò detrahunt nobis, aliquando nobis absentibus faciunt tanquam post dorsum tuum sunt: aliquando coràm in faciem, sicut Domino faciebant pendenti in cruce: Si filius Dei est descendat de cruce: non opus habes fortitudine, quando tibi aliquis detrahit absenti, quia non audis, nec sentis. Si autem in faciem tibi dicat, opus est, vt fortis sis. Quid est, fortis sis? Vt feras, nè fortè ideò te putes fortem, cùm audieris, quia percutis pugno, victus conuicio: Non est ista fortitudo, si conuiciatus percutias, quoniam ab irà victus es. Et valdè stultum est, hominem victum, fortem dicere, cum dicat scriptum: *Melior est, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem.* Meliorem dixit iræ victorem, quàm ciuitatis captiuatorem. Habes ergo aduersarium magnum in te ipso. Cum audito conuicio, ira cæperit surgere, vt reddas malum pro malo, recordare verba Apostoli: *Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto:* His verbis recordatis frangis iram, tenes fortitudinem, & quia coram te ille tibi maledixit, non post dorsum tuum præcinctus es illà.

Quis sit verè fortis?

Prouerb. 16.

1. Pet. 3.

Psal. 111.

Suauis quidem, vel iucundus vir, qui miseretur,

tur,& commodat. Non enim eum euomet Deus ex ore suo tanquàm insuauem. *Dimittite*, inquit, *& dimittetur vobis: date,& dabitur vobis*: In eo, quod dimittis,vt dimittatur tibi,misereris: in eo,quod das, vt detur, tibi commodas:quàmuis enim generali nomine omnis misericordia dicatur,qua misero subuenitur,interest tamen,vbi non impendis,nèc sumptum pecuniæ,nec corporalis laboris industriam,sed ignoscendo,quod in te quisque peccauit, & tuorum gratis comparas veniam peccatorum. Hæc duò benignitatis officia ignoscendorum peccatorum,& beneficiorum erogandorum, sicut in Euangelio, quod commemorauimus, Dimitte, & dimittetur vobis, date,& dabitur vobis: sic in isto versu arbitror esse distincta: Suauis vir, qui miseretur, & commodat. Nèc pigri simus ad hæc,fratres: gloriam quęrit, qui desiderat vindicari se. Sed attende, quod scriptum est:*Melior est qui vincit iram,quàm qui capit ciuitatē*. Diuitias quærit, qui non vult dare pauperibus. Attende, quod scriptum est: Habebis thesaurum in cælo. Non ergò eris inglorius in ignoscendo,quia de ira victa laudabiliùs triumphatur: non egemus tribuendo, quia thesaurus cælestis certiùs possidetur. Vides,quot pręmia præponit homini clementi, & misericordi, quòd fructus eius manet perpetuò, quòd liberabitur,à tentationibus,quòd Deū imitabitur: est enim Deus misericors, quòd peccata eius ei condonabuntur; Hoc enim sibi vult illud: *Dispensabit sermones suos in iudicio*: Hoc est,patrocinium consequetur,non deerit ei defensio, non erit ei tunc condemnatio, cum eleemosyna defensionem ei pulchrè comparet.

Ex August. in Psalm. 111.
Phras. Apocal. 3. Ibi: Quia tepidus es,& nec frigidus, nec calidus,incipiam te euomere ex ore meo.
Luc 6.
Prouerb. 16.
Matth. 19.
Ex Chrysost. in Psalm. 111. t. 1
Matth. 25.

Vna enim res ex necessarijs, quibus salus ipsa continetur, misericordia est. Quare meritò in corde

Ex eod. hom. 48. in Matt. col. pen.

virtutem ipsam collocauimus, & cor ipsum esse censemus: quod quidem cor, nisi cæteris omnibus spiritum præbeat, velocitèr extinguitur. [Cor enim initium arteriarum, & insiti caloris, quo animantur, & tepescunt vitalia, esse plerique arbitrantur: *Ambros. lib. 4. Hexamer. cap. 9. circ. med. tom.* 1. Non potest diues esse, qui enim pauper est: Sicut nec pauper esse potest, qui animo diues est. * Nam si excellentius, ac præstantius corpore anima est, non possunt; quæ corporea sunt, ipsam ad se nolentem attrahere, sed illa, quæ princeps corporis est, cuncta corporea, vt vult, trahit, atque transmutat. Nam & cor, quando laborat totum corpus, patitur, & intemperies sua totum corpus aggreditur: sicut econtrà temperies toti corpori prodest: quod, si quid cæterorum languescit membrorum, corde incolumi, & virtute vigenti, facilè languor etiam illius excutitur.

Ex eodem ibid. hom. 81.

*Est quasi diues cũ nihil habeat: & est quasi pauper, cũ in multis diuitijs sit *Prou. 13. August. legit:* Et sunt, qui se humiliant, cum sint diuites: *Ser. 111. de Tempor. Consule eum.*

Non debemus intrà nosmetipsos habere cor nostrum, sed effundere illud coram Deo; Propheta sicut præcipit. Si qua es anima, quæ cupis sequi vestigia fidei patris nostri Abraham, exi de terra tua, & de cognatione tua, relinque populum tuum, & domum patris tui; idest, fidelitèr renuncia Diabolo, pompis, & Angelis eius: & sequere viam rectam, quæ te perducat ad terram, in qua ditescas, & emineas, & efficiaris socius Abraham. Sed, cum ista omnia feceris, si virtus charitatis, quæ omnia credit, est in te, adhùc tentabit te, & probatum coronabit te, & expetit à te sacrificium dilecti tui. Quid à te expetit? Quod Abraham illi dictum est: *Da mihi vnicum dilectum filium tuum*: tibi dicit Sapientia: *Da mihi, fili, cor tuum*; Ipse est dilectus vnicus. Quid metuis offerre cor tuum? Offer sacrificium, contritionem cordis Domino Deo tuo: Et dic ei cum Propheta:

Ex Aug. ser. 46. De Temp. cap. 5.

Genes. 22.

Prouerb. 27.

Holo-

Holocaustis non delectaberis, Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non spernit. Nihil metuas, tali sacrificio oblato: & Deo acceptum erit, & quod obtuleris, integrum permanebit. [Iuxtà est Dominus his, qui obtriuerunt cor, & humiles spiritu saluabit: *Psalm.* 33. Altus est Deus, humilis est Christianus. Si vult, vt altus Deus vicinetur illi, ille humilis sit, &c. *August. ibidem*. Cor contritum proximum cordi mundo, & hoc est esse secundùm cor Dei, &c. *Bernard.*] *Psalm. 50.*

Persequamur igitùr charitatē. Custodia siquidem illa est, & munimentum ad hoc, vt non permittamur, aliquid pati, quod malum sit. Colligamus ergo nos ipsos inuicem: nihil sit apud nos, quod, vel dolum sapiat, vel fictionem: nam nihil tale reperitur, vbi fuerit amicitia. Dixit autem hoc & alius quispiam sapiens vir: *Et si gladium*, inquit, *contra amicum eduxeris, de amicitia tamen illius nihil desperes: Est enim regressus ad amicum*. Si contra illum os tuum aperueris, nè despondeas animum: est enim apud illum reconciliatio: exprobrationem dumtaxàt contumeliosam, secretorumque reuelationem, & læsionem dolosam caueas, per ista siquidem fugatur amicus in arcanorum reuelatione. Si simus itàque omnes amici, nè arcanis quidem est opus. Quomodò etiam non habet quisquam ipse apud se vllum arcanum, neque ipse se ipsum potest cælare, ità nèc amicos. Cum igitur non sint arcana, fieri non potest, vt ex ea re sit offensio, & diruptio. Arcana enim non habemus propter aliud, quàm quod non omnibus fidimus. Charitatis itaque refrigeratio fecit arcana. Nam, quod habes arcanum? Vis iniuriam facere proximo? aut prohibes, nè sit alicuius boni particeps, & propterea eum cælas? At nihil horum, sed erubescis. Hoc est

Ex Chrys. hom. 9 in epistol. Ad Ephes. in moral.

Eccl. 22. Consule Vulg.

Inter amicos nullū est arcanū

ergo signum, quod non fidis. Si sit ergo charitas, non erit detectio arcanorum. Sed nèc exprobratio: Quid enim, dic quæsò, animæ suæ quisquam exprobrauerit? Quod si etiam fiat, fit propter lucrum. Nam etiam pueris exprobramus, volentes, eos mordere. Christus quoque Ciuitatibus tunc cæpit exprobrare: *Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida!* vt eas liberaret à probris. Nihil enim animum ità potest tangere, & eum magis excitare, & deiectum, ac dissolutum erigere. Neque nos absolutè alter alterum probris appetamus. Quid enim propter pecuniasnè probra ingeras? Nequaquam, siquidem quæ habes, possides communia. At propter peccata? Nè hoc quidem, sed potiùs corriges. Et plagam, inquit, dolosam. Quid verò seipsum perimet? Quid verò, se ipsum feriet? Nequaquàm. Persequamur ergo charitatem. Non dixit absolutè, diligamus, sed persequamur: Multo studio opus, & diligentia. [Maior est enim labor in custodiendo, quod quis accepit, quàm in inueniendo, quod non habuit. *Nyssenus homil. 7. in Ecclesiast.*] Citò euanescit. Velox est ad recedendum. Tàm multa in vita huic rei exitium afferunt. Si eam persequamur, non priùs recesserit, quàm eam citò attraxerimus. Dei charitas, cælo terram coniunxit, hominē sedere fecit super thronū regium. Dei charitas Deum ostendit super terram. Dei charitas Dominum fecit seruum. Dei charitas fecit, vt traderetur dilectus pro inimicis, Filius pro ijs, qui oderant, Dominus pro seruis, Deus pro hominibus, liber pro famulis. Et nèc ad id vsque constitit, sed nos vocauit ad maiora. Non solùm enim nos liberauit à prioribus malis, sed etiā multò maiora se daturum est pollicitus.

Inter amicos nō est exprobratio.

Matth. 10.

De his loquitur, quibus, ad Apostolorum exemplum, omnia sunt communia, neque aliquid suū esse dicunt.

Charitatis fructus recēsentur: Quę est Spiritus sancti pręcipuus fructus: *Galat. 5*

Orta est tibi bona cogitatio, te incessit desideriū

videndi

videndi Deum: *Sitiuit anima tua ad Deum fortem viuum*, tibi orta eſt appetitio, vt eſſes *in atrijs Domini*. [Iuxtà illud: *Qui ſtatis in domo Domini in atrijs domus Dei noſtri*: *Pſalm*. 133.] Atrij autem Domini ſunt meo quidem iudicio, virtutes, cum quibus habitat ratio, & quicunque ſequitur rationem. Hæc cuſtodi, nè tibi effluant diuitię mundarum mentis poſſeſſionum. Sicut autem non aliquo tempore circumſcribitur opportunitas inueniendi Deum, ſed tota vita eſt vnum tempus bonæ illius inquiſitionis: ità etiam tempus cuſtodiæ eius tota vita eſſe debet, voce prophetæ, qui dicit: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet ex laqueo pedes meos*. [Omninò habet oculos fides, & maiores oculos, & potentiores, & fortiores. Hi oculi neminem deceperunt, hi oculi ſint ſemper in Dominum, vt & ipſe euellet de his laqueis, pedes tuos: *Ex Auguſtino in Pſalm*. 145.] In hoc enim poterimus nobis integram, & intactam conſeruare bonam poſſeſſionem, quòd Deum ſtatuamus noſtrarum rerũ cuſtodem. Quando enim oculi mei ſemper fuerint ad Dominũ, tunc nihil poterunt efficere laquei aduerſarij, per quos ille molitur inſidias, ijs, quæ ſunt animæ pretioſa: *Nè det*, inquit, *in commotionem pedem tuum, & non dormitet, qui cuſtodit te*.

Ex Nyſſ. ho. 7. in Eccl. col. mihi 6. Pſal. 41 Eſtenim Deus inſtàr fõtis perpetuo fluẽtis *Baſil. Vulg. verò legit*, Fortẽ viuũ. *Alij*: Deum Deũ viuum.

Pſalm. 24.

Pſalm. 120.

In agone contendimus, & contrà Diabolum, & Angelos eius habemus occultam luctam, ad quam luctam nos armat Apoſtolus, dicens: Non eſt nobis colluctatio aduerſùs carnem, & ſanguinem, ideſt, non aduerſùs homines, quos videtis, ſed aduerſùs Principes, & poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum. Væ illis, qui pro eo, vt extrudant, inimici acuunt gladium, cum Apoſtolus dicat: *Aſſumite vniuerſam armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo*. Diem

Phraſ. Pſal. 40 verſ. 1.

malum

Aliÿ: Viuentes certem at. nostrū, &c. malum, præsentem vitam vocat; & sæculum malum presens hoc appellat, à malis illis, quæ in eo fiunt: hoc est, semper armati estote. Et omnibus, inquit, confectis: hoc est, & passionibus, & desiderijs absurdis, & omnibus, quę nos interturbant. Quam excusationem itaque quis habere poterit odiens fratrem, iniurias non patiens, sic tela ignita Diaboli extinguens; nihil enim fortius charitate, cuius ignem aquæ multæ non extingunnt, nèc flumina obruunt. Extinguatur ergo omnis odij ignis vehementiori igne amoris. Si bonus

Ex Aug in Ps 54. es, inimicum non habebis, nisi malum. Porrò tibi ea regula bonitatis præfixa est, vt imiteris bonitatem,

Matth. 5. *Patris tui, qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Nunquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet? Tu quidem eum habes inimicum, qui tecum creatus est; ille verò eum, quem creauit. Inimicos ergo Dei malos, & iniquos sæpè in scripturis legimus: & parcit ille eis, qui non habet; quod ei imputet inimicus; cui omnis inimicus ingratus est, ab illo enim habet, quidquid boni habet. Ab ipso enim habet misericordiam, quidquid est etiam, vnde tribulatur. Ad hoc enim tribulatur, nè superbiat: ad hoc tribulatur, vt humilis agnoscat excelsum. Tu ergo inimico tuo, quem intolerabilitèr pateris, quid præstitisti? Si ille eum habet inimicum, qui ei tanta præstitit, & facit Solem suū oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos: tu qui nèc Solē potes oriri facere, nèc super terras pluere, vnum aliquid seruare inimico non potes, vt sit tibi pax in terra homini bonæ voluntatis?

Luc. 2. Ergo, quoniam hæc tibi dilectionis regula figitur, vt imitans patrem, diligas inimicum: *Diligite enim,*

Luc. 6. inquit, *inimicos vestros*: in hoc præcepto quomodò exercereris, si nullum inimicum patereris? Vides

ergò

ergo prodesse tibi ad aliquid, & quòd Deus parcit malis. Prosit tibi ad habendam misericordiam, quia & tu fortè, si bonus es, ex malo factus es bonus: & si Deus non parceret malis, nèc tu, qui gratias ageres, appareres. Parcat ergo alijs, qui pepercit & tibi. Reprehenditur Petrus, qui vsque septiès esse dimittendum censuit, dicente Iesu: *Non dico tibi septiès, sed vsque septuagiès septiès*. Qua quidem oratione nullum omninò numerum posuit, sed indefinitè, continuè, ac semper significauit. * Matth. 18. *Chrysostomus.

Dauid, vir bellicosus, manu fortis, sceptrum in manu, coronam gestās in capite: & tamen nihil illo mansuetius, nemo iniuriarum magis obliuiosus, & persecutorum auidè se quærentium turbidam iram memoriam non habens, dimittens inimicis, gloriosior factus, quàm referens tot victorias: *Suscipiens*, inquit, *mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram*. Non dixit, opem ferens mansuetis Dominus, sed quod est multò maius, suscipiens. Quid est autem suscipiens? Recreans, ferens, baiulans. Quid isti rursùs perfectam in vtroque eorum potentiā, nempè, & in extollendis humilibus, & in deijciendis, deprimendisque arrogantibus. Non solùm autem humiliat, sed etiam summoperè humiliat: Hoc enim sibi vult illud: vsque ad terram. Psalm. 146. Ex Chrys. ibidē

Dulcitèr quidem canit· *Custodiens paruulos Dominus*. Qui paruuli? nisi, de quibus loquitur Apostolus: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitià paruuli estote; sensibus autem perfecti estote*. Ideſt, nè pueruli sitis animo, sed ad malitiam infantuli sitis. Deus enim ad terrestria nos stultos esse vult, & ad cælestia prudentes. [Nonnè stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, &c. 1. *Corinth*. 1. & in Euangelio Dominus: *Amen dico vobis*, inquit, *nisi conuersi fueritis, & efficiamini* Ex Athan. lib. De Virginit. &c. pag mihi 2. 1. Corinth. 14. Nota. Matth. 18.

mini

mini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Item alibi; Sinite paruulos, & nolite prohibere ad me venire: talium est regnum cælorum. Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non nouit, referire non audet: ità & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. Denique, sicut iussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferenti tunicam relinquit & pallium, verberanti maxillam, prebet & alteram: nisi quod in hoc melior est Christi infantia, quàm naturæ. Illa enim peccare nescit, ista contemnit; illa per infirmitatem innoxia est, ista est innocens per virtutem. Atque ideò laudi magis scribendum est, non tàm malafacere non posse, quàm nolle. Paruuli quidem patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Et hæc omnium affectionum, assumpta nobis, & consuetudo, & voluntas, cælorum iter peruium præstat.

Ex Ambr. serm. 55. De Tempor

Matth. 5.

Nota.
Ex Hil Can. 18. In Matth. vers In illa die, &c.

Similitèr non inuidere, nec inanē expectare gloriā nèc primatus desiderare dignitatem nouerunt; nèc si contumelientur, aut verberentur, afficiuntur odio: nèc si laudantur, & honorantur, vllà commouentur arrogantià. Quare nos quoque, si cælorum hæredes constitui volumus, paruulorum virtutem consequi studeamus. Hoc enim supremum philosophiæ culmen est, vt cum prudens sis, nihil ficti, nihil simulati asciscas, id Angelorum vita est. Ab omnibus enim passionibus anima paruulorum munda est, his, qui dolorem intulerunt, nullas vltionis vices reseruant, & quasi nihil actum esset, veluti ad amicos accedunt.

Ex Chrys hom. 59 in Matt col. mihi in fin. & seq.

Ex eod. ibid. ho. 63 col. mihi 8.

Nota.

Nè

Nè quis mihi dicat: inimicum habeo ſceleſtum, improbum, corruptum, incorrigibilem. Quidquid dixeris, non eſt tamen Saule deterior, qui ſemel, & iterùm, immò ſæpiùs ſeruatus à Dauide, cum ipſe mille modis illi ſtruxiſſet inſidias, tamen pro tot beneficijs acceptis, perſeuerauit in ſuà malitià. Quid tu igitur habes, quod incuſes inimicum? Quod terræ partem ademit? Quod in agris fecit iniuriam? Quod domus limites transgreſſus eſt? Quod mancipia tua rapuit? Quod vim attulit? Quod tua, præter ius, occupauit? Quod ad paupertatem redegit? At nondùm eripuit vitam, quod molitus eſt Saul. Quod ſi & vitam eripere conatus eſt, fortaſſe ſemel id auſus eſt, non ſemel, atque iterùm, non ſæpiùs, quemadmodùm fecit Saul. Quod ſi etiam ſemel, ſi bis, ſi ter, ſi ſæpiùs hoc tentauit, at non tot affectus abs te beneficijs, at non cum ſemel, atq; iterùm incidiſſet in manus tuas, ſeruatus eſt. Et ſi hoc quoque factum eſt, ſi etiam rursùs ſuperat ipſe Dauid: Neque enim paria ſunt, ſub veſtra lege degentem, & nunc poſt illuſtratam Euangelij gratiam talia condonare gratis. Non audierat, Dauid parabolam de decem millibus talentorum, neque de centum denarijs. Non audierat precationem dicentem: *Remittite hominibus debita ipſorum, quemadmodum & Pater veſter cæleſtis*. Non viderat Chriſtum crucifixum, non viderat effundi pretioſum illum ſanguinem, nec audierat innumerabiles Domini ſermones de refrænandis animi cupiditatibus. Non contigit illi guſtare talem hoſtiam, neque particeps fuerat ſanguinis dominici, ſed legibus imperfectioribus educatus, neque tale quidquid exigentibus, tamen ad Euangelicæ philoſophiæ faſtigium peruenit animi moderatione. At tu frequẽtèr præteritarum iniuriarum memorià offenderis: hic

Ex Chryſoſt hom. de Dauide, & Saule col. mihi 6. tom. 1.

Matth. 19.

Ibid. 6.

Ioann. 19.

Matth. 5. & 19.

verò, cum & de futuris metueret, certò sciens fore, vt si hostem seruaret, & ciuitate exularet, & vitam egenam, calamitosamque ageret, non destitit tamen illius habere curam, sed omnia fecit, hunc talem hostem fouens. Quis commemorare valeat tolerantiā hac maiorem?

Ex Aug. in Psal. 131.
1. Reg. 44.
Psalm. 7. vers. Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c. *Et 1 Petr. 3.* Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, Sed è contrario benedicentes.

Dauid, secundùm fidem rerum gestarum vnus homo erat Rex Israel, filius Iesse; Erat quidem ipse mansuetus, sicut eum indicat, atque commendat scriptura diuina, & ita mansuetus, nèc persecutori suo Sauli malum pro malo reddiderit. Seruauit autem erga eum tantam humilitatem, vt illum Regem fateretur, se autem canem. Et non proteruè, nèc superbè cum esset in Deo potentior, respondebat Regi, sed eum placare potiùs affectabat humilitate, quàm concitare superbià. Etiam in potestate datus est ei Saul, & hoc à Domino Deo, vt ei faceret quidquid vellet. Sed, quia non præceptum illi erat, vt occideret, sed tantùm in potestate datum illi erat (licet autem homini vti potestate sua) ad lenitatem potiùs deflexit, quod ei Deus concessit. Qui si vellet occidere, careret inimico. Sed quomodò diceret: *Dimitte mihi debita mea, sicut & ego dimitto debitoribus meis?* In speluncam intrauit Saul, vbi erat Dauid, nesciens, quod illic esset Dauid: Ad necessaria ventris ille intrauit. Surrexit Dauid sensim, & lentè post ipsum, præscidit illi de veste panniculum, quem illi ostenderet; vt nosset, quia habebat illum in potestate, & non necessitate, sed voluntate pepercerat, & noluit occidere. Fortè ipsam mansuetudinem commendauit modò Deo, dicens: Memento, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius.

Matth. 6.

1. Reg. 24.

Ex Bern. ser. 11. sup. Cant.

Ioseph, postquàm vniuersam Ægyptum post se fecit currere in odorē vnguentorum suorum, etiam

suis

ſuis venditoribus eandem demùm fragrantiam propinauit. Equidem increpatoria verba, vultu proferebat irato, ſed erumpebant lachrymæ de pinguedine cordis, non iræ indices, ſed gratiæ proditrices. Samuel lugebat Saul, qui ſe quærebat occidere, & ad ignem charitatis incaleſcente pectore liquefactus intùs pietatis adeps foràs emanabat per oculos. Ob bonum denique, quem circumquaque diffuderat ſuę opinionis odorē, refert de eo ſcriptura, quia cognouerunt omnes à Dan vſque Berſabee, quòd fidelis Samuel propheta eſſet Domini. Quid de Moyſe dicā, quanto adipe, & pinguedine, & ipſe repleuerat viſcera ſua? Nèc domus illa exaſperans, in qua pro tempore verſabatur, potuit vnquàm in omni murmure, & furore ſuo vnctionem ſpiritus, quà ſemèl imbutus fuerat, exterminare, quo minùs inter aſſiduas lites, & quotidiana iurgia ipſe in ſua manſuetudine perduraret. Meritò teſtatus eſt Spiritus ſanctus de eo, quòd eſſet *mitiſſimus omniū hominum, qui morabantur ſuper terram*. Siquidem *cum his, qui oderant pacem, erat pacificus:* in tantū vt populo ingrato, & rebelli non modò non iraſceretur, ſed & iraſcentem Deum ſuo interuentu leniret, ſicut ſcriptum eſt: *Dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, nè diſperderet eos*. Denique ſi dimittis, ait, dimitte: ſin autem, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. O verè hominem vnctum vnctione miſericordiæ. Loquitur planè parentis affectu, quam nulla poſſit delectare fęlicitas, exortibus, quos parturiuit. Verbi gratia: Si diues quiſpiam pauperculæ mulieri dicat: Ingredere tu ad prandium meum, ſed quem geſtas infantulum, relinque foris, quoniam plorat, & moleſtus eſt nobis: numquid faciet? Nonnè magis eliget ieiunare, quàm

Geneſ. 42. Ibi: Auerſus autem ab eis fleuit Ioſeph,

Num. 12.

Pſalm. 119.

Exod. 3.

exposito pignore charo, sola prandere cum diuite? Ità nèc Moysi sedet solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicèt remanente populo, cui licèt inquieto, & ingrato, vice paritèr, & affectione matris inhæret. Dolet viscera, sed tolerabiliorem sibi iudicat torsionem, quàm euulsionem. Quid Dauid mansuetius, qui illius mortem lugebat, qui suam semper sitierat? Quid benignius, quàm vt eius molestè ferret decessum; cui succedebat in regnum? Sed et de morte parricidię filij, quàm difficilè consolationem admisit? Magnam profectò optimę vnctionis copiam pręferebat talis affectio, ideò & securus orabat dicens: *Meměto, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* [Omnes autem isti viri verè laudabiles, non in solitudinibus, & eremis vixerunt, sed in ciuitatibus: alij coronas habentes in capite, alij præfecturas insignes, & regimina exercuere populorum: fortitudine celebres, in bello victores, ex huiusmodiquidem gloriosi, sed quia iniuriarum immemores ex animo, & cordibus suis eas dimiserunt.]

2. Reg. 1.
2. Reg. 19.
Psalm. 131.
Author.

Si inter nosipsos pacifici fuerimus, Deus erit nobiscum. Si verò bellum excitemus: Deus pacis minimè nobiscum erit: Nihil enim æquè hostilitèr aduersatur animæ, ac vitiositas, & nihil vicissim in tuto collocat, ac pax, & virtus. Quamobrem incipiamus nostra præstare; tunc quibus Deũ ad nos alliciemus. Deus non est belli, & pugnæ Deus. Depone igitur bellum, & pugnam, cùm ergà Deum, tùm ergà proximum: pacificus esto ergà omnes. Cogita qualis cum esses, salutem tibi Deus dedit. Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur; qui tales sunt, perpetuò filium Dei imitantur: eundem tu quoque imitare: pacem serua: quantò enim magis oppugnabit te frater, tantò maior erit merces. Audi Prophetam

Ex Chrys. hom. 14 in epistola ad Philipp. in mor.

phetam dicentem: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus*. Hoc virtus est, hoc humana ratiocinatione maius: hoc nos propè Deum ponit. Nihil æquè Deũ lætificat, atque iniuriarum immemorem esse. Hoc te à peccatis liberat: hoc delet crimina: quod si pugnemus, ac luctemur, longè à Deo abimus, ex pugnâ: etiam inimicitiæ existunt: inimicitias sequitur iniuriarum memoria, & vlciscendi cupiditas. Excide radicem: & non erumpet fructus: ità discemus ea, quæ ad presentem vitam pertinent, despicere. Non enim est; nõ est in rebus spirtualibus pugna: Sed quidquid eiusmodi videas exoriri, vel pugnas, vel inuidiã, siue quiduis aliud, rerum ad hanc vitam pertinentium causà exoriuntur. Nam vel ab alieni cupiditate, vel ab inuidià, vel ab inanis gloriæ studio initium sumit omnis pugna. Quamobrem si pacem seruauerimus, terrena etiam despiciemus. Eripuit quis pecunias? sed nihil læsit, inquies; dũmodò superas illas diuitiasnè eripiat: impedierunt gloriam tuam? at non eam, quæ apud Deum est, sed leuem hanc, & nullius ponderis; Non enim hæc gloria est; sed nomen gloriç, ac potiùs obscuritas. Eripuit tibi honorẽ? imò non tibi, sed sibi ipsi. Nam, quemadmodùm qui iniuriam facit, non facit, sed accipit: ità qui proximo insidias parat, seipsum primùm perdit. *Nam qui fodit proximo suo foueam, in ipsam incidit*. Ergò non insidiemur alteri; vt nè nobis ipsi noceamus: cum alterius gloriam interuertimus; cogitemus nosipsos esse, quibus noceamus, atque insidias tendamus.

Diligere proximum, Deum in causâ habere necesse est: Igitur fratres vestros nolite negligere, neque solùm spectare, quæ ad vos attinent, sed vnicuique cura sit, quomodò proximum suum, è Diaboli faucibus

bus

Psalm. 119.

Itaque si pacifici fuerimus, discemus & ea, quæ in terra sunt, cõtemnere.

Sic habet Codex Venetijs impressus, Anno 1183.

Contẽptus autẽ rerum terrenarus desiderium solet acuere cęlestium.

Psalm. 7.

Bern. ex Chrys. hom. 41. in Gen.

Spectacula impia.

bus eripiat; & ab impijs illis spectaculis in Ecclesiam adducat, mostrando ei multa lenitate, & mansuetudine cùm damni grauitatem, quod illic fert, tùm bonorum, quæ hic conceduntur, magnitudinem. Et non solùm semel, atque iterùm hoc facite, sed semper. Nam etsi hodie verbis tuis non obtemperat, posteà obtemperabit: etsi neque secundò, vel tertiò admonenti obtemperauit, iterùm tamen te videns vrgentem, fortè erubescet: & reueritus tuam curam, ab his, quæ offendunt, desistet. Et nunquàm dic: quia semel, & iterùm, & tertiò, & sæpiùs dixi, & nihil perfeci: nè quiescas dicere. Nam quantò magis tu perseueraueris, tantò magis & merces tibi crescet. Non videtis, quanta omnium Deus nos longanimitate tolerat, & quomodò quotidiè negligimus obtemperare eius mandato, & neque sic cessat à cura nostra, sed omnia sua suppeditat, Solem oriri facit, pluuias concedit, aliaque omnia? Simili modo & nos ergà fratres nostros benè affecti, magnam faciamus diligentiam, & obluctemus maligno illi Dæmoni, vt irritos eius faciamus conatus. Nam, si singuli, qui adsint, vnum lucrifacere possent, cogita quantam nobis lætitiam Ecclesia multitudine filiorum suorum ostenderet: & Diabolus confunderetur, videns in vanum, & frustrà extendi sua retia. Quod si hoc feceritis, audietis, & vos in die illa: *Serue bone, & fidelis, in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

Miserator, & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors: Psal. 111. *Et Apostolus*, An diuitias, *inquit*, benignitatis, & longanimitatis eius cōtemnis? *Rom.* 2.

Matth. 25.

Tota vis Christiano nomine insigniti in eo stat, vt Iesu Christi vestigia sequamur ingitèr prouoluti ad pedes eius, & mandata eius obseruemus: Ipse dixit: *Si Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Quare tu quisquis es de semine Abrahæ, Christiane descendis: quisquis eius te filium gloriaris: si filius es, serua quod pater: si

Ioann. 8. *Ex Chrys. hom.* 5 *in dictum Ioan. Vos amici mei, &c. tom.* 3.

amicus

amicus, imple quod præcipit Christus: vt possis lætari de amicitia Domini, si tuis actibus eum feceris gloriari. Si quis te de potentibus mundi, aut hæredem vellet conscribere, aut amicum sibi coniungere, aut in filium voluisset forsitan adoptare: nonnè admiratus, & stupens totum illi dicares obsequium? Nonnè cum omni cultu suscipere religionis parares, officia impartires, ne in aliquo ille offensus, aut voluntatem reflecteret, aut dispositionem mutaret, aut in meliorem forsitan, quod decreuerat, transtulisset? Nunc verò hæredem te Deus, amicum Christus constituit: & per eundem, genitoris factus es & filius. Si hæres es, testatoris delegata conserua: si amicus, amicitiæ fœdera inuiolata ostenta: si filius es, lineamenta patris demonstra. Vt enim hæres testamento, amicus officio, amore filius comprobatur: ita Christianus est, quod dicitur, potuerit: si quod profitetur, impleuerit. Qui sibi placet de amicitià Christi, propositæ respondeat conditioni: Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis. Mandatorũ obseruatio, amicitię est confirmatio. Non potest quis & amicus esse, & mandata contemnere, quia qui contemnit mandatum, amicus esse non poterit. Primùm igitur, benè tibi Dei cultor hoc contingit: Vnde tibi munus tantum venit: vt ad Christi amicitias posses accedere, vt ad familiaritatem posses Domini peruenire? Si ex merito nullus in nobis meritum, nisi quod contulit Christus. Si ex precibus: nullus precum effectus, nisi quas Dominus Deo Patri commendat. Igitur, si neque ex merito, neque ex precibus, neque vllà prærogatiuà istud nobis potuerit prouenire: restat, vt benignitas Dei hoc nobis per Christum contulerit, qui pro nobis corpus induit, crucem pertulit, inferos penetrauit, resurgens victor, in cælum ascendit,

cubuit in cœnà super pectus eius, bibens amorem à fonte amoris, dicit: Societas nostra sit cum Patre, & Filio eius Iesu Christo. Et paulò antè: Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum. Illi viderunt, nos non vidimus, & tamen socij sumus, quia fidem communem tenemus: nam quidem videndo non credidit, & palpare voluit, & sic credere, & ait: *Non credam, nisi digitos meos misero in locum clauorum, & cicatrices eius tetigero.* Et præbuit se ex tempore palpandum manibus hominum, qui semper se præbet videndũ aspectibus angelorum: & palpauit ille discipulus, & exclamauit: Dominus meus, & Deus meus, quia tetigit hominem, confessus est Deum. [Similiter turbis eum angustantibus, Saluator interrogauit discipulos: quis me tetigit? *Luca* 8. Tactum intelligens mulieris fluxu sanguinis diuturno laborantis fidem: cui post salutem redditam dixit: *Fides tua te saluã fecit*? Sic etiam nunc est corpus Ecclesiæ eius: Tangit eam fides paucorum, premit eam turba multorum: *Augustinus*.] Et Dominus consolans nos, qui ipsum iam in cœlo sedentem manu contrectare non possumus, sed fide cõtingere, ait illi: *Quia vidisti, & credidisti, beati qui non viderunt, & credunt*: nos descripti sumus, nos designati sumus: fiat ergo in nobis beatitudo, quam Dominus prædixit futuram, firmè teneamus, quod non vidimus, quia illi nuncient qui viderunt, vt & vos, inquit, societatem habeatis nobiscum. & quid magnũ est societatem habere, cum hominibus? Noli contemnere, vide quid addat; *Et societas nostra sit cũ Deo patre, & Iesu Christo filio eius: hac* inquit, *scribimus vobis, vt gaudium vestrum sit plenum*. Plenum gaudium dicit in ipsa societate, in ipsa charitate, in ipsa vnitate.

1 Ioan. 1.
Ex Aug. ibid. tract. 1.
Ioan. 20.
Ibidem.

In Canticis Canticorum reperimus scriptum: Capite nobis vulpes paruulas: seù, apprehendite nobis vulpeculas exterminantes vineas. Vides, quàm socialitèr loquitur, qui socium non habet! Poterat dicere: Mihi, sed maluit nobis, consortio delectatus: O suauitatem, ò gratiam, ò amoris vim! Itanè summus omnium, vnus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triũphat de Deo amor. Quid tamen, tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæsò, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinaniuit, (*Philip.* 2.) vt scias amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quod singularitas associata est. [*O societas plena diuitijs, plena gaudijs spiritalibus, lucris abundans, delicijs affluens! Hac mentem gubernat, & regit, ad superna eleuat cor? In tribulatione consolatur, in mærore magno sustinet, nè absorbeatur anima patiens abundantiori tristitià*.]

Cant. 2.

Ex Bernardo ibid. Ser. 64.

Hæc cogitantes, fugiamus vitium, sectemur virtutem, Deũ amemus, nõ ppter, ea q sunt eius, sed propter ipsum. *Chrysost. in fin. Ps.* 57.

Inuoca Deum, tanquam Deũ, ama Deum, tãquam Deũ, &c. *Aug. in Psal.* 85 *Auctor.*

Socius ego sũ, seù particeps omnium timẽtium te, & custodientiũ mãdata tua. *Psal.* 118.

Ioannes dicit: Qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo: Et hoc est mandatum eius: vt diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Assiduè nominauit charitatem, idest, qua debemus diligere Deum, non tam assiduè nominauit, sed tamen non omninò tacuit. De inimici verò dilectione prorsus tacuit propè per totam ipsam Epistolam. Cùm vehementer nobis prædicet, commendetque charitatem, non nobis dicitur diligamus inimicos, sed dicit nobis, vt fratres diligamus: modò verò, cum Euangelium legeretur, audiuimus: Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonnè, & publicani hoc faciunt? Quid est igitur, quod pro magno nobis ad perfectionem quandam, fraternam

1 *Ioan.* 3.

Ex Aug Tract. 8. *in præcit. ep. Ioan.*

nam dilectionem commendat Ioannes Apostolus, Dominus autem dicit, non nobis sufficere: vt fratres diligamus, sed debere nos extendere ipsam dilectionem, vt perueniamus ad inimicos? Qui vsque ad inimicos peruenit, non transilit fratres. Necesse est, sicut ignis, priùs occupet proxima, & sic se in longinquiora distendat. Propinquior est tibi frater. quàm nescio quis homo. Rursus tibi magis adhæret ille, quem non noueras, qui tibi tamen non aduersatur. Extende dilectionem in proximos, nec „ voces illam extensionem. Propè enim te diligis, „ qui eos diligis, qui tibi adhærent. Extende ad incognitos, qui tibi nihil mali fecerunt. Transcende & ipsos, perueni, vt diligas inimicos: hoc certè Dominus iubet. Quare iste tacuit de dilectione inimici? Omnis dilectio, siue quæ carnalis dicitur, quàm non dilectio, sed magis amor dici solet: dilectionis enim nomen magis solet in melioribus rebus dici, in melioribus rebus accipi: tamen omnis dilectio fratres charissimi, vtique beneuolentiam quādam habet erga eos, qui diliguntur.

Consideratio ingeniosa.

Matth. 5.

Nota.

Amandi quidem sunt homines amicitià quadam beneuolentiæ, vt aliquando præstemus eis, quos amamus. Quid, si non sit quod præstemus? Sola beneuolentia sufficit amanti. Non enim optare debemus esse miseros, vt possimus exercere opera misericordiæ. Das panem esurienti, sed melius nemo esuriret, & nulli dares. Vestis nudum; Vtinā omnes vestiti essent, & non esset ista necessitas. Sepelis mortuum, vtinàm veniet aliquando illa hora, vbi nemo moriatur. Concordas litigantes, vtinam aliquando sit pax illa æterna Ierusalem, vbi nemo discordat: hæc enim omnia officia necessitatum sunt. Tolle miseros, cessabunt opera misericordiæ. Opera

Ex Aug. ibid.

ra misericordiæ cessabunt: numquid ardor charitatis extinguetur? Germaniùs amabis fælicem hominem, cui non habes quod præstes, purior ille amor erit, multòque sincerior.

Author. *Nihil verò charitatem mutuam aquè excitare, alere, & conseruare existimo, quàm Eucharistici conuiuij frequentatio: ibi namque vertex diuini est amoris, ibi diuinæ charitatis epitomes. Eucharistia, memoria est mirabilium Dei, iuxtà illud: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: quoniā in ea sunt multa miracula, corpus Christi sub tantillà panis specie, accidentia sine substantià, vnū corpus in multis locis, &c.* Denique quoniam diuinorum beneficiorum est compendium, & epilogus, nempè illorum, quæ nobis ipse, vel per se se in creatione, vel per assumptam humanam carnem in recreatione, siue redemptione præstitit. Hæc mēsa plena est ignis spiritualis: & quemadmodū fontes aquæ vim exundant, ità hęc flammam quandā habet arcanam. Nè igitur accesseris, stipulam afferens, non ligna, non fœnum, nè augeas incendium, exuratque animam ad communionem accedentem: sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argētum, quo puriorem reddas materiam, multòque, cum lucro discedas. Si quid mali est, abigas ab animo. Habet quis inimicum, grauitèr læsus est, soluat simultatem, coerceat animum exardescentem, intumescentemque, nè quis sit tumultus, aut perturbatio. Regem enim accepturus es per communionem: cum autem rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumque silentiū, profundam cogitationum quietem. Sed atrocitèr læsus es, nec potes iram remittere? Quid igitur? An igitur te ipsum magis etiam, & grauiùs lædes?

Psal. 110. Ex Genebrardo ibidem.

Ex Chrysost. Orat. de B. Philogonio col. mihi penult. & seq. tom. 3.

Ne-

Neque enim tantis malis te afficiet inimicus, quæcũque fecerit, quibus te ipsum afficis, si non illi recõcilieris, sed Dei leges conculcaris. Ille te contumeliâ affecit, dic mihi, nùm tu ideò Deum afficies contumeliâ? Etenim non recipere in gratiam eum, qui molestiam attulit, non tàm est illum vlcisci, quàm Deum afficere cõtumeliâ, legis huius auctorem, pręcipientis, vt inimicis reconciliemur, priusquàm accedamus ad altare. Proinde, nè respicias ad conseruũ, neque ad magnitudinem iniuriarum, quas intulit ille, sed ad Deum, illiusque timore in animum demisso, illud expende, quod quò maiorem vim admoueris animo tuo, post innumera mala cogens illum redire in gratiam cum eo, qui molestiam intulit, tantò maius præmium feres à Deo, qui hæc præcepit. Et quemadmodum hìc Deum excipis multo cum honore, sic & ipse te illic multâ cum gloriâ excipiet, reddetque tibi millecuplum istius obedientiæ mercedem. [*Alibi*: Omnis qui reliquerit domum vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: *Matth. 19.* Qui verò inimicum dilexerit, & de corde suo fratri dimiserit, non in centum, sed in mille multiplicatam gloriæ mercedem accipiet, & vitam æternam.]

Deum, odio proximi afficere, contumeliâ quid sit.
Matt. 5

Si antiqui iusti pro illis prænunciatiuis Sacramẽtis, & rerum nondùm impletarum figuris omnia dura, & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpessi sunt. Si tres pueros, Danielemque prædicamus, quia de mensâ regis contaminari noluerunt, quod erat contrà illius temporis Sacramentum. Si Machabæos, cum ingenti admiratione præferimus, quia escas, quibus nunc Christiani licitè vtuntur, attin-

Ex Aug. lib. 19. contra Faust. Manich. cap. 14 tom. 6.
Daniel. 1.
2. Machab. 7.

tin-

tingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat: quantò magis nunc pro baptismo Christi, pro Eucharistià Christi, pro signo Christi ad omnia perferēda paratior debet esse Christianus, cum illic fuerint promissiones rerum complendarū, hæc sint iudicia completarum? Quod enim adhuc promittitur Ecclesiæ, idest, corpori Christi, & in manifestatione prædicatur, & in ipso capite corporis, Saluatore, idest, in ipso mediatore Dei, & hominū, homine Christo Iesu, iam vtique completum est.

1. Tim. 2.

Sanctus Iob, vt seruorum in se amorem ostēderet, dicebat, illos sæpè numero nimio in se amore dixisse: *Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Ità & Christus suam carnem dedit nobis, vt eà saturaremur, quo nos in plurimum sui amorem allexit. [*Ioan.* 6. Panis quem ego dabo, caro mea est prò mundi vita. Et infrà: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, &c.] Ad eum igitur cum feruore accedamus, & dilectione quàm vehementissimà, nè grauius subeamus supplicium. [Si amator Dei esse vis, sincerissimis medullis, castisq; suspirijs ipsum dilige, ipsū ama, illi flagra, illi inhia, quo iucūdiùs nihil inuenis, quo lætius, quo meliùs, quo diuturnius. Quid enim tàm diuturnum, quàm quod id quod est sempiternum? *Aug. in Psalm.* 85.] Quantò enim maius beneficium accipimus, tantò magis puniemur, quando eo indigni apparebimus. Hoc corpus in præsepe reueriti sunt Magi, & viri impij, & Barbari longo itinere confecto cū timore, & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitùr saltèm Barbaros, nos qui cælorum ciues sumus. [Nostra autem conuersatio, vel, vt alij legunt, municipatus, in cælis est: *Consule Hieronymum in Hieremia cap.* 17. *Ad intellectum*

Ex Chrys. hom. 24. in 1. ad Cor. col. mihi antepen. & seq.

ve-

verò, Ambros. in Apocal. cap. 8. circ. fin. to. 5.] Illi enim cum id præsepe, & tugurium tantum, neque eorũ quicquam, quę tu nunc intueris, viderent, summà accesserunt reuerentià, & horrore; Tu verò non in præsepe id, sed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritu perabundè super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simpliciter, vt illi corpus intueris, sed & eius potentiam, & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum, quæ per ipsum facta sunt, ignorans: & diligentèr initiatus es in omnibus. Excitemus igitur, horrescamusque, & longè maiorem, quàm illi Barbari, ostendamus reuerentiam, nè si temerè, & inconsideratè accesserimus, in nostrum caput ignem congeramus. Hæc autem dico, non vt non accedamus, sed nè temerè, & inconsideratè accedamus. Nam, sicut temerè, & citrà discrimen accedere est, periculum: ità mysticarum illarum cœnarum non esse participes, est fames, & mors. Hæc enim mensa est nerui nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. Si cum hac mensà illùc excesserimus, cum magnà fiducia sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis vndique muniti. Et quid dico futura? Hìc enim terram tibi cœlum facit, hoc mysterium. Aperi ergo cæli portas, & perspice, vel potiùs non cœli, sed cœli cœlorum: & tunc videbis, quod dictum est. Nam quod illic est omnium pretiosissimum, & maximè honorandum, hoc ostẽdam tibi situm in terrà. Sicut enim in regia id quod est omnium magnificentissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus regis sedens in solio. Sed hoc tibi nunc licèt videre in terra; Non enim angelos, nec Archangelos, neque cœlos, & cœ-

Accede cum timore non seruili, sed qui sit manumissus ab amore, vt semper plus Deum verearis offendere. Timeamus dominum immensæ maiestatis, quam ipsi Seraphim, qui ei semper assistunt, expauescunt; qui duabus velant caput suũ, duabus velant pedes. & duabus alis volãt: quasi contestantes tantam se magnitudinem capere non posse, nec tãtam ferre lucem.

Terram cœlũ facit hoc mysterium.

cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum. Vidisti, quemadmodum, quod est omnium præstantissimum, & maximè honorandum, vides in terrà? neque solùm vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, & eo accepto domum reuerteris? Absterge, & munda animam, & præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Nam si tibi regis filius cum mundo, & purpura, & diademate tibi traditus esset ferendus, quæcunque sunt in ter-
„ rà abiecisses. Nunc autem non hominis regis filiũ
„ accipiens, sed ipsum vnigenitum Dei filium, dic,
„ rogo, non extimescis? & eorum quæ ad hanc vitam pertinent, non omnem expellis amorem: & illo solùm mundo gloriaris, sed adhùc terram amas videre, & pecunias, auroque attonitus inhias? Et quãnàm assequèris veniam, quamnàm defensionem, & excusationem?

Ex Chrys. hom. in Psal. 22. & 116. *In vigesimo secundo Psalmo legimus: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Ista mensa agnoscitur altaris Domini consecratio. Nam vide quid dicit Sapientia: *Sapientia ædificauit sibi domum, supposuit (vel) excidit columnas septẽ,* *Prou 9,* *parauit mensam suam, misit seruos suos, conuocans omnes, & dicens; Venite, & edite de panibus meis, &* *Ibid.* *bibite vinum, quod miscui vobis.* Et quia istã mẽsam præparauit seruis, & ancillis in conspectu eorum, vt quotidie in similitudinem corporis, & sanguinis Christi, panem & vinum secundum ordinẽ *Genes. 14. Psal. 109.* Melchisedech nobis ostenderet in Sactamento: ideò dicit: *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos, qui tribulant me.* Qui sunt isti, qui nos tribulant? *Phras. Apostoli 1. Cor. 7. Ibi: Tribulationem ta.* Suggestiones inimici, exagitationes, cupiditates, delectationes, sæculi honores. Isti tribulant, quia huiusmodi, qui ità viuunt, tribulationes carnis habent,

bent, sed veniunt ad mensam potentis, considerãtes ea, quæ apponuntur eis, accipere cum timore, & tremore, & tribulationes efficiuntur consolationes. Auferuntur ea, quæ sunt carnis, infunduntur ea, quæ sunt spiritus, & ex mensâ præparatâ, proficiunt contra eos, qui tribulant eos. [Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis: *Roman.* 8. *& paulò superiùs*: Vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum: *Ioann.* 6.

tamen carnis habebũt huiusmodi. *Prouerb.* 23. *Consule August. Tractat.* 47. *&* 48 *in Ioann.* Nota.

Iam mensæ cælestis honore suscipior, epulis meis non pluuia vndatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, non fontes, Christus mihi cibus, Christus mihi potus. Caro Dei, cibus mihi, & Dei sanguis est potus. Non iam ad satietatem mei annuos expecto prouentus, Christus mihi quotidiè ministratur. Non verebor, nè quà mihi cæli intemperies, aut sterilitas ruris immineat, si pij cultus diligentia perseueret: non iam coturnicum pluuias mihi opto descendere, quas ante mirabar: non manna, quod antè cibis omnibus præferebam: quia qui manna manducauerunt patres, esurierunt. Meus cibus est, quem si quis manducauerit, non esuriet [Quid Christo nobilius, qui in conuiuio Ecclesiæ, & ministratur, & ministrat? Huius conuiuæ recumbentis annecte te lateri, ac Deo te coniunge: *Idem sanctus Ambrosius.* Christusque nobis sit cibus; Potusque noster sit fides: lęti bibamus sobriam profusionem spiritus. *Hymn.* Meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Fuerat mihi antè mirandus panis de cælo; scriptum est enim: *Panem de cælo dedit eis manducare*; sed non erat verus ille pa-

Ex Ambr. In Ps. 118. *Oct.* 18. *Ioann.* 6. *v.* 56. *Num.* 11. *Exod.* 16. *Ioann.* 6. *Psalm.* 104. *Psalm.* 77.

Ioann.6. nis, sed futuri vmbra. Panem de cælo illum verum mihi seruauit Pater. Mihi ille panis Dei descendit de cælo, qui vitam dat huic mundo. Non Iudæis descendit, non Synagogæ descendit, sed Ecclesiæ descendit, sed populo Dei iuueniori descendit. Ibidem. Nam quomodò Iudæis descendit panis, qui vitam dedit, cum omnes, qui illum panem manducauerunt, hoc est manna, quem putauerunt Iudæi verum panem, in deserto mortui sunt? Quomodò Synagogæ descendit, cum Synagoga omnis interierit, & æterno ieiunio fidei macerata defecerit? Denique, si accepissent panem verum, non dixissent: Ibidem. *Domine, semper da nobis panem hunc*. Quid petis, Iudæe, vt tribuat tibi panem, quem dat omnibus, dat quotidiè, dat semper? In te ipso est, vt accipias hunc panem. Accede ad hunc panem, & accipies eum. De hoc Psalm.72. pane dictum est: *Omnes, qui elongant se abs te, peribunt*. Si te elongaueris ab eo, peribis: Si appropinquaueris ad eum, viues: *Hic est panis vitæ*. Qui Ioann.6. ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodò enim morietur, cui cibus vita est? Quomodò deficiet, Ibidem. Ioann. 4. qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad eum, & satiamini, quia panis est: accedite ad eum, Psalm.33. 2.Corinth. 3. & potate: quia fons est: accedite ad eum, & illuminamini: quia lux est: accedite ad eum, & liberamini: quia, vbi spiritus Domini, ibi libertas: accedite ad eum, & absoluimini; quia remissio peccatorum est.

Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autē tantū, sed etiā pro totius mundi 1.Ioann.2.

Ex Chrys. hom. 74. in Ioann.

Semper nobis aliquid agendum est, semper operibus inuigilandum, neque verbis tantùm. Dicere enim, & promittere omninò facile est: operari autem non itidem. Quorsùm hæc? Quoniam nunc multi sunt, qui se Deum timere, & diligere profitentur, re autem contrà omninò faciunt. Deus autem per ope-

ra

ra diligi quærit, ideò ad Discipulos dicebat: Si diligitis me, mandata mea seruate. Cum enim dixisset, Quodcunque petieritis ego faciam: nè simplicem petitionem valere arbitrarentur, addidit: Si diligitis me, tùnc faciam. Et cum credibile esset, eos etiam audiendo, quòd iret ad patrem, perturbari, inquit, quod nunc perturbemini, non est amoris iudicium, sed quod verbis meis fidem adhibeatis. *Dedi vobis mandatum, vt diligeritis inuicem, & ità alter alteri faceretis, sicut ego feci vobis*: Hæc est dilectio, credere, & parere dilecto. Sup. 13.

In oraculis quoque Regis Dauid legimus: *Quomodò dilexi mandatum tuum, Domine*. Hoc ipso charitatis crescit affectu, quod ipsum testem aduocat, cui munus dilectionis impeditur, nec speciem, sed plenitudinem charitatis tali conuentione testatur. Hac vsus est Petrus: *Tu scis*, inquit, *Domine*, *quia amo te*. Sed qui diligit Deum, legem eius diligit; sicut Maria diligens filium, omnia verba eius in corde suo materno conferebat affectu. Diligens te, feci voluntatem tuam, scriptum est. Ideò commisit Christus Petro, vt pasceret gregem suum, & Domini faceret voluntatem, quia charitatem eius agnouit. Qui enim diligit, ex voluntate facit, quæ sibi sunt imperata: qui timet, ex necessitate. [Pensanda sunt etiam verba Prophetę, quæ sequuntur, videlicèt: *Super inimicos meos intelligere me fecisti mandata tua: quia tu es*. Attende, quàm citò probauit diuturnæ meditationis effectum, quando intellexit super inimicos suos Domini mandatum. Sed quos habet inimicos Propheta, qui aut sui populi viros legitimà debet charitate complecti, aut alienigenas Euangelicà prædicatione inuitare ad Dei gratiam? Feræ consortem naturæ suæ diligunt: quomodò dilectio-

Psalm. 118. Ex Ambrosio ibidem Oct. 13. *Rom. 12.* *Ioann. 21.* *Luc. 2.* *Esaia 48 iuxtà Septuaginta.* *Ioann. 21.* *1. Corinth. 9.* *Leuit 19.* *Act. 13.*

ctionem conformis sui Prophetę respuerit? Esse igitur iustam aliquam causam oportet, quà ij, quos significat, iure videantur inimici. Ea, quæ sit, possumus inuestigare, si meminerimus, quia alibi idem

Psalm 138. iste dixit: *Super inimicos tuos tabescebam, & iusto odio oderam illos.* Istos ergo Euangelicà auctoritate suos inimicos dicit esse, quia inimici sunt Dei. Nam si is, qui non relinquit parentes propter Dei nomen,

Matth. 10. non est Deo dignus: quantò magis qui diligit eius inimicos, acceptus Deo esse non poterit? Quos ergo inimicos habet? Si Gentiles, quomodò super eos intellexit, quos prophetico credituros spiritu præuidebat?

Psalm. 66. Denique, vt benedicant & ipsi Dominum,

Simulacbra gētinm, argentum & aurum, &c. „ in superioribus adhortatus est. Et quæ magna laus, „ super eos intelligere, qui metalla, & saxa veneran-

Psalm. 114 „ do, similem rigorem stuporis attraxerint? Quos

Psalm. 113. igitur habet inimicos, nisi hæreticos? Ipsi enim sunt impugnatores fidei, veritatis inimici. Quos inimi-

1. Timoth. 6 cos, nisi Iudęos? Ipsi enim sunt grauiores inimici, qui ex amicis facti sunt inimici.

Custodit Dominus omnes diligentes se. Si non esses custos, Domine Iesu Christe, quis alius custodiret? *Custodi me, Domine, vt pupillam oculi, Rex meus, Deus salutaris meus.* Tu quippè Deus es salutis meæ: sub vmbra alarum tuarum protege me: Deus pacis, & dilectionis tu es, Iesu Christe, qui

Motiua ex Ambrosio in 2. ad Cor. cir. fin. dixisti, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*:

Ioann. 13. *Ioann.* 14. Et iterùm: *Nouum mandatum do vobis, vt diligatis inuicem.* Et: *In hoc cognoscent omnes:*

Ibidem. *quia Discipuli mei estis, si dilectionem, qua dilexi vos, habueritis inuicem.*

Aug. ex lib. soliloq Animæ ad Deum cap. 1. Amem itaque te, Deus meus, adiutor meus, turris fortitudinis mihi, & spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Amplectar te bonum, sine quo nihil

bonum

bonum: fruar te optimum, sine quo nihil est optimum. [Nemo bonus, nisi vnus Deus: *Matth.* 19. Quære tuũ bonum, summum bonum. Quid deest, cui summum bonum, bonum est? *Ex Augustino in Psalm.* 102.] Aperi penetralia aurium mearum verbo, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, vt audiam vocem tuam. Intona, Domine, desuper voce grandi, & forti. Tonet mare, & plenitudo eius, commoueatur terra, & omnia, quæ in eis sunt. Illustra oculos meos lux incomprehensibilis, fulgura coruscationem, & dissipabis eos, vt non videant vanitatem. Fulmina multiplica, & conturba eos, vt appareant fontes aquarum, & reuelentur fundamenta Orbis terrarum. Tribue visum lux inuisibilis, qui te videat. Crea nouum olfactum, odor vitæ, qui post te currat in odorem vnguentorum tuorum. Gustum sana, qui sapiat, & cognoscat, & discernat, quàm *magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te*, siue his, qui pleni sunt charitatis tuæ. [*Phrasis Pauli Coloss.* 1. *Ibi:* Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, &c.] Da cor, quod te cogitet, animum, qui te cogitet, animum, qui te diligat, mentem, quæ te recolat, intellectum, qui te intelligat, rationem, quæ tibi semper summo delectabili fortitèr adhæreat. Te semper amor sapiens, diligat.

Hebr. 4. *Psalm.* 17. *Psalm.* 95. *Psalm.* 143. *Psalm.* 17. *Cant.* 1. *Psalm.* 30.

Dominus dicit: *Nolite arbitrari, quòd venerim pacem mittere in terram*. Est enim pax bona, & est pax mala. Pax bona est inter bonos fideles, & iustos, vt in qnibus est vnius fidei munus, vna sit vitæ, concordia. Nam *fidès per verbum* quidem *Dei* nascitur, per pacem autem seruatur, & per charitatem

Ex Auct. Operis imperf. in Matt. hom. 26. *Romam.* 10.

nutritur, dicente Apostolo: *Fides est, quæ per charitatē operatur*. Fides autem, quæ non habet charitatem, nullum potest boni operis fructum perficere. Si ergo aliqua dissensione fideles fuerint separati, hoc est mala discordia, sicut ait Dominus: Omnis domus in se ipsa diuisa non stabit; Sic & separata fraternitas à semetipsà consumitur, sicut ait Apostolus: *Si autem inuicem mordetis, & criminamini, videte, nè ab inuicem consumamini*. Pax autem mala est inter infideles, & iniquos, vt quibus est vna malitia, sit vnus ad malefaciendum consensus. Nam infidelitas, & iniquitas ex suggestione quadam Diaboli nascitur, per pacem autem seruatur. Si ergo aliqua occasione infideles, & iniqui ab inuicem fuerint separati, hoc bona discordia: quia sicut in pace bonorum fides, & iustitia stant, infidelitas autem, & iniustitia iacent: cùm verò discordia venerit, fides, & iustitia cadunt: infidelitas autem, & iniustitia resurgunt: sic in pace iniquorum, & iniustitia, & infidelitas stant, fides autem, iustitia iacent. [Societas laudabilis est iustitiæ, fidei. Iustus enim ex fide viuit: Iniustus est, qui non habet fidem. *Vtinam hæc radicet semper magis in medio cordis nostri*.

Galat 5.

Imò nec vel minimum adferre. Nam omnis boni operis ianua fides est.

Infr. 12 & Luc. 11.

Et comeditis. Vulgata.

Galat. 5.

Sponsa Christi loquitur: Inuenerunt me vigiles, qui circumeunt ciuitatem, tulerunt mihi pallium. Habuit ergo certamen: sed qua ratione suprà non tulerint pallium, hæreo reperire, nisi fortè, quia ibi interrogasse se dixit: Numquid, quem dilexit anima mea, vidistis. Quæ Christum loquebatur, nèc exuta est pallio, & quem quærebat, inuenit. Disce, quemadmodùm quæratur Christus. Ab his vtique, qui non perfunctoriè quærunt, violentèr retinent; Sicut ista, quæ ait; Tenui eum, & non dimisi eum. Fide inuènit, meditatione constrinxit, Percusserunt, inquit, me, tulerunt pallium

Canticorum.

Ibidem 3.

Ex Ambr. lib. de Isaac cap. 6.

pallium meum. Videtis, quemadmodùm quærat, quæ desiderat inuenire, vt non timeat vulnerari. Sed hæc vulnera non metuenda sunt, sed optanda: quia vulnera charitatis sunt, sicut ipsa dicit; *Vulnerata charitatis ego sum*. Deuotè quidem in sancti Simeonis prophetià dictum legimus; *Positus est hic* (de paruulo Iesu loquitur) *in signum, cui contradicetur: & tuam ipsiùs animam* (ad Mariam dicebat) *pertransibit gladius*. Verè tuam, ò beata mater, animam gladius pertransibit: Alionquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret; Et quidem postea quàm emisit spiritum, tuus ille Iesus (omnium quidem, sed specialitèr tuus) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nèc mortuo parcens, cui placere non posset) aperuit latus, sed tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirùm anima iam ibi non erat, sed tua planè indè nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plusquàm martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirùm corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. [*Vtinam gladij huius saltèm cuspide cor meum configat, amans Deus. Quid enim vulnere isto vtilius, quid nobilius? Plaga ista, quò latior, quò profundior, eò magis prodest. Iacob ille luctator fortis, & rigidus, qui priùs pugnauit, quàm nasceretur, eũ, qui luctabatur secũ, quàmuis rogatus, noluit ante dimittere, quã benediceretur. Teneamus & nos Iesũ, vt benedicat nos Deus, Deus noster, & regat nos in secula: dirigat nos, dũ viuimus: sit noster Dux in morte.*

Pulchrè dicitur in Psalmis; Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui israel. Et; Aut obliuiscetur misereri Deus? &c. Semper enim miseretur. Tunc autem dicitur Deus meminisse, quando facit, tunc obliuisci, quando non facit; nam neque obliuio

cadit

Cant. 2.

Ex Bernar. ser. de B V Maria col. mihi penul. & seq.

Luc. 2.

Omnium quidẽ Deus est, sed eorum propriè dicitur, qui eum diligunt, qui eũ tenent, qui illũ possident, qui illum colunt: *Ex Aug in Ps 55*

Nam Christus animà descendit ad inferos: idest, ad lymbũ primùm, vt victor, & liberator, non vt debitor. *Consule Genè in Psal. 15. vers.* Quoniam non derelinques animam meã, &c.

Author.

Ex Augustino in Psalm. 87.

cadit in Deum, qui nullo modo mutatur, neque recordatio, quia non obliuiſcitur. Quis non vidt, quã ſit Deus immemor iniurię, memor clementiæ, quantis modis corda noſtra demulceat, vt ametur? Paulum Apoſtolum interroga: *Pro Chriſto*, inquit, *legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos: Obſecramus pro Chriſto, reconciliemini Deo*. Quod dicit, hunc ſenſum habet: Miſit filium Pater exhortari, & legatione fungi apud humanum genus pro ſe: [*Phraſis Apoſtoli Galat.* 4. *Ibi:* At, vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum, &c.] Quoniam autem ille occiſus abijt, nos legationem ſuſcepimus, & pro illo, & patre exhortamur vos. In tantùm honorat humanum genus, quod & filium impendit, quàmuis ſciret occidendum, & Apoſtolos nos veſtrâ causâ crearit. Itaque non abs re dicebat: omnia propter vos. Quod igitur ait, pro Chriſto legatione fungimur, idem eſt, ac ſi diceret, Chriſti vice; Nos enim ipſius muneri ſucceſſimus. Si autem magnum tibi hoc eſſe videtur, audi & ſequentia, per quæ monſtrat, quod non pro illo ſolùm, ſed & pro patre hoc faciant. Nam propter hoc, & ſubdidit: Tanquàm Deo obſecrante per nos. Non enim per filium ſuum exhortatur ſolùm, ſed etiam per nos, qui filij opus ſuſcepimus. Nè igitur putetis, inquit, quod à nobis rogemini: ipſe Chriſtus vos exhortatur, & obſecrat: Ipſe etiam Chriſti pater per nos. Quid huic excellentiæ par fuerit, qui innumera beneficia contulit, contumeliâ affectus eſt: & contumeliâ affectus non ſolùm non exegit pœnam, ſed & dedit filium ſuum, vt conciliemur, & poſtquàm, qui acceperant, non conciliati ſunt, ſed & occiderunt, iterùm miſit alios legatos obſecrãtes, & illis miſſis, ipſe eſt, qui obſecrat. Quid autem obſecrat? Conciliemini Deo; & non dixit:

2. *Corinth.* 5.

Ex Chryſ hom. 11. *in* 2. *ad Cor.*

Qui deuicta morte reſurgẽs, aſcendit ſuper occaſum, cuius nomen eſt omnipotens, æternumquè cęli habitaculum Redemptor intrauit.

Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus: Apoſtoli mediatores ad mediatorẽ: vices legati fungentes: magnus honor, filij Dei munere fungi.

dixit: Conciliate vobis ipsis Deum. Non enim ipse est, qui inimicitias gerit, sed vos: Deus enim nunquàm inimicitias gerit. [Non petunt Principes mundi huius pacem à subiectis suis, sed isti ab eis veniam, & indulgentiam suppliciter expetunt, & sæpè non obtinent: Deus autem non modò petit ab hominibus pacem, sed obsecrat, nimiùm indulgens: quotidiè apparet: homo priùs recedit à Deo, sed ipse scit, quòd sit spiritus vadens, & non rediens: ideòque cælestis medicus prior vènit ad infirmum, non vocatus, sed vocans, non recipit mercedem, sed donat, tribuens peccatorum remissionem.]

Quicumq; acceptas iniurias, & offensas duro corde retines, vt de ijs vindictam sumas; audi Dominum dicentem: Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciũt. Verè longanimis Deus, & multùm misericors, & miserator! Recogita: Quem petit? Pro quibus petit? Quis petit? Vbi petit? Patrem filius, pro impijs crucifixus inter ipsas iniurias, non verborum, sed mortis illatæ, pendens in cruce, tanquã ad hoc extentas manus habuerit, vt sic pro illis oraret, vt dirigeretur oratio eius, sicut incensum in conspectu patris, *& eleuatio manuum eius sacrificium vespertinum.*

Aliàs; Dimitte.

Lucæ 23.

Phras. Psal. 110

Moriuum ex August. in Psal. 85.

Psal. 140.

Nemo tamen sibi multùm de misericordià Dei blandiatur, Virga directionis est. [Sed hæc virga ad ignem admota charitatis Dei mollescit, vt peccatori dimittatur: percutiat, & sanet. Nec sine mysterio accipientes arundinem Iudæi sacrum Iesu caput percutiebant; *Matth. 27.* Caro nanque Christi bona arundo, quæ serpentis caput contriuit: *Ambros.*] Numquid dicimus non esse misericordem Deum? quid misericordius eo, qui parcit tantùm peccatoribus, & qui in omnibus conuersis ad se, nõ

Psal. 44.

Nota.

curat præterita ? Sic eum dilige misericordem, vt velis esse veracem, non enim misericordia potest illi auferre iustitiam, neque iustitia misericordiam.

Ex Aug. ibid.

Vasa Charitatis homines sunt. Si charitatis oleo volumus abundare, non solum bonos, sed & malos debemus diligere. Bonos, quia boni sunt: Malos, vt boni fiant. Habet enim hanc virtutem oleũ charitatis, vt & bonos meliores faciat, & malos de peccatorum tenebris ad lucem veritatis reducat. [Caueamus vasa odij facere nostra, quia si semel radicem fixerit, difficultèr eradicabitur.] Ideò propheta dicit: In operibus manuum suarum comprehensus est peccator; nè existimes te machinationem in alium moliri, quando struis alicui insidias, tibi enim ipsi contexis retia. Pulchrèque addidit: Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem: ostendens, non sẽper quæri remissionem, & laxamentum. Si enim semper futura sit quies, & remissio, vbinàm ostendetur patientia? Pœnas dabunt improbi, & extrema patientur. Neque enim Deus patietur, vt ijs, qui iniuriâ afficiuntur, perpetuæ parentur insidiæ. Per hoc, & eos consolatur, & illos terret, & Dei ostendit clementiam, quod hos quidem mora reddit probatiores: illos verò trahit ad pœnitentiam.

Interpres dicit: Non enim in finem mitium expectatio tradetur obliuioni.

Vt non sine aliqua patientia viueret, *Tertul. loquens de Iob.* cui omnia duplicia reddidit Dominus, præter filios.

Psal 7.

Alibi verò, quàm accuratè de his idem Sanctus rex, & propheta eloquatur, qui legis, aduerte. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. (Quis capere sufficit clementiæ Dei immensitatem? Inuestigabiles omninò viæ misericordiæ eius, quibus ad pœnitentiam vocat, allicitque peccatores, imò & dulciter trahit, vt illis ignoscat.) Hoc autem Paulus de ma-

Fælix, qui potest dicere: Viã eius custodiuit, & nõ declinaui ex eâ, *Iob.23.*

Roman.13.

magiſtratu ſignificat dicens: Non enim fruſtrà gladium portat. Quod ſi in Magiſtratibus gladius id facit, & terret: multò magis in Deo. Porrò autem hoc eſt non vulgaris clementiæ per verba terrere,& pœnam amplificare, nè re ipſà experiamur. Propterea enim intendit, propterea parauit, propterea ſagittas impoſuit, propterea ſe parat ad ſupplicium, nè veniat ad ſuppliciũ.Orationẽ autẽ reddit grauiorẽ,peruibrauit quidẽ,ſeù acuit ſupplicij vehemẽtiã, per intẽdit autẽ propinquitatẽ;per propinquauit verò in id,quod omninò futurum eſt,ſi nõ fuerint mutati, per ardentibus autem, reos oſtendens, vt per hæc omnia docti improbitatem reprimant. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiuè Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus, tamquàm ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, &c. 1.*Petr.* 2.] *Ex Chryſoſt. in præcit. Pſal.* 7. *Nouit Dominus mutare ſẽtentiam, ſi tu noueris emendare delictum. Ambroſ.*

In alio Pſalmo: Intendit arcum ſuum, donec infirmentur. Minæ Dei non ceſſant, arcus Dei, minæ Dei. Intenditur arcus,nondùm ferit. Intendit arcum ſuum,donec infirmentur: & multi infirmati ſũt ipſius intenſione arcus territi. Nam hinc infirmatus eſt ille qui dixit: *Quid me iubes facere? Ego ſum*, inquit, *Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris*. Qui clamabat de cœlo, arcum tendebat. Multi ergo, qui fuerunt inimici, infirmati ſunt, & conuerſi.Noluerunt erigere diù ceruices ſuas aduerſus perſeuerantiam extenti arcus. Nam ſic infirmatus eſt & ille qui ait: Ne timeamus infirmari: *Quando infirmor, tunc potens ſum*. Et cum oraret à ſe tolli ſtimulum carnis, quid ei reſponſum eſt? *Virtus in infirmitate perficitur*. [Imò, vt exiſtimo, emiſit ſagittam amoris igne ſuccenſam, vt diceret in poſterum: *Vulneratus amoris ego ſum*. Et: *Omnia arbi-* *Pſal* 57. *Ex Auguſt. ibid.* *Act* 9. *2. Cor.* 12. *Ibid.* Auctor. *Cant.* 5.

Philip. 3. Ibidem 1. Galat. 2. Ibidem 6. *tratus sum, vt stercora, vt Christum lucrifaciam:* Item: *Mihi viuere, Christus est.* Et: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Rursus: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Bonum signum, de quo Psalmista ait: *Fac mecum signum in bonum.* (Psalm. 85.) Fœlix, qui stigmate Christi obsignatus fuerit, & insignitus: Gloriosum sigillum. Vtinàm & nos tali vulnere digni facti simus à Deo Maiestatis, dilectionis, & pacis.]

Psal. 121. Ex Aug. ibidem. *Pulchrè quidem Dauid Rex, & propheta: Fiat*, inquit, *pax in virtute tua: quod idem est, ac si diceret:* O Ierusalem, ò ciuitas, quæ ædificaris, vt ciuitas, cuius participatio tua in idipsum, fiat pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua, quia virtus tua, dilectio tua. Audi Cantica Canticorum: *Valida est, vt mors, dilectio.* (Cant. 8.) Magnificentiùs exprimi nō potuit fortitudo charitatis, quàm vt diceret; Valida est, sicut mors, dilectio; Quis enim resistit morti? Fratres, intendat charitas vestra: Resistitur ignibus, vndis, ferro, resistitur potestatibus, resistitur regibus: venit vna mors, quis resistit? [Tu terribilis es, & quis resistet tibi? &c. *Psal. 75. Alibi.* Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo irā tuā dinumerare? *Ibid. 89. Consule, deuote lector, Bern. ser. 6. super Cant.*] Nihil est illa fortius. Propterea viribus eius charitas comparata est, & dictum est; Valida est sicut mors dilectio; & quia & ipsa & ipsa charitas occidit quod fuimus, vt simus, quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio. Ipsa morte mortuus erat, qui dicebat: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo* (*Galat. 6.*) Ipsa morte mortui erant, quibus dicebat: Mortui .n. estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Deus in nomine tuo saluum me fac. & in virtute tua iudica me. *Psalm. 53.* & Dñe in virtute tua lætabitur rex, &c. *Psal. 20.*

Eam tamen Saluator noster moriendo destruxit, vt in die resurrectionis dicamus: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? 1 Cor. 15.

Ità & vos existi.

Deo. *Valida est, sicut mors dilectio*. Si ergo valida est, fortis est, & magnæ virtutis, & ipsa est virtus & per ipsam reguntur infirmi à firmis, terra à cœlo, populi à sedibus.

Quàm deuotè verò, ac prudentèr de his loquatur Iacobus frater Domini, & quàm magna breui sermone complectatur, quasò, pie lector, attende. Si tamen, inquit, *legem perficitis regalem secundùm scripturas: Diliges proximnm tuum sicut te ipsum, benè facitis. Regalem quippè viam vocat, quam quis sequi habet, nisi velit errare. Ait enim Apostolus Doctor Gentium: qui diligit proximum, legem impleuit.* A Christo autem virtus tolerandi præbetur, vt quia priùs asperæ, ac per hoc fastidiendæ iniuriæ videbātur, posteà libentèr suscipiendæ, vt Christi auxilio lenirentur. Libentèr ergo cædi se dicit, dummodò à Christo curetur, sciendo plùs addere medicinam Christi ad salutem, quàm infirmitas detrahit sanitati: *Proptereà sequitur: Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs. Cum enim infirmor, tunc potēs sum.* Verum est, quia tunc vincit Christus, cum perdere putatur: tunc perdit perfidia; cùm se vicisse gratulatur. Plaudit ergo, cùm illi insultatur, & surgit, cùm premitur.

Hæc autem omnia multà laude digna, & imitatione, quis operatur, nisi amor Dei? Est namque Deus *ignis*, qui *consumit* quidem, sed non affligit, ardet suauitèr, desolatur fęlicitèr. Est enim verè carbo desolatorius, sed quis hìc in vitia exerceat vim ignis, vt in animà vicem exhibeat vnctionis. Ergo in virtute, quà immutaris, & in amore, quo inflammaris, Dominum præsentem intellige; Nam *Dextera Domini facit virtutem*. Non autem fit hęc mutatio dexteræ excelsi, nisi in feruore spiritus, &

in

stimate, vos quidem mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Dño nostro. *Rom.* 6. *Coloss.* 3.

Iacobi 2.

Matth. 22.

Rom. 10.

Ex *Ambros. in* 1. *ad Cor. cap.* 12. *vers. Libentissimè itaq; magis gloriabor, &c.*

Nota.

Aduerte.

Matth. 16.

Ex *Bernar. ser.* 57. *super Cant.* *Psal.* 119. *Ibi*: Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs: seù iuniperorum. *Consul. Genebr.* *Deut.* 4. *Psal.* 117. *Psal.* 76.

in charitate non ficta, ità vt dicat, qui eiusmodi est: *Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Porrò hoc igne consumpta omni labe peccati, & rubigine vitiorum, si iàm emundatà, ac serenatà conscientià sequatur subita quædam, atque insolita latitudo mentis, & infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorũ alterum proptèr nos oblectandos, alterum proptèr ædificandos proximos reor dari: oculus respicientis proculdubio est iste, *educens quasi lumen iustitiã tuam, & iudicium tuum tanquàm meridiem*; iuxtà illud prophetę Isaiæ; *Orietur*, inquit, *tanquàm sol, lux tua, &c.* [Caueamus verba labijs prolata, sermones adulatorios, & fallaces: quod est in corde, & corde loqui. Regnum enim cælorum sola verborum officia non obtinent: & blandimenta sermonis, & mansuetudinis simulationem, diuinus magister Iesus Christus, admonet fructu operationis expendi oportere: vt non qualem, quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat, spectemus: *Ex Hilario Canon. 6. in Matth.*]

Psal. 38. *Psal. 35.* *Esai. 58.*

Plenitudo legis est charitas. Ideò lex vacuatur, si fuerit destituta charitate. Vitalis quędam vena legis est, & reliquarum charitas virtutum. Cæteræ, quas in partem se contrahunt, illa omni communis est gradui: siuè mente excedas, siuè sobrius fias, vbique charitatis, & necessarius, & iucundus est vsus. Reliquarum officia variantur gratiarum, & vicibus alternantur: charitatis continuantur iura quodam iugi tenore: siuè mente excedamus Deo, siuè sobrij simus; vrget nos charitas Christi. Vos verè sicut arbitror, vrget charitas Christi. In quid vos vrget? In se ipsam; aliorum alia sunt officia,

Rom. 13. *Ex Giliberto ser. 19. super Cant. Inter Opera Bern.* *2. Cor. 5.* Diuisiones gratiarũ sunt, idẽ autem spiritus, &c. 1. Cor. 12.

ve-

vestrum speciale munus est, amor. Improbus sui prouocator est amor, & dulcem agit in patientes tyrannidem. [Bona tyrannis, quæ non deprimit, sed eleuat: eòque altiùs, quò magis quis in eius subiectione gaudens profecerit.] Amor se ipsum in prouectus semper vrget vberiores: *Aemulamini filiæ Ierusalem charismata meliora*, magis autem, vt ametis. Æmulatio vos, hæc semper ampliùs vrgeat. Mandatum hoc vobis semper sit nouum. Et nouū est, nisi in vestro dulcis Iesus veterauerit affectu. Vtinàm semper in vobis ille recens sit. [Noui quidem semper esse debemus, quia vetustas nobis obrepere non debet, sed etiam crescendum, & proficiendum est: *August. in Psalm.* 131.] nec mora tēporis aliquid immineat gratiæ. Vtique recens in vobis vester Iesus est. Ipse semper recens, sed non Deus alienus; Verè recens, in quem semper anxio inhiatis amore. [Non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deus alienum: *Psalm.* 80.] Denique id solum habetis in vobis, vt vobis semper amplius placeat. Quantum placet, qui satis placere non potest. Nulla magis vos ratione placere potestis, quā si vobis placeat ipse. Animum vult, aliud non quęrit. Solus sufficit, si tamen totus impenditur. Satis est pro viribus tuis, sed parum est pro eius meritis. Si te tibi conferas, & tua metiaris, ex regulà sufficit; sed, si te de te nil tibi relinquitur. Si autem ex ipsius te regulà metiaris, & velut in librà colloces, quid tu momenti aduersùs illum tenebis? Si infrà vires tuàs amor se cohibet, & contrahit, iniquus est; & si iuxtà vires tuas, exiguus. Quid ergo? supra vires casso te extendes conatu? Quid ni? amor non capit de impossibilitate remedium; Nulla satis magna sunt amoris officia, vbi tamen ipse non inte-

Hoc est, magnus, indefessus, insatiabilis.

Iuxta illud: Quæ quidem retrò sunt, obliuiscens, ad ea verò, quę sunt priora, extēdēs me ipsum, &c. *Philip.* 3.

1. *Cor.* 12.

Ioan. 15.

Quod absit omninò.

Paulus beatus, cuius anima cogitatione assidua in cælo erat: Si qua ergo, inquit, noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. 2. *Cor.* 5. *Consule ibi Chrys. hom.* 11.

Iuxta illud: Diliges Dominū Deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. *Luca.* 10. 26

tepuit amor. Quomodò erit in officijs propensus, in se ipso parcus? Amor seipso nihil impendit libẽtiùs, nihil vberiùs potest. Quæ maior vbertas, quã vbi nihil decerpitur? Amor exęstuat, se ipsum nõ capit, superfluit sibi, immensitatem ęmulatur, dum metam nescit affectui ponere. Oleum est, quod stare nescit, nisi cum vasculum desijt, nisi quod, nec tunc nouit compesci. Musti præfert amor insigne, quod natiuitatis suæ feruore quodam, & velut ætatis lasciuià excrescit, & superfluit, capi nesciens, & nouo semper exferuescit, & fermentatur affectu. Amor infirmitatem non causat, sed magis accusat. Amori nihil satis est, nihil minus se ipso. Amor se ipso satiari non potest: & tamen, nisi se ipso pasci non potest, ipse sibi dulce satis est pabulum: Amor nil magis vult, quàm amare. Quam dabit homo commutationem pro amore? [Si dederit homo omnem substantiam domus suæ prò dilectione, quasi nihil despiciet eam: *Cant*.8.] Quam dabit, vel quam accipiet? Nihil gratius amore impenditur, nil dulcius sentitur. Amor, & dulcitèr optat, & dulcitèr vtitur, dulcitèr deliciatur, & dulcitèr dolet. Verè dulcis amor, & solus dulcis amor, & omnis dulcis amor, sed non est amor ad amorem Christi. (*Iuxta illud;* In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.) Super omnem pulchritudinem, inquit, dilexi sapientiam, Quomodò nõ decorus, qui candor est lucis æternæ? Frater mi Ionatha, quàm amabilis es, & decorus valdè? Volebam Iesum dicere, sed de consuetudine Ionathæ produxi vocabulum, & tamen gratus error, qui gratiam expressit, Error in nomine, sed in re nominis huius est seruata proprietas; Ionathas columbę est donum, illum significans, qui spiritualis gratiæ est ple-

Quia in oliuà fructus est pacis, oleum enim pacem significat, siue charitate nulla pax est. *Aug. in Psalm.* 117.

Phras. Matth. 16. *ibi*: Quam dabit homo cõmutationẽ pro anima sua? Nihil est enim homini anima sua concũctius, &c. *Chrysost.*

Galat. 2.

Sap. 7. *Consule Aug. lib.* 4. *de Trinit. cap.* 20. *tom.* 3.

2. *Reg.* 1.

plenus, puerum qui datus est nobis, siuè Ionathã, siuè Iesum dicam, Iesum intelligo. Quàm amabilis es frater mi Ionatha, & decorus valde! Præsũptionem putatis, quod fratrem meum dico? Verba, non meam temeritatem, sed eius charitatem sonãt. Præsumptio fuerit. si non ipse Iesus mihi indulserit ausum. Denique & ipse cognationis huius, & assumpsit habitum,& exhibuit affectum, & iuxta Apostolum: Non confunditur,nos fratres vocare. Si nõ confunditur,cur non & tu confidentèr dicas, Frater mi Ionatha; aut si domestico magis vis vti vocabulo, Frater mi Iesu amabilis es, & decorus valdè, amabilis es super amorem mulierum? Anxio, & vehementi affectu, vestra, sanctæ mulieres,in Christum inardescunt vota, sed ipse multò magis est amabilis, quàm amatur à vobis. [Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primà Sabbati, vènit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. *Matth.* 28. Pia quidem voluntate, sed errantes Deum quærebant in sepulchro: *Chrysost.*] *Æmulamini ergo charismata meliora*, magis autem, vt ametis.

Hebr. 2. *Item*, Vade ad fratres meos,& dic eis, &c. *Ioan.* 10. *Alibi:* Ite,nunciate fratribus meis, &c. *Matt.* 28.

1.Cor. 12.

Dauid loquitur in suis oraculis, seù potiùs Spiritus sanctus per os eius: *Speciosus præ filijs hominũ*: *Psalm.* 44. *Vel, vt alij legunt*: Pulchritudine ornatus es à filijs hominum. A magno enim ardore, & summà in Iesum affectione percitus ad eum conuertit orationem, quemadmodùm Iacob quoque dicebat: Ex germine meo,fili mi,ascẽdisti, lapsus dormijsti,vt Leo. A Deo enim afflatus,cum eo deinceps loquitur, & ad ipsum dirigit orationem. Hoc autem dicit, non per comparationem. Non enim dixit: *Speciosior*, sed *speciosus formà præ filijs hominum*. Hæc pulchritudo est alia. *Ex Chrysostomo in præfationem Psalm.* 44.

Regnũ cęlorũ, regnum sempiternũ, perfectè laudantiũ, quia perfectè amantium; perfectè autẽ amantiũ, quia facie ad faciem contemplantium. *Aug. in Psalm.* 103. Hanc visionem expetebat Dauid,dicens: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea faciem tuã Dñe re-

requirim *Psal.* 26 Dum Christus apparuerit vita nostra, similes ei erimus: quoniam videbimus eũ sicuti est. 1. *Ioan* 3. Nota.

Ex Genebr in Psal 44.

Ioan. 1.

Forma S. Dei, in qua æqualis est Patri, forma hominis, in qua minor est *Patre. August.*

Pulcher es animo, & corpore, Rex Messia, (vt interponit Chaldæus) præ reliquis hominibus; in vtriusque formà nullus, tecum potest comparari; vt quis sis plenus gratia, veritate, mansuetudine, sine vlla peccati labe, & habeas labia adornata multà gratià. Secundùm spiritualem pulchritudinem, neminè posse Christo comparari, indubitatum est. Secundùm corpoream sibi facilè persuadebit, qui vel eius figuram ad veritatem expressam à diuo Luca viderit, vel epistolam Lentuli Proconsuli de eius lineamentis legerit, vel ad rationem physicam, & medicam attenderit. Quia enim pulchritudo ab interiore naturæ crasi, temperamentouè proficiscitur, vt Christus optimo, incorruptissimoque fuit temperamento, ac corpus melioribus proportionum numeris compositum sibi ipse assumpsit, quare fortasse ad pondus quærunt medici: ita & colorem, & formam, & totam corporis habitudinem lectissimam habuisse, necesse est, vtpotè ab interna naturæ temperatione manantem, quæ sese potissimùm in facie ostendit. Hinc * Nicephorus ex antiquis monumentis, & historijs, illum fuisse tradit vultu viuido, dulci, egregio, neque rotundo, neque acuto, sed aliquantũ longiore, cuius color ad triticum accederet, modicà fuscedine rubescens. 2. Statura septenùm palmorum, siuè ternùm cubitorum, & semis, idest, satis procerà. Nam maximà, non solet octonos palmos, siuè quaternos cubitos, excedere. Ex Aben Ezra. 3. Oculis χαροποῖς, fuluis, cum aliquo nigrore splendescentibus, venustis, & acribus. 4. Supercilijs nigris, nèc valdè reflexis, barbà flauà, nèc admodùm demissà. 5. Comà sufflauà prolixiore, ad occipitium lenitèr declinante. 6. Naso aquilino. 7. Collo sensim decliui, itaùt non arduo, & extento nimium corporis statu esset. 8. Per omnia deni-

Nicephorus *lib* 1. *Histor.*

Fuluis decora, floribus, &c. *Hymn* 1. Virgilius appellauit Iaspidem fuluã, quæ tamen est viridis. *Et in Apocalyp.* 4. Qui sedebat, similis erat aspectui

denique ſuæ Genitrici ſimilem, quam idem Nicephorus deſcribit ex diuo Epiphanio, & Cedrenus in Cōpendio hiſtoriæ, facie honeſtà, graui, affabili, aliquantò longiore, non rotunda, neque acuta, ſtaturà mediocri, aut potiùs mediocrem longitudinem excedente, colore triticum referente, naſo longiore, labijs floridis, capillis flauis, oculis acribus, ſubflauas, & tanquàm coloris oleæ pupillas habentibus, ſupercilijs inflexis, & decentèr nigris, manibus ſimul, & digitis longioribus. Quæ locum in Luciani Athei Philopatri, Traiani tēporibus illuſtrant, dùm Chriſtū ἀποφαλαντῖαν, & ἐπίρρινον vocat ἀποφαλαντίαν quidem recaluaſtrum, modicè à fronte caluum, quòd Iudæorum more prolixiorē ſuam comam in occipitiū promitteret, & immergeret, itaùt frons eius tota, & aperta oculis ſpectantium obijceretur ἐπίρρινον . . . autem, quo etiam vocabulo vſus eſt Nicephorus, naſo aquilino, & iuſtè eminenti. Quæ omnia hominem mirè honeſtant, & ſpecioſum præ filijs hominum reddunt.

Qui lapidis Iaſpi lis, ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Ieſus Dominus ſimilis dignatus eſt m tri ſuæ eſſe: imagi us honor Mariæ Virginis, de qua dicitur; Sola ſine exēplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto. *Lib. 2. cap. 25.*

Mariæ Virginis Speciei deſcriptio

Sed reuertamur quaſò, vnde diſceſsimus, & ijs, quæ diſſeruimus de beneficijs Dei continuè humano generi miſerentis, adijciamus aliqua, quæ ad amorem tantæ maieſtatis, tantique benefactoris etiam nos vrgeant, vt ore ſimul, & corde cernui dicamus cum Apoſtolo: Charitas Chriſti vrget nos: & cum Petro Apoſtolorum Principe verè poſſimus dicere: Domine tu ſcis, quia amamus te. Cum audimus, quod cælum, terram, mare, aerem, aquas, ſtellas multas, duo luminaria magna, plantas, quadrupedes, natalia, & volatilia animalia, omniaque generalitèr, quæ videntur, propter te, tuamque ſalutem, & honorem Deus creauit, non magnam capis conſolationem, & maximam dilectionis Dei demonſtrationem hanc ſuſcipis: cum

Ex Chryſ hom. 7 ad Pop col. 2. & ſeq. tom. 5. Geneſ. 1. Pſalm. 14. Luminaria: vocat ſāctos Paulus lumen orbis terræ: *Philipp. 2. verſ 15.*

cogitaueris, quod tantum, & talem mundum, tàm pulchrum, & magnum, & admirabilem propter te pusillum in medium protulit? Cum igitut audieris, quod in principio fecit Deus cælum, & terram, nè simplicitèr dictum prætercurras, sed terræ magnitudinem mente percurre, & reputa, quàm lautam nobis & opimam produxit mensam, & multam passim nobis delectationẽ præbuit: & (quod quidem est maximũ) quòd in nullorum laborum retributionem dedit, nèc in meritorum præmium tantum, & talem mundum, sed paritèr nos finxit, & hoc regno genus nostrum honorauit; inquit enim: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. [Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cum sit Dominus, &c. *Act.* 17. Qui ex nihilo fecit vniuersa, idem ipse custos est veritatis, vt dicitur in *Psalmo* 145. Vide, quàm magna res sit veritas, & Deo grata virtus, sectemur eam, quia ipse Deus veritas est: erubescamus valdè, cum mentimur, pœniteat multùm super eo: præueniamus cogitatione, quæ locuturi sumus. Apostolus dicit: ***Deponentes mendacium, loquimini vnusquisque veritatem cum proximo suo, Ephes.*** 4. Et in superioribus: ***Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, quæ est caput Christus.***] Quid est ad imaginem nostram? Principatus imaginem dixit: vt quemadmodũ nullus in cælo est Deo superior, sic super terram nullus sit homine superior. Homo autem positus sub præcepto audiuit à Domino Deo; Noli tangere, Genes. 2. & 3. Quid? Hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in paradiso? Prorsùs ideò est in paradiso, quia bona est, sed nolo, tangas. Quare non tango? Quia obedientem te volo, non contradicentem seruum: ad hoc

Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarũ sunt cęli, &c. *Psalm.* 111.

Doctrina subtilis, & quæ, nisi [illegible], declarationem exigit: *Ex Aug in Psal. 70. Conc. 2. col. mihi 9.*

Obediẽtia pręcipitur.

hoc serui, sed noli malè seruire. Serue audi priùs Domini iussum, & tunc iubentis disce consilium. Bona est arbor, nolo tangas. Quare? Quia Dominus sum, & seruus es. Hæc tota causa est. Si parua est, dedignaris esse seruus. Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? Quomodò eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto?

Dilectio ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognouit Deum: Qui non diligit, non nouit Deum. Quare? Quia Deus dilectio est. Quid ampliùs dici potuit, fratres? Si nihil de laude dilectionis diceretur per omnes istas paginas huius epistolæ, si nihil omninò per cæteras paginas scripturarum, & hoc solùm vnum audiremus de voce spiritus Dei, quia Deus dilectio est: iam videte, quia facere contrà dilectionem, facere contrà Deum est. Nemo dicat, in hominem pecco, quòd non diligo fratrem meũ. Intendite, & facile est peccatum in hominem, in Deum solùm non peccem. Quomodò non peccas in Deum, quando in dilectione peccas? Deus dilectio est. Nunmquid nos dicimus? si nos diceremus, Deus dilectio est, fortè scandalizaretur aliquis ex vobis, & diceret: quid dixit, quid voluit dicere; quia Deus dilectio est? Dedit dilectionem Deus, donauit dilectionem Deus, ex Deo est dilectio, Deus dilectio est: ecce habetis, fratres, scripturas Dei, canonica est ista epistola: per omnes gentes recitatur, orbis terræ auctoritate tenetur, orbem terrarum ipsa ædificauit. Audis hic à spiritu Dei, Deus dilectio est? Iam si audes, fac contrà Deum, & noli diligere fratrem tuum.

1. Ioann. 4.

Ex Aug. ibidem Tract. 7 col. mihi 4.

Neque hoc dicas: Quid magnum feci? in hominem peccaui, &c. *Consul eũd. Sanct. ser. 16. de verb. Domini: post initiũ*

Qui in ore dicit, *Diligam te Domine*, & in corde fratrem habet odio, quomodò Deum diligit, non obediens ei, qui dixit; *Diliges Dominum Deum tuum,*

Ex Chrysost. in Psalm. 13 col. 2. in fin. & seq. Matth. 22.

& pro-

Deuter. 6. Ioann. 14.

& proximum tuum ſicut te ipſum? Dominus dicit; *Qui diligit me, ſermones meos ſeruat*; qui ergo non ſeruat, non diligit. Ore dicit Deum, & corde dicit, *non eſt Deus*. Teſtis eſt Dominus, qui dicit; *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Quod autem, qui fatrem ſuum habet odio, is etiam Deum odit, licet ore clamet, ac vociferetur ſe Deum amare, dicit Ioannes Euangeliſta in epiſtolà; *Qui dicit ſe Deum amare, & fratrem ſuum odit, mendax eſt*.

Eſaie 29. Matth. 15.

1. Ioann. 4.

Ex lib. de Vita Christiana c. 6. inter Opera Aug tom. 9.

Chriſtianus ille eſt, qui exemplo Chriſti, nèc inimicorũ nouit odiũ, ſed magis aduerſantibus ſibi benefacere, & pro perſecutoribus ſuis, & hoſtibus exorare; cuius in pectore ſola pietas conſiſtit, & bonitas, qui neminem nouit lædere, & nocere, ſed omnibus opem ferre. Nam qui aliquem lædere, aut nocere paratus eſt, ille mentitur, ſe eſſe Chriſtianum. Chriſtianus eſt, qui poteſt iuſtà voce dicere: [Quid hac voce fortius, quid dignius, quid mãſuetius, & Chriſti Diſcipulo conuenientius?] Nemini hominum nocui, iuſtè vixi cum omnibus; Deus præcepti ſui obſeruatione placatur, tranſgreſſione offenditur.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum, ſeù grabatum, doloris eius, &c. Pſ. 40.

Fons irrigans terram allegoricè.

Ex Aug. lib. 2 de Geneſ cont. Manichæos c. 5. t. 1.

Geneſ. 2.

Pſalm. 141.

Eccleſ. 10.

Fons aſcendebat (Spiritus ſanctus per Moyſen inquit) *de terra, & irrigabat omnem faciem terræ*: De qua ſcilicèt terra dicitur: *Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium*. [Et credo videre bona Domini in terra viuentium: *Pſalm. 26.*] Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondùm per ſuperbiam proiecerat intima ſua: *Initium enim ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*. Et quoniam in exteriora per ſuperbiam tumeſcens cæpit non irrigari fonte intimo, benè inſultatur illi verbis propheticis, & dicitur: *Quid ſuperbit terra, & cinis? Quoniam in vita ſua proiecit intima ſua*. Quid eſt enim ſuperbia, aliud,

aliud, nisi deserto conscientiæ secreto, foris videri velle, quod non est, ? Et ideò laborans iam in terra necessariam habet pluuiam de nubibus, idest, doctrinam de humanis verbis, vt etiam hoc modo possit ab illa ariditate reuirescere, & iterùm fieri viride agri. Sed vtinàm, vel pluuiam veritatis de ipsis nubibus libentèr excipiat. Nam propter illam Dominus noster nubilum carnis nostræ dignatus est assumere, imbrem sancti Euangelij largissimum infundit: promittens etiam, quod si quis biberit de aqua eius, rediet ad illum intimum fontem, vt forinsecùs non quærat pluuiam. Dicit enim: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. [Nolite itaque contemnere nubem carnis, qua non obscuratur sol, sed tegitur: Pareamus quæsò humili, & alacri mente, & corde præceptis Euangelicis ore dominico prolatis.] *Ioann. 4.*

At, qui secundùm testimoniũ Christi, & Apostoli; *Plenitudo legis dilectio est*: tamen nutrix dilectionis humilitas est, & totius mali odij mater superbia. Ergò totius boni initium humilitas est, & totius mali superbia. Denique perditionis initium à superbia cæpit per Diabolum, initiumque salutis ab humilitate per Christum: propterea conuenientèr, & omniũ beatitudinum humilitatem fecit initium. [Humiliauit semetipsum, &c. *Philipp. 2.*] *Hom. 9. ex 55. In Matth.* *Rom. 13.* *Matth. 22.* *Nota.* *Matth. 5. Ibi Beati pauperes spiritu, &c.*

Nihil tàm alienum à diuino amore hominem reddit, nihil tàm facilè in gehennam intrudit, quàm superbiæ insania, sub qua omnis nostra vita immunda est, quàmuis pudicitiâ, virginitate, ieiunio, orationibus, eleemosynâ, quàmuis omni denique virtute præstemus. Immundus, inquit, apud Deum omnis superbus. Coerceamus ergo hanc animi elationem, hunc fastum penitùs tollamus, si mundi esse, & eo, quod Diabolo paratum est, supplicio, volumus liberari, *Ex Chrys hom. 8. in Ioann. col. mihi penult.*

rari,

rari. Superbus enim eodem, quo Diabolus cruciatu damnatur: audi Paulum: *Non Neophytum, nè in superbiā elatus in iudicium incidat, & in laqueum Diaboli.* Quod in iudiciū? Quem in laqueum? In ipsam dānationem, & in ipsum suppliciū. [Horripilat anima mea in verbis istis. Caueamus hoc iam grande barathrū.]

1. Timoth. 3.

Non nobis dicitur: ite ad orientem, & quærite charitatem, nauigate ad occidentem, & inuenietis dilectionem, intùs in corde nostro est, vnde nos iracundia excludere solet, & redire iubemur, dicente propheta: *Redite prauaricatores ad cor*. Non enim sicut iam dixi, in longinquis regionibus inuenitur, quod à nobis Dominus petit, intùs ad cor nostrum nos mittit. In nobis enim ponit, quod requirit, vbi tota charitas profectò in animi bonitate, vel volūtate cōsistit, de qua volūtate Angeli pastoribus clamarūt: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. [*Vel vt alij legunt*, In hominibus bona voluntas, Luc. 2.] Et ideò, quia nulla nobis ante tribunal Christi excusatio poterit esse, cū Dei adiutorio totis virib⁹ laboremus, vt in „animis nostris magis præualeat bonitas, quā malitià, „ plus patientia, quā iracūdia, plus benignitas, quā in„ uidia, plus humilitas, quā superbia; Et vt totū breui „ sermone concludam, sic totum cor nostrum obtineat charitatis dulcedo, vt in nobis locum habere non possit odij amaritudo [Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur à vobis cum omni malitià, &c. *Ephes.* 4.] Sed dicit aliquis: nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus scripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu è contrario respondes, non posse: Considera nunc vtrùm tibi, an Deo debeat credi. Et ideò, quia veritas mentiri non potest, iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas: quia nec impossibile aliquid

Ex Aug. ser. 61 de Temp.

Esaia 64.

Labor, compendiosus, vt plantemus virtutes, eradicemus vitia. Sed opus hoc operatur in nobis diuinus ille agricola Christus Iesus.

Amor dulcis, odium amarū. Prior vtilis, posterius damnificum.

aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est. Quid tergiuersamur incassum? Nemo enim, quantùm possumus, melius nouit, quàm qui nobis ipsum posse donauit. Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ, & tàm delicatæ puellæ flammas, & ignes, & bestias æquanimitèr pertulerunt: & nos stultorum hominum conuicia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorum hominum nequitià inferuntur: si possumus etiam vsque ad mortem illorum iniurias vindicamus: vnde nescio, qua fronte, vel quà conscientià, cum omnibus sanctis in æternà beatitudine partem habere desideramus; quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus?

Dominus dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: Et tunc veniens offeres munus tuum.* Ecce ille reatus gehennæ, quã citò solutus est! Nondùm reconciliatus, eras gehennæ reus, reconciliatus, securus offers munus tuum ad altare. Homines autem faciles sunt ad irrogandas iniurias, & difficiles ad concordiam requirendam. Pete, inquit, veniam ab homine, quem offendisti, ab homine, quem læsisti. Respondet: Nõ me humiliabo. Vel Deum tuum audi: Si fratrem tuum contemnis: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Nõ vis te humiliare, qui cecidisti? Multùm interest inter se humiliantem, & inter iacentem. Iam iaces, & humiliare te non vis? Benè diceres: Nolo descendere, si noluisses ruere. Hoc ergo debet facere, qui fecit iniuriam. Qui autem passus est, quid debet? Quod audiuimus hodie: *Si peccauerit in te frater*

Matth. 5.
Ex Aug. serm. 16 de Verb. Domini tom. 10.

Gehennæ memoria vtilis, obliuio damnificans: *Ex Chrysost in Psal. 10. vers.* Quis noster dominus est?

Consideratio subtilis quidẽ, sed æquè deuota, & charitate plena: vtinam & nostris cordibus, clauis amoris Dñi cõfigatur.

Luc. 14.

Matt. 18. *tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum*. Si neglexeris, peior es. Ille iniuriam fecit, iniuriam faciendo graui seipsum vulnere percussit, tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, & negligis? Peior es tacendo, quàm ille conuiciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis. Nam gloriosum est, iniurias obliuisci: sed obliuiscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui. [*Non te pigeat, qui Concionatoris in Ecclesiâ Dei fungeris ministerio, totum sermonem sancti Doctoris legere, idque non perfunctoriè, sed attentè nimis*.]

Ex Chrysost. hom 18 in Matth. col. mihi 3. Nihil ità lædentes coercet, vt patientia, modestiaque læsorum: nec sequuturum modò coercet impetum, sed de præcedente exigit pœnitentiam, cogitque cædentem, vt à percusso, cum modestiæ illius admiratione, discedat. Quinimmò & familiares facit, nec solùm amicos de inimicis, sed sæpè etiã famulos. Sicut è contrario vltionis *exactio* vtrumque confundit, ac deteriores facit, & iram ad maius inflammat incendium: ad mortem quoque ipsã peruenit malum, in vlteriora progrediens; propterea eum, qui palmis cæditur, non modò prohibuit irasci, sed etiam percutientis iram exsatiare præcepit Iesus, vt nè primam quidem iniuriam sustinuisse videretur inuitus. Hoc enim, inquit, modò etiã impudentissimum plaga certiore percuties, quàm si eum ferires manu. Et non solùm tibi eum tolerabiliorem facis, verùm etiam sibi modestioré.(Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, &c. *Ioan.* 18. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, &c. *Matth.* 26. *& paulò antè* Colaphis eum ceciderunt. &c. *O admirandam filij Dei patientiam! Vide, quomodo ipse prior iniurias, quas nos perferre præcepit, pertulit*;

Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ, si sitierit potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super, caput eius. *Rom* 12.

tulit; factus nobis exemplar, & exemplum.) Donatur Ber. ser 4. 8. super Cant col. 3. in fin.& seq.

Est profectò vnum solùm naturà diligendum, id quod verè est, de quo etiam dicit lex Decalogi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua.* Et vnum est rursùs verè odio habendum, nempè vitij inuentor, vitæ nostræ hostis. De quo dicit lex: *Odio habebis inimicum tuum*: Dei enim dilectio est, fortitudo eius qui diligit. Ad vitium autem affectio exitium affert ei, qui malum diligit. Sic enim dicit prophetia; *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentũ meum, & refugium meum, & liberator meus: Alibi:* Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me. *Item:* Factus èst Dominus refugium pauperi, &c. *Item:* Domine refugium factus est nobis à generatione in generationem. *Deus est de quo dicitur in Psal.* 25. Abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui (*Tuta prorsùs absconsio: vtinàm ego tali custodià, & custode dignus efficiar.*) De contrario autem dicit: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*: Pluet super peccatores laqueum. Tempus ergo diligendi Deum est tota vita, & tempus abalienationis ab aduersario est totum tempus vitæ. [Regnum cælorum, regnum sempiternum, perfectè laudantium, quia perfectè amantium, perfectè autẽ amãtium, quia facie ad faciem contemplantium: *Aug. in Psal.* 105. Diligamus hic Deum, quantùm possumus, vt ibi plenè amare mereamur. Sit Deus amoris nostri scopus: ad illum dirigantur cordis nostri flãmigeræ sagittę.] Qui autem paruo aliquo vitæ suę spatio est remotus à Dei dilectione, planè exit ab eo, cuius à charitate seiunctus est. Eum autem, qui est extrà Deum, extrà lucem esse necesse est, quoniam

Ex Nysse. hom. 8 in Eccl. ed. mihi 4.
Deut. 6.
Matth. 22.
Matth. 5.
Psal. 17.
Psal 31.
Psal 9.
Psal. 89.
Psal. 10.

Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam dominus: *Psal.* 120. &: Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. *Ibid.* 126.

Deus est lux: 1. *Ioan.* 1. Quin etiam extrà vitam, & incorruptionem, & quamcumque mentis conceptionem, & rem, quæ consideratur rela a ad id, quod est præstantius: quæ quidem omnia est Deus. Qui enim non est in his, est omninò in contrarijs. Eum itaque, qui est eiusmodi, excipiunt tenebræ, & interitus, & exitium, & mors.

Ex eodem, Nysseno lib. de Beatitudinibus or. 7. col mihi 4.

Consule Aug. *Enarrat in Ps.* 71.

Matth. 5.

Pax non est aliud, quàm cum dilectione coniuncta aduersus popularem, & proximum affectio mutua. Est autem pacificus is, qui pacem alteri dat: at nemo præbere alteri possit, id quod ipse non habeat. Vult igitur pacificus Rex noster, verus Salomon, Iesus Christus, te priorẽ esse plenum pacis bonorum, deinde verò præbere indigentibus eiusmodi boni, & ideò dicit, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. (Videte, inquit Ioannes Apostolus, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus! Et homines quidem filij Dei dicti sunt; Angeli autem nunquàm. Atqui de Angelis dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos suos flammam ignis.*) Quid igitur est id, quod dilectioni ex aduerso intelligatur? Odium, Ira, Excandescentia, Inuidia, iniuriarum tenax memoria, simulatio, calamitas, atque clades belli. Videsnè aduersùs quot, & quales morbos, quasi *præmuniens* remedium, vna sit vox? Nam pax cuique enumeratorum malorum ex æquo repugnat, & aduersatur, suique præsentià abolitionem mali præstat. Vt enim superueniente sanitate, morbus euanescit, ac luce apparente, tenebræ non relinquũtur: ità cum pax apparuerit, soluuntur omnia, quæ ex contrario conflantur incommodo. Hoc verò quantum sit bonum, nihil opinor opus esse persequi oratione: tu ipse per te reputa, atque perpende, qualis sit

1. *Ioan.* 3.

Ex Chrys. hom. 11. in Genes. col. mihi. 4.

Psal 103.

Sic legit Apostolus, *Hebræor.* 1. Vulg. habet: ignem vrentẽ.

Olij fructus maligni recensentur.

Sanitas morbũ fugat: tenebras lux eliminat.

ſit vita eorum, qui mutuis odijs, atque ſuſpicionibuslaborent, quorum occurſus quidem, atque congreſſus in fauſti: abominabilia autem, atque deteſtabilia ipſis inter ſe omnia: ora item voce carentia, obtutus aduerſi: aures ad vocem odio proſequentis, & odio habiti obturatæ: quicquid alterutri eorum charum eſt,id alteri inuiſum:atque ex cõtrario, quicquid inimicũ,&hoſtile,id aduerſario,atq;inimico gratum, & acceptũ eſt. Vt igitur aromata boni, ac ſuauis odoris fragrantia, ſui proximum aera replent, ita tibi ex ſuperflua copia abundare gratiam pacis vult, vt tua vita alieni morbi medela ſit. [*Pſ.* 71. Ibi orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis: &c. Et in ortu Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſecundùm carnem;Totus erat orbis in pace compoſitus.] Nota.

In oratione, quam Iurìsperitus ille diuinus ore proprio dictauit, docuitque diſcipulos ſuos, quos Apoſtolicà dignitate decoràuit, legimus: Sanctificetur nomen tuum. Quæ autem eſt iſta ſanctificatio Dei, niſi vt ſanctis moribus viuentes in nobis Deus ſanctificetur? Nam quicumque puro corde, & pacifico cum omnibus hominibus viuit: *Loquitur veritatem in corde ſuo, & doloſè non agit ſub lingua ſua*: in hoc videntes homines bona opera clarificãt patrem, qui eſt in cælis. Dixit ipſe Dominus noſter; *Sancti eſtote,quia ego ſanctus ſum*. Quid eſt ſancti eſtote, niſi præcepta mea implete, voluntatẽ meam facite, in vijs meis ambulate. (Vos amici mei eſtis,ſi feceritis, quæ præcipio vobis: *Ioan.* 15. *Et paulò ſuperiùs*: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. *Alibi*: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus

Matth. 6. Ex Chryſ. hom. 9. ex varijs in Matth. locis.

Pſal. 14.

Si fieri poteſt; quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: *Roman.* 12.

Leuit. 19. & 20.

bus vos, &c. *Matth.* 5. *Principi tenebrarum dictum legimus:* Surde, & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius non introeas in eum: *Marc.* 9.

Psal. 111. *Diabolus à præceptis Dei timet, & continuò obedit, homines secùs, & mandatum sæpiùs repetitur, custodire nimis audactèr contendũt: Quid perniciosius?*) In mandatis eius cupit nimis, *seu volet*, Rex, & Propheta dicit in Psalmis. Hoc autem dixit; exigens

Ex Chrys. ibid. exactam vitæ institutionem, & animam amore sapientiæ præditam. Non dixit; Mandata eius faciet, sed, volet, aliquid aliud requirens. Quidnàm autem hoc est? Ea facere cum studio, & animi alacritate, esse vehementes eorum amatores, iussa eorum persequi, amore ea non propter mercedem, quæ est pro ipsis proposita, sed propter eum, qui illas statuit, virtutem cum voluptate persequi, non propter metum gehennæ, nec propter minas supplicij, nec propter promissionem regni, sed propter eum, qui leges tulit. Quin etiam alibi ostendens voluptatem, quam capit ex præceptis Domini: *Quam dulcia sunt*, inquit, *gutturi meo eloquia tua suprà mel & fauum ori meo!*

Omnes fideles, qui stigmata Domini Iesu in corpo-

Galat. 6. *re nostro portare, profitemur, & satagere debemus, obe-*

Auctor. *diamus præceptis eius: in hac obedientia sit gloria nostra, non in huius seculi; illa ad vitam ducit, hæc ad*

Prouerb. 10. *mortem trahit; illa veritati innititur, adhæretque, hæc mendacijs, & pascit ventos, hoc est, Dæmones pascit, illisque voluptati est, atque derisui. Exprobantibus nobis, & vilitatem indulgere inimicis, dimitte-*

2. Tim. 1. 12. *req; iniuriantibus, & maledicentibus: respõdeat vnusquisque nostrum, quia speramus in sermonibus Dei, & scimus, cui credimus.*

Dilectionis Dei, veluti agri pleni, cui benedixit Do-

minus

minus, vberes fructus docet Apostolus: Diligentibus, inquit, *Deum, omnia cooperantur in bonum; seù, vt alij legunt: Scimus, quod ijs, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonum.* Cum autem dicit, *omnia*, & ea item, quæ molesta esse videntur, dicit: Nam vt afflictio, vt inopia, & carcer, vt fames, vt mors vt quoduis aliud ingruat, potest hæc omnia Deus in contrarium commutare, quandoquidem & hoc immensæ potestatis eius est, quæ grauia esse videntur, ea nobis læuia reddere, & ad auxilium nostri conuertere. *Roman. 8.* *Ex Chrys. ibidē hom. 15.* Quæ solent tribulare, enumerantur.

Certum est, nos mandata seruare, si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendũ est, vt tantũ velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est, quod præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est: *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet*: de quo dictum est: *Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & operari;* [*seù vt Vulgata legit:* Et velle, & perficere pro bona voluntate.] Certum est nos facere, cum facimus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: *Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Cum dicit, *Faciam*, vt *faciatis*: quid aliud dicit, nisi, auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis, & dabo cor carneum vnde, faciatis? *Præstet Iesus, vt auferatur cor lapideum, & mutetur in nobis cor carneum: duritiàque mollità, possit in se præcepta Domini suscipere, quæ scribuntur; Hieronymus in Naum cap. 1. vers. Indignatio eius, &c. Et in vigesimo primo Psalmo: Factum est cor meum, tanquàm cera liquescens: vt charitas Dei, veluti in sigillo quodam, corde infusa facilè imprimatur: Aut tristitia, quæ secundùm*

Ex Aug. lib. vno De Gratia, & libero arbitrio c. 16. & 17. t. 7. *Psalm. 36.* *Philipp. 2.* *Ezechiel. 36.*

Ex Aug. ep. 120 cap. 14 tom. 2. Tabescere me fecit zelus meus &c. *Psalm.* 118. *Et*; Vidi præuaricantes, & tabescebam, &c. *Ibidem.* *Hierem.* 31.

cundùm Deum est, & salubri contabescat, (quia mandatis Dei non obedijt) sicut ipse idem Petrus, cum amarè fleuit. Nam & tristitia, quasi soluit cor. Vnde dicitur etiam græcè λύειν *quod hinc appellata sit* λύπη] *Legimus etiam in oraculis Hieremiæ prophetæ: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iudæ testamentum nouum. Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde eorum scribam eos.* [*Phrasis Apostolorum 2. Corinth. 3. Ibi: epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, &c. Qui ergo locutus fuerat Moysi, locutus est & Apostolis, & in cordibus Discipulorum velox scribentis Verbi manus, noui Testamenti decreta condebat, nulla, vt quondam, circumfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos, atque fulgores populo ab accessu montis absterrito: sed patente ad aures circumstantium tranquillitate colloquij; vt per gratiæ lenitatem remoueretur legis asperitas, & spiritus adoptionis auferret formidinem seruitutis.*

Ex Leone mag. hom. de eo, quod scriptum est, Videns Iesus turbas, &c. *Roman.* 8.

Magnus ille Apostolus, & Euangelista sublimior, Ioannes, inquam, cui maiora reuelata sunt secreta cælestia: Audiui, inquit, vocem sicut citharædorum citharizātum in citharis suis. Et paulò ante: & tanquàm vocem tonitrui magni. Vt legislatio cum metu pœnæ habeat simul pietatis dulcedinem, atque veniæ; iuxtà illud: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Dulce quippè est, ac medolum iudicium, quod misericordia præcedit. Quæ namque vox dulcior, qui cantus suauior, quàm remissio peccatorum? Dùm Deus præcipit, non primùm castigationem intendit, sed præcepti obseruantiam, vt muneret.]

Apocalyp. 14. *Psalm.* 100.

Aug. lib. vno De Gratia, & libero arbitr. vt supra.

Sed redeamus iam, vnde discessimus. Et hoc quid est, nisi, *auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis?* Ille facit, vt faciamus.

mus, qui dicit homo: *Pone Domine custodiam ori meo*: *Psalm. 140.* hoc est enim dicere: Fac, vt ponam custodiam ori meo; quod beneficium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: *Posui ori meo custodiam.* [Aliàs ostium con- *Psalm. 38.* tinentiæ circa labia mea: *August. Alitèr;* Portam attentionis, &c. *Chrysostom.* Vtinam & mihi misero concedatur Dei hoc donum. Sed & cogitationibus paritèr, nè vagētur, sed sint ad Dominū, vt euellat de laqueo affectus meos, & diuina laude repleatur cor meum, vocesq; laudationis sonent verba mea.] Qui ergo vult facere Dei mandatū, & non potest, iā quidē habet voluntatem bonam, sed adhùc paruam, & inualidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam. [*Vt dicat*: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. *Psalm. 72. Fælix prorsùs, qui depositā suà, voluntate Dei penitùs duci se finit. Et cum Apostolo totius Orbis magistro:* Domine, *ait*, quid me vis facere? *Act. 9. Non sicut cæcus ille interrogatus à Domino*: Quid vis, vt faciam tibi? *respondit*, Domine, vt videam: *Marc. 10. Matth. 18.*] Sed rursùs oportet ad priùs institutam redire doctrinam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna vtique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt, de qua charitate ipse Dominus, ait, *Maiorem hac chari- Ioann. 15. tatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Nondùm enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes: *Hæbr. 12. Et in Psalmo* 115. Quid retribuam Domino, &c. Calicem salutaris accipiam. *Item in Euangelio Matt. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Calicem verò in scripturis diuinis passionem intelligimus: *Ex Hieronym. in Matth. 20.*] Vnde & Apostolus dicit: *Qui diligit proximum, legem impleuit*: *Rom. 13.*

Ex Aug. ep. 120 cap. 14 tom. 2. Tabescere me fecit zelus meus &c. *Psalm.* 118. *Et*; Vidi præuaricantes, & tabescebam, &c. *Ibidem.* *Hierem.* 31.

cundùm Deum est, & salubri contabescat, (quia mandatis Dei non obedijt) sicut ipse idem Petrus, cum amarè fleuit. Nam & tristitia, quasi soluit cor. Vnde dicitur etiam græcè λύπη quod hinc appellata sit λύειν] *Legimus etiam in oraculis Hieremiæ prophetæ: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iudæ testamentum nouum. Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde eorum scribam eos.* [*Phrasis Apostolorum 2. Corinth. 3. Ibi: epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, &c.*

Ex Leone mag. hom. de eo, quod scriptum est, Videns Iesus turbas, &c. *Roman.* 8.

Qui ergo locutus fuerat Moysi, locutus est & Apostolis, & in cordibus Discipulorum velox scribentis Verbi manus, noui Testamenti decreta condebat, nulla, vt quondam, circumfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos, atque fulgores populo ab accessu montis absterrito: sed patente ad aures circumstantium tranquillitate colloquij, vt per gratiæ lenitatem remoueretur legis asperitas, & spiritus adoptionis auferret formidinem seruitutis.

Apocalyp. 14. *Psalm.* 100.

Magnus ille Apostolus, & Euangelista sublimior, Ioannes, inquam, cui maiora reuelata sunt secreta cælestia: Audiui, inquit, vocem sicut citharædorum citharizãtum in citharis suis. Et paulò ante: & tanquàm vocem tonitrui magni. Vt legislatio cum metu pœnæ habeat simul pietatis dulcedinem, atque veniæ; iuxtà illud: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Dulce quippè est, ac medolum iudicium, quod misericordia præcedit. Quæ namque vox dulcior, qui cantus suauior, quàm remissio peccatorum? Dùm Deus præcipit, non primùm castigationem intendit, sed præcepti obseruantiam, vt muneret.]

Aug. lib. vno De Gratia, & libero arbitr. vt supra.

Sed redeamus iam, vnde discessimus. Et hoc quid est, nisi, *auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis?* Ille facit, vt faciamus.

mus, qui dicit homo: *Pone Domine custodiam ori meo*: *Psalm. 140.*
hoc est enim dicere: Fac, vt ponam custodiam ori meo; quod beneficium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: *Posui ori meo custodiam.* [Aliàs ostium continentiæ circa labia mea: *August. Alitèr*; Portam attentionis, &c. *Chrysostom.* Vtinam & mihi misero concedatur Dei hoc donum. Sed & cogitationibus paritèr, nè vagētur, sed sint ad Dominū, vt euellat de laqueo affectus meos, & diuina laude repleatur cor meum, vocesq; [laudationis sonent verba mea.] Qui ergo vult facere Dei mandatū, & non potest, iā quidē habet voluntatem bonam, sed adhùc paruam, & inualidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam. [*Vt dicat*: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. *Psalm. 72. Fœlix prorsùs, qui depositâ suâ, voluntate Dei penitùs duci se finit. Et cum Apostolo totius Orbis magistro:* Domine, *ait*, quid me vis facere? *Act. 9. Non sicut cæcus ille interrogatus à Domino*: Quid vis, vt faciam tibi? *respondit*, Domine, vt videam: *Marc. 10. Matth. 18.*] Sed rursùs oportet ad priùs institutam redire doctrinam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna vtique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt, de qua charitate ipse Dominus, ait, *Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Nondùm enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes: *Hæbr. 12. Et in Psalmo 115.* Quid retribuam Domino, &c. Calicem salutaris accipiam. *Item in Euangelio Matt. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Calicem verò in scripturis diuinis passionem intelligimus: *Ex Hieronym. in Matth. 20.*] Vnde & Apostolus dicit: *Qui diligit proximum, legem impleuit*: *Rom. 13.*

Psalm. 38. *Ioann. 15.*

Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.*

Exod. 20.

Iob in omni virtute magnus, Dei testimonio probatus, in patientià verò maior: Rideo in opprobrijs, & non loquar, nèc respondebo conuicijs vestris. Non enim vos estis, qui iudicatis, *sed qui iudicat me, Dominus est,* & ipsius tamen iudicij tempus nondùm aduènit. Quid opus clamare ante iudicium? Bonum est tacere dùm expectatur, qui iudicat. Bonum est, conuicium conuicio non referre, nè & nos inter detrahentes annumeremur. Imitemur ergo hunc virum, qui silentio suo redarguebat conuiciantes. Ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumeliæ non mouerent: & conscientiæ innocentiam manifestabat, qui obiecta non recognosceret, sed quasi aliena rideret.

Iob. 19.
Ex Ambr. lib. 2. De Interpell. Iob cap. 2.
1. Corinth. 3. 4.
Rom. 12.

Vt obseruetur mandatum diuinum dilectionis inimici, odijque omnis depositio fiat, memoriam facere sæpè oportet obedientiæ Deo debitæ, qui sic præcepit, & magnitudinis præmij, vt scilicèt, accepti spiritus adoptionis filiorum fructu potiamur, in quo clamemus fiducialitèr, Abba Pater. Quis non parceret inimicis, vt Regis terræ huius filius recenseretur? Quàm facilè (quod est penitùs admirabile) transgrediuntur homines mandata Dei propter traditiones sæculi, assueti hominum gratià, actus suos dirigere, ac Deo non obtemperare? Ab ipso mundi exordio parentes protoplasti (memores etiam præcepti Dei, quod fuit maioris contumaciæ) & scientes eius voluntatis, ex quo tàm acritèr vapulare meruerunt, consilium Diaboli secuti, post tergum, Domini præceptum proiecerunt, eoque neglecto

sectati

sectati sunt sæculi vestigia. Vetus itaque malum, inobedientia Dei, & vetustate coalitum. Quantum temporis est, quod huiusmodi dicta, scriptaque fuere? Ipse Rex, & Legisfer noster, ipsum Dei Verbum, ac Dei per semetipsum ore proprio hanc legem promulgare dignatus est, & tamen paucos tanto Legislatori parere videmus! [*At contrà Apostolus:* Si adhùc hominibus placerem, Christi seruus non essem: *Galat.* 1. Vę illis, quicunque sunt, qui gloriam abinuicem accipiunt: et gloriam, quæ à solo Deo est, non quærunt: *Io.* 5. *O insensati homines, ambulantes in vanitatibus vestris, quis vos fascinauit non obedire veritati; Gal.* 3. *Quousque inanis huius, falsaque gloriola amore feremini! Quamdiù in illa fastuosi, veluti inexplebiles, procedetis? fascinatio quædam est huiusmodi res: quòd hæc sectantium mundi, imò ipsius mundi, Principis & tenebrarum opinio tanti pendatur.*]

Quid prodest viro, crucem vti, miles Christi Iesu honorificè gestare, in clamyde, & diploide, eamq; longè à corde tenere? Totos se dantes ad sensum carnis explendum? Sagina enim carnalis sensus, traditio humana est, quæ hoc dicit sufficere, quod carnis tradidit prudentia.

Quidam de huius mundi sapientibus (de quibus Apostolo referente, scriptum legimus: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo) Semina, *inquit*, odiorum iacienda. *O infælix, & iniqua propositio? Vtinàm à cordibus fidelium omnium abscinderetur, ac penitùs aboleretur; & vnusquisque nostrum semen amoris seminare studeret, vt quotidiè tritici dilectionis fructus centesimus in horreum Domini congregaretur: dissensionis verò, discordiaque fasciculi traderentur ad comburendum. Frequentèr, quod flens dico, Proceres nostri, & magna-* Author.

tes impetu quodam indignationis acti inter se capitali odio dissident, & descendunt ad singulare certamen. O insensati iuuenes, quis vos fascinauit non obedire veritati? Omne studium adhiberi oportet, vt peruersam opinionem hanc, quam per mundum, sui dilectorem, sectatoremque, Diabolus, cordibus etiam fidelium inseruit, diuellamus, & arceamus; sed & procul vnde sic quotidiè dilatetur, prospiciamus, atque causas ipsas, è quibus tantùm viget perniciosa hæc consuetudo, interimamus. Quod tamen propriè Principum, eorumque, qui suas vices tenent, munus est, & obligatio.

Author. *Pharisæis, & Scribis laruatis interrogantium laruis, reuerà autem capere eum in sermone cupientibus, assuetis eloqui in corde, & corde, dicentibus: Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim lauant manus suas, cùm panem manducant? respondit Verbum Dei: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Seruatis doctrinam hominum, præcepta Dei negligitis. Odio inducti homines propriæ iniuriæ vindices euadunt: vindictam seuerã de iniuriantibus desumere quærunt, studentque immemores, quod non Diabolus Adam, sed „ ignauia sua læsit, dùm ergà obseruantiam mandati „ Dei nòn vigilauit.*

Matth. 15.

Ex Chrys. hom. 40. in Ioann. col. vlt. tom. 3.

At, qui multi malos admirantur, quod & iniuriam facere, & offendere possint: non intelligentes eos maximè miseros existimandos, qui cum alios se lædere arbitrentur, in se ensem stringunt: quod vltima est dementia, vt seipsum lædendo, quis non cognoscat, sed sibi alium lædere videatur. Quod Paulus sentiens, inquit: Quare non potiùs iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Nam accipere iniuriam, in non inferendo est: sicut pati malum in non faciendo malè, quàmuis multi ambigant, nèc sapien-

Nota,

1. Corinth 6.

Nota.

ſapientiam amplecti velint. Hæc conſiderantes, dilectiſſimi, non qui accipiunt, ſed qui inferunt iniuriā, eos miſeros dicamus, deploremuſque, cum ipſi maximè accipiant, & cum Deo bellum gerant, eum omnium contrà ſe ora aperiant, cum in hoc ſæculo malà laborent famà, & in futuro perpetuum ſibi pariant ſupplicium: qui autē accipiunt, & magno animo omnia perferunt, Deum propitiū habeant, omnes eis comiſereātur, ōnes laudēt, omnes benignè ſuſcipiant.

O admiranda ſimul, & verenda animi cæcitas! Nam inſidiator, & calumniator ſeipſum priùs interficit. Siquidem qui ignem tangit, ſe ipſum comburit & qui adamantem percutit, ſeipſum lædit: & qui aduerſùs ſtimulos calcitrat, ſeipſum cruentat. Tale quiddam eſt, qui iniuriam pati, ac generosè ferrè nouit, & adamas, & ſtimuli, & ignis. Qui verò iniuriam inferre meditatur, quouis luto imbecillior eſt. Non ergo iniuriam pati, ſed iniuriam facere, aut neſcire pati, malum eſt. Quot, quantaſque iniurias ferebat Dauid? Quot, quantaſque faciebat Saul? Vter enim iſtorum fortior, ac beatior fuit: & vter miſerior, aut miſerabilior? Nonnè, qui iniuriosè faciebat? Expende autem: promiſerat Saul, ſi à Dauid ſuperatus alienigena fuerit, affinitate ſibi eum coniungere, ac filiam illi in vxorem libentèr tradere. Interemptus à Dauid fuit alienigena, neglexit conuentiones, atque facta Saul; nèc ſolùm filiam illi non tradebat, ſed necem quoque machinabatur. Vter igitur illorum clarior, atque illuſtrior? Nonnè alter, tùm mærore, tùm pernicioſo Dæmone angebatur, alter fulgorem ſolis tropheis, atque victorijs ſuperabat, (quodque maius eſt,) gratiam diuinam conſequebatur? In mulierum verò choro, nonnè alter inuidià tabeſcebat, alter ſilentio cuncta ferendo, ad ſe vniuerſos atraxit, atque

Ex Chryſ. hom. 43. in Matt. t. 2.

Adamas perhibetur, non vinci ferro, igne, vel alia re, niſi hirci ſanguine, & poſitus iuxta magnetem, nō permittit ipſū ferrum trahi à magnete: *Auguſt.*

1. Reg. 18.

1. Reg. 17.

Conſule Auguſ. hom. 31. ex 50. tom. 10.

Ibidem. 19.

1. Reg. 14. atque coniunxit? Cumque illlum in manibus habuerit Dauid, atque pepercerit, vter miserior, atque imbecillior, atque beatior, atque fortior? Nonnè ille, qui nè iustè quidem inimicum animaduertit? [Irrationabili animi motu mactato, occisàque iracundià, factus est tùm victima, tùm sacrificus, tùm altare] Meritò, inquam, ille fortior: Nam Saul armatus erat, constipatus militibus: Dauid autem iustitià muniebatur, quæ multis exercitibus robustior est: idcircò iniurià vexatus, nèc iustè quidem perimere inimicum voluit: nouerat enim nequaquàm nos inferendo iniuriam, sed æquo animo patiendo fortiores fieri: quod & in corporibus, & arboribus perspicere licet. Quid porrò Iacob? Nonnè à Laban iniuriam accepit? Vter igitur fortior, atque robustior, qui cum alterum in manu habuerit, nèc tangere vnquàm ausus fuerit, sed semper eum timuerit; an qui sine turbà militum exercitus ductore illi terribilior fuit? Verùm, vt nobis confirmatior hæc oratio fiat, in ipso rursùs Dauid in contrariam partem verso sermone rem considerauimus. Nam, qui cum magno animo ferebat iniurias, inuictus erat: is posteà iniuriatus, imbecillis factus est. Nam ordo ille tunc permutatus fuerat; cum Vriæ iniuriam intulit, & imbecillitas quidem iniurianti, robur autem iniurià perpesso coniungebatur: quippè Vrias, vel mortuus domum illius depopulabatur: itaut Dauid, quàmuis & Rex esset, & viueret, nihil tamen posset. Ille autem gregarius miles, & occisus, omnia illius sursùm, ac deorsùm confudit. [*Hoc verò procul à Principe esse debet, qui præ cæteris obligatior est seruare promissa. Nèc audiendi sunt, qui perperàm dicunt: tunc ab eo promissa seruanda cum expedit Principatus augmento.*]

Quis vnquã in lege veteri, melius Iacob, docuit exemplo

Videlicèt mortificatis mẽbris, quę sunt super terram: *Hom. de Dauid, & Saule, col. mihi 3 tom.* 1.

Audistis, quia dictum est: Oculũ pro oculo, & dentẽ pro dente? Ego autẽ dico vobis, non resistere malo, &c. *Matt.* 5. 38. 39.

Genes 31.

2. *Reg.* 10.

Fortè clariùs: Iniuriosus, aut iniurius, idest, qui infert iniuriam.

2. *Reg.* 11.

plo diligere inimicos? Esau persequentem se ad internecionem vsque, muneribus honestauit, retribuens bona pro malis. Fugæ consilium iniјt, nè fratrem suum faceret homicidam. Propterea dicitur ei: *Non vocabitur nomen tuum Iacob, sed Israel erit nomen tuum.* Luctator fortis cõtrà Deũ, multò magis cõtrà homines potens eris. Vocatus est Israel, idest, mens videns Deum: *Videns*, inquit, *Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Facies animæ, conscientia appellatur: sicut enim in conspectu hominum gratiosa facta est facies pulchra: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Matth. 5.*

Verissimè in Psalmo cantatur: Priusquàm humiliarer ego, deliqui; ipse dicit: Bonum mihi est, quoniam humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Has ergo iustificationes à Deo didicit Iacob, qui fecit ipsum Iacob luctari cum Angelo: In cuius Angeli persona ipse Dominus erat luctatus. Tenuit, vim fecit, vt teneret, inualuit, vt teneret, fecit se teneri misericordià, non infirmitate. Luctatus ergo Iacob præualuit, tenuit, & quem videbatur vicisse, rogat, vt benedicatur ab eo. Quomodò intelligebat, cum quo luctatus fuerat, quem tenuerit? *Quare violentèr est luctatus, & tenuit? quia regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud: Matth. 11.* [Coimus in cętũ, & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est: *Tertullian.*]

Denique Iacob, qui cor suum ab omni simultate mundauerat, vt pacificum affectum gereret, postquã præmisit omnia sua, solus remansit, & luctatus est cum Deo. Quicumque enim sæcularia negligit, ad imaginem, similitudinemque Dei propiùs accedit.

Author.

Ex Chrys. ser. de martyribus col. 3. tom. 3.

Ex eod. hom. 58 in Genes. col. 4. tom. 1.

Genes. 32.

Ex Auth. Oper. imperf. in Matt. hom. 15. ex 55. col. mi 5. & t. 2. Consule eum.

Ex Aug. in Psal. 147 colum. mihi antepen.

Genes. 32.

Mundum recõcilians sibi, passus est se teneri, vt homo. Non etenim teneretur, nisi homo, aut videretur nisi homo, aut crucifigeretur, aut moreretur, nisi homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. *Ex eodẽ Sancto in Ps. 63. vers. 1.*

Ex Ambr. lib. 2. de Iacob. & c. 6.

Quid

Ephes. 5. Ibi: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi: & *Alibi*: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: 1. *Cor.* 11.

Quid est enim luctari cum Deo, nisi virtutis suscipere certamen, & cum superiore congredi, potioremque cæteris imitatorem fieri Dei? *Sed de his hactenùs*.

Ad rem quæsò redeamus. Quid dicis, ò Christiane, qui nisi vindictam sumas de iniuriante te proximo tuo, vel alitèr offendente, putas, vilem existimandum, & abiectum? Christus mandat, & tu dubitas? Decor Discipulorum Christi, honor, & vt sic dicam, gloria in eius obedientià consistit. Audi Prophetam simul, & Regem, virum bellicosum, fortemque nimis, suetũ bellis, ac prælijs, imò potiùs victorijs, & triumphis, dicentem: *Concupiscet Rex decorem tuum*; non corporis quidem, sed animæ, qui ex obedientià oritur, quæ grata Deo est, & amabilis. Ipse Rex Dauid, vt opinor, surget in iudicio, cum his, qui iniurias vel leues non tolerare, sed vltrà mensuram illarum vindicari se profitentur: eò quòd ille tantus Rex, corona militum, exemplar militantium, copiosè dimisit iniuriantibus; quod isti post Euangelium, Domini præceptum non seruauerunt.

Psal 44. Consule ibi: Chrysostom.

Ipse exercitus ad dimicandum paratus, acuto ferro armatus, in ipso conflictu pacem seruare debet in corde. Procul sit omne odium. Filij Israel processerunt ad pugnandum mente pacificà, inter ipsos quoque gladios, & effusionem sanguinis, & cadauera prostratorum, non suam, sed pacis victoriam cogitantes. *Pacem enim habere debet voluntas, bellum necessitas; non enim pax quæritur, vt bellum geratur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiã bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vnitatem vincendo perducas. Iudex quoque sedens pro tribunali puniturus homicidam, vel furẽ, aut alioquin criminosum, pacatum habeat animum, considerans eos debiles, naturaque fragilis, & semetipsum, nè & ipse tentetur*

Epist. 11. quæ est Hieronymi inter Opera Aug. t. 2.

1. Paralip. c. 12

Auctor ex Aug.

tentetur. Misericordia enim sine iustitià, est pusillanimitas, & iustitia sine misericordià, crudelitas. Ideò que canit psalmista Deo: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine: *Psal.* 100. *Mihi (vt dicam, quod sentio) sæpè numero admirari contingit, & mecum mente confundor, cogitans, & dicens; Quid est hoc malum tàm impressum etiam cordibus fidelium, quàm longiùs abesse deberet; sic personatũ persona honoris, vt nomen eius apud multos obtinuerit. Sordes, & limus aures corporis obstruere solent; aures verò mentis huiusmodi fallax opinio perseueranter obturare cernimus, & sauire.*

Scio, quia dùm nos conuertimus, idest, mutatione veteris vitæ, resculpimus spiritum nostrum, durum sentimus, & laboriosum ad serenitatem, & tranquillitatem diuinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. In tali difficultate, dicamus quæso: Conuertere Domine, & erue animam meam, idest, adiuua nos, vt perficiatur in nobis conuersio, quæ te paratum inuenit, & fruendum te præbentem dilectoribus tuis. Et ideò propheta, postquàm dixit; Conuertere domine, addidit, & erue animam meam, tamquàm inhærentem perplexitatibus huius seculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsà conuersione patientem. [In operibus manuum suarum comprehensus est peccator: *Psal.* 9. h. e. illaqueatus est propriè impius in peccatis suis: *Genebrar. Alibi*: Præoccupauerunt me laquei mortis: *Ibid.* 17. Sed duriora peccatorum ligamina, quàm interitus corporis, sed comburit etiam ea charitatis ignis, amor Dei protinùs soluit: quis namque amans Deum, se eum offendisse acriùs non doleat?]

Ex August. in Psalm. 5. vers. Conuertere Domine, &c.

Iuxtà illud: Tamquàm diluculum paratum, inuenimus eum. *Zachar. Psal. 6.*

Sanctus Hieremias: Ex alto suo, inquit, misit ignẽ

Ex Ambr In ar Oct. 13. in Psal. 118. in ossibus meis. Bonus ergo Deus, qui nobis immittit, vnde diligentes eum, meritum sub conspectu eius inuenire possimus. Quem mittat ignem, ipse nos doceat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi, vt accendatur?* Bonus ignis, quem desiderat omnium Saluator accendi, cum presertim ipsum Deum legerimus ignem esse, qui nostra peccata consumat, intimisque pectoribus nostris diuinę cupiditatem agnitionis infundat, vt ardeat in nobis cor nostrum, cum legimus diuinarum seriem scripturarum, si fortè aliquid coaperiantur propheticæ lectionis occulta, intellectu assumamus spiritali. Quo modo non corrugetur animus tuus in pudorem, frõs tua, affectus tuus in verecundiam? dicens Deo: *Ne reminiscaris Domine delicta mea, neque vindictam sumas de peccatis meis:* Dum de inimicis tuis expetis vindicari? Rex Salomon audiuit à Domino: *Si pracepta mea custodieris, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Vtar itaque (quàmuis vilis præ cæteris peccator sim) verbis Apostoli: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ;* Saltèm vt longæuitatem vitæ huius, in quo omne hominis studium videtur esse, acquiras: dimitte inimicis tuis, parce illis. Audi Prophetam, et Regem; *Si reddidi,* inquit, *retribuentibus mihi mala?* Attende diligentèr. Non est enim vulgare, quod dicitur. Bonum quidem est, iniuriam non facere, sed multò præstantius, & sapientis est animi non vlcisci eum, qui facit iniuriam. Benè ergo Propheta non ait; Si reddidi tribuentibus mihi mala, sed retribuentibus; Qui enim retribuit, iam aliquid acceperat. Maioris autem patientiæ est, nec ei malè rependere, qui acceptis beneficijs reddit mala pro bonis, quàm, si nullo accepto beneficio, nocere vo-

Margin notes: Thren. 1. — Luc. 12. — Deut. 4. — Hebr. 12. — Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum. Ioan. 17. — 3. Reg. 3. — Rom. 6. — Ex Nysseno lib. de Animà, &c. post. Init. — Psal. 7. — Ex Chrys. ibid. — Ex Aug. in Ps. 7

voluisset. Si reddidi ergo, inquit, retribuentibus mihi mala, idest, si te non imitatus sum in illo silentio, hoc est, patientiâ tuâ, quàm pro me operatus es, decidam ab inimicis meis inanis. Inanitèr enim se iactat, qui cùm & ipse homo sit, cupit se de homine vindicare. Attendat quisque nostrum, caueatque sedulò, nè mereatur audire à Domino Saluatore: Ego pro te impio & peccatore, vt tuæ iniquitates mei sanguinis effusione lauarentur, magno silentio, & magnâ patientiâ traditorem meum pertuli. Nonnè imitaberis me, vt, & tu non reddas mala pro malis?

Nota

Ex Aug. ibid. paulò ante.

Agè pro virili nostrâ, diligentèr inquiramus, quęnàm ex morum suauitate bona mansuetis proueniât. Gratus, & amabilis est videntibus, gratus item, & his quibus tantùm nomine notus est: neque facilè vllũ inuenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, & illum videre, & exosculari non desideret, & non habeat in aliquantâ lucri parte eius amicitiâ posse diù frui. Quod si contingat aliquos propter opes inter se se dissidere, mòx ad benignum, & mansuetum illum properarur, bona spe quòd eius bonitate quicquid litium, & contentionum est, è medio tollatur. Atque, si capitales inter se inimici sint, mansueti viri correptione placantur, & mansuescunt, etiã si naturâ in iram, & furorem pensi sint. * Qui verò verò per mansuetos conciliari nequeunt, a intractabiles planè sunt, nulloque honore digni. [a *Phrasis Apostoli Coloss. 2. Ibi*: Propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis, &c. *seù, vt alia litera habet*: In filios intractabiles. *Mitibus hæreditas data est tanquàm testamentum patris cum pietate quærentibus*]

Ex Chrysost. ser de Mansuetud. to. 5.

Vir iracundus suscitat rixas, seù prouocat, Qui pa iẽs est, mitigat suscitatas. *Prou* 15. 18

* Cùm sauit maximè, tàm placidũ, quàm ouem, reddo..

Mater obedientiæ, humilitas, superbia inobedientiam parit. Verbum Dei, & Deus, prodiens è Patris

æterni sinu, vt obedientiam doceret, humiliauit semetipsum, factus obediens, vsque ad mortem, mortem autem crucis. In Psalmis: Non obliuiscitur Deus clamorem pauperum: pauperum autem spiritu, qui ore Domini euangelizantur. Ii namque maximè exaudiũtur, dum orant, qui sunt corde humili, & contriti. [In spiritu humilitatis, & in animo contriro suscipiamur, domine, à te, &c. *In Missa*. Cor .n. contritum proximum cordi mundo, & hoc est esse secundùm cor Dei. Si quidem iuxta est Deus ijs, qui tribulato sunt corde. Samaritanus proximus est illi, qui incidit in latrones: *Ex Bernardo*.] Hic autem duo ponit, & orationem, & humilitatem: *Ad quem enim*, inquit, *respiciam, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea?* Vbique autem orationis vehiculum inuenitur humilitas. Propè enim est Dominus contritis corde. Oportet itaque eum, qui orat, maximè liberari à bilioso ardore. Quod etiam quærit Paulus, dicens: *Absque irà, & disceptatione.* [Quid oro, hoc sibi vult? Quis enim irascitur orans? Cæterùm iræ nomine prophanam iniuriarum memoriam significare voluit. Munda quippè sit orantis intentio huiusmodi memoriæ peste, vitio omni, atque perturbatione liberà accedat ad eum, nullus adeò audax sit, vt inimicitias exercens, ad Deum pergat orandum: *Ex Chrysost. homil.* 8. *in* 1. *ad Timoth. col. mihi* 3.]

Psal, 9. Matth. 5. Ex Chrys in præit. Psal. Esai. 66.

Iis qui dimittunt indulgentià, misericordibus misericordiæ mensura promittitur bona, conferta, coagitata, & supereffluens. Dum verò de pœnis, castigationeque agitur, solis superbis, & immitibus, retributurum abundantèr Dominum *Propheta testatur:* Principium superbiæ est, non agnoscere Dominũ, mandatis eius non obedire: *Primus est impulsus, & mo-*

1 Tim. 2. Luca 6. Author. Psal. 30.

motus ad malum. Venenum in dulcibus sumptum plùs, citiùsque nocet; quæ enim dulcia sunt præ cæteris cibis, natura solet appetere. Subtile virus, mortiferum; difficultèr agnoscitur, difficiliùs repellitur, et fugatur.

Vis tibi dicam, quantum bonum sit modestia, & quantum malum arrogantia? Peccator iustum superauit, Publicanus Pharisæum, & verba factis fuere superiora. Quomodò verba? Publicanus dicit: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Pharisæus dicit: *Non sum, sicut cæteri homines, rapax, auarus*: Sed quid? *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do de facultatibus meis*. Pharisæus opera iustitię præstabat: Publicanus verba dicebat modestiæ, & verba plus potuerunt, quàm facta, tantusque thesaurus, cum contumeliâ reijcitur, & tantâ inopiâ in diuitias commutata est; [Sed hæc verba planè non vacua, non inania, sed humilitate plena, opera erant, iuxtà illud; *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Ioan.* 24. Nam profectò, qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur. Manifestat etiam sermone isto pœnitens Publicanus, iam noscere se ipsum. De qua necessaria, vtilique virtute, (*transiliens potius, quàm desserens*,) pauca pono. Multi, nec seipsos nouerũt, quia, & seipsum nosse quemadmodum homo sibi debet innotescere, non omnium hominum est. Quomodo ergò diligit proximum, tanquàm se ipsum, qui nescit & se ipsum? Non enim frustrà ille filius iunior, qui profectus est in regionem longinquã, vbi, ità dissipauit substantiam suam viuens prodigè, vt diceret; *Surgam, & ibo ad patrem meum, Luc*, 15. priùs reuersus est in semetipsum, nisi, quià tam longè peregrinatus est, vt relinqueret etiam semetipsũ, nec

Ex Chrys. hom. 4 de Verbis Esa. Vidi Dominũ, &c. t. 1. col mihi 7. & seq.

Luc. 18.

Ex Aug. in Ps. 118 tom. 8.

nec tamen reuerteretur ad se, si omninò nesciret se, nec diceret: *Surgam, & ibo ad patrem meum*, si penitùs ignoraret Deum. Quocircà, & quatenùs ista sciuntur, & vt magis, magisque sciantur, non immeritò scienda poscuntur. Quapropter, vt sciamus diligere Deum, sciendus est Deus: & vt sciat homo diligere proximum tanquàm se ipsum, priùs debet diligendo Deum, diligere seipsum. Quod, vnde poterit scire, si nescit Deum, si nescit, & se ipsnm.] Venerunt duæ naues, habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt, sed Publicanus pulchrè in portum appulit: Pharisæus autem naufragium perpessus est; vt disceres, quantum mali sit animi tumor. Iustus es: nè deijcias fratrem tuum. Flores rectè factis, nè probra iacias in proximum, tuasque laudes contrahe: *Quantò maior es, tantò magis submitte te ipsum*. Attende, quod dicitur, charissime, magis iustus metuere debet arrogantiam, quàm peccator. Hoc & heri dicebam, & hodie dico, propter eos, qui heri aberant, eò quòd peccator habet conscientiam, velit, nolit humilem, ac submissam, iustus autem ob benefacta extollitur.

In portu naufragium:

Eccli. 3.

Patet, neminem absque sui cognitione saluari; de qua nimirùm mater salutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipsa sicut initium sapientiæ, ità est & salutis. [Initium sapientiæ timor Domini. Quid est principium? Fons, radix, fundamentum. Quoniam enim tot, & tanta dixit de Domino orbis terræ, & tantà repletus est admiratione, hoc subiungit consequentèr, ostendens deincèps, quod, qui eum timet, impletur omni sapientià, & prudens euadit. Deinde, nè quis existimaret sapientiam non procedere vltrà cognitionem, subiunxit: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Non sufficit enim fides, nisi

Ex Bernardo ser 36 sup. Cãt. Psal. 110.
Ex Chrys. ibid.

Vani autẽ sunt sensus hominis in quibus non subest scientia Dei, &c.

Sapient. 13.

adsit

adsit etiam vitæ institutio. fidei conueniens. Et Apostolus Ioannes: *Qui dicit se nosse Deum*, inquit, *& mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est*. Nemo, dico, absque illa cognitione saluatur, qui tamen ætatem habet, & facultates cognoscendi. Quod propter paruulos loquor, & propter fatuos, quorum alia ratio est. Quid si ignoras Deum? Poterit spes esse salutis, cum Dei ignorantiâ? Nè hoc quidem, nec enim potes, aut amare quem nescias, aut habere quem non amaueris. Noueris proinde te, vt Deum timeas: noueris ipsũ, vt æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad Sapiẽtiam, in altero & consummaris: quia Initium Sapiẽtiæ timor Domini est,& plenitudo legis est charitas. Loquitur Deus per Prophetam, dicens; *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, & tunc demùm illuminate vobis lumen scientiæ.* Tu ergo, pie lector, seminasti tibi ad iustitiam, si ex verà notitia tui euigilâsti timere Deum, temetipsum humiliasti, fudisti lachrymas,eleemosynas profudisti, cæterisque te pietatis actionibus mancipasti, ieiunijs, & vigilijs afflixisti corpus,si pectus tunsionibus,cœlos clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad iustitiam. Semina sunt bona opera,bona studia, semina lachrymæ sunt. *Ibant*, inquit,*& flebant*, *mittentes semina sua*. Sed quid? semper flebunt? Absit:Sed venient cum exultatione portantes manipulos suos. Meritò, cum exultatione, cùm reportant manipulos suos.

1. Ioan. 2.

Ose. 10. Consul. Vulg.

Psal. 125.

Vides,quot,quantaque bona ex notitià Dei oriãtur,suique ipsius. Ex diuerso, qui ægrescunt,ac lãguent,ignoratione Dei, hi sunt, qui versantur inter meridianas tenebras. Quòd videlicèt res ipsæ quãuis meridiana luce perfruantur, animabus alioqui igno-

Ex Basil. Enar. in cap. 16. Esaii

Nota hãc phrasim.

ignorantium insitæ sunt tenebræ. [Sed qui sequitur Iesum, non ambulat in tenebris; quia tenebræ non obscurantur apud eum, vt rectè prophæta; Si volueris, inquit, tenebræ non sunt tenebræ, sed quæ lucis sunt, exhibebunt: *Ex Basil. in Psal.* 138.]

Aufer domine, tenebras mentium, &c. *hym.*

Est lumen, cognitio Dei, de qua scriptum est: Illuminate vobis lumen cognitionis. Magnum lumen quod tenebras cordis euacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas iustitiæ, desiderium virtutis adauget. [Deduc me in semitam mandatorum tuorum; & alibi: Deduxit me super semitas iustitiæ, &c. Item. Vias tuas domine demonstra mihi: & *Psal.* 118. 22. 24. Angusta enim porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: *Matth.* 7. Quoniam semitæ Dei, idest, præcepta eius, angustæ sunt, & iter ad Dominum inexpeditum, & asperum, ideò legimus scriptum; Emitte, domine lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua: *Psal.* 42. Christus mons est, de quo alius propheta dicit: *Erit in nouissimis temporibus manifestus mons domini in vertice montium*, *Isaiæ* 2. Ipse via, semita, vita est; dux quoque, qui ad se ducit. Christo itaque committamus iter nostrum, nè aberremus. Quid sub tanto duce timeamus? Si sub vmbrà alarum eius protegamur. quomodò nocebit miluus rapax?] Magnum lumen, per quod vitamus offendicula, præcipitia præcauemus, euadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus aduersa, respuimus errorem, sequimur veritatem. Quis non desideret hoc illuminari lumine? Quis hoc fulgore illustrari nõ exoptet? Hic est, quòd Propheta nos admonet, dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini*, Qui accedit per fidem, illuminatur per cognitionem.

Ex Greg. in Ps. 129. *qui est sextus Pœnit vers.* A custodia matutina, &c.

Iuxta illud: Nè vnquã offẽdas ad lapidem pedem tuum. *Psal.* 90.

Psal 33.

O hu-

O humilitas, quàm magna es? Tu ornamentum Discipulorum Christi, via regia, quà itur ad Deum, corona Christiani nominis, sceptrum legitimè certantium, compendium præceptorum Domini Iesu, virtutum summa, nexus cæterarum, & fundamentum: sine te alia nil prosunt, imò facilè obesse possunt. Non aliam itaque nobis ad capessendam, & obtinendam veritatem muniamus viam, quam quæ munita est ab illo, qui gressuũ nostrorum, tanquàm Deus, videt infirmitatẽ. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, non quòd alia non sint præcepta, quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcunque benè facimus, & precesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & imposita, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia; vitia quippè cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, nè illa, quæ laudabilitèr facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittamus. Scio tamen, quibus viribus opus sit, vt persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis, qua fit, vt omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia, non humana vsurpata fastu, sed diuina donata celsitudo transcendat. [*Opus arduum, & difficile, sed omnipotenti Deo facile.*]

Ex August. Epist. 56. col. mihi 14.
Iuxta illud: Gressus meos dirige secundũ eloquium tuũ, *Psalm. 118.* Rursus: Perfice gressus meos in semitis tuis, &c. *Psal. 16.* Et tu quidẽ gressus meos dinumerasti *Iob. 14.*
Nota.
Ex August. lib. 1. De Ciuit. Dei cap 1.

[*Vitium hoc induit se, quandoque veste virtutis, & tunc periculosius: vt puta, nè locus vilescat, aut auctoritas eius, qui tribunalium fulcro sublimis est, de facilitate audiendi, ac crebrò visus contemnatur. Caueant, qui sunt in throno, vel sede laterali, nè sic subrepat.*] Pulchrè omninò, & mirabilitèr à plerisque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & se extra omnem constituit dignitatem, & mauult apta esse iniurijs accipiendis, quàm idonea repellendis * vt

Ex Ambr. Epist. 33.

impleatur, quod ait Dominus: *Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium*: *Matth. 5. Et quicunque te angariauerit mille passus; vade cum illo, & alia duo*. Illud, quod Apostolus docet, dicens: *Quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini?* Tales enim multùm ad imitationem ipsius Domini nostri, & Saluatoris accedunt, *qui cum diues esset, pauper factus est*. [Meum ergo paupertas illius patrimoniū est, & infirmitas Domini, mea est virtus: *Idem sanctus Doctor in Luc. cap. 12.*] *Et cum malediceretur, non maledicebat, & percutienti se, non cōminabatur*. Et quoniam dixerat: *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui vos oderunt*: vt huiusmodi beneuolentiam confirmaret exemplo, ipse pro ijs, à quibus crucifigebatur, orabat.

Nota *a. iuxta illud, quod veluti in quadam pompa theatri constitutus Apostolus dicit*: Plasieo mihi in iniurijs in necessitatibus in persecutionibus, in angustijs. *2. Cor. 6.*

2. Cor. 8.

1. Pet. 2.

Matth. 5.

Luc. 23.

Ex aduerso, Væ illi, iterùm dico, Væ, cuius *maledictione os plenum est, & amaritudine*, (quam Doctor Gentium, & mundi Magister, tollendā præcipit:) qui iracundè crebrò loquitur, placidi sermonis nescius; & dolo, cum non ex corde, sit lingua; subest eius linguæ labor, & dolor, quibus alios vexat. *Verè contritio, & infælicitas in vijs eorum, qui viam pacis non cognouerunt*. Omnes enim malorum hominum viæ plenæ sunt labore, & miseriâ. Ideò dominus clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, et ego reficiam vos*. De huiusmodi Iob magnus in prosperis, maior in aduersis in suis oraculis: *Sonitus*, inquit, *terroris semper in auribus illius, & cum sit pax, ipse semper insidias suspicatur: non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium*. Et in Prouerbijs: *Fugit impius nemine persequente*. Flagitiosi quippe etiam vmbras tremunt, etiam de amicis pericula suspicantur. Multò itaque

Psalm. 60. ex Genebrar. ibidem.

Psalm. 13. Ex Aug. ibid.

Matth. 11.

Iob. 15.

Prou. 28. Ex Chrysost. homelia 25. in Matth.

itaque de inimicis magis, quinimmò etiã seruulos reformident, & non modò notos. Et cuiquam Poetæ dicere licuit: *Quos diri conscia facti, mens habet attonitos, & surdo verbere cadit.* Iuuenalis.

Omnia, quæcunque voluerit Dominus, fecit in cælo, & in terrà, in mari, & in omnibus abyssis. Putas, inuenimus & nos aliquid, quod liberà voluntate faciamus? Inuenimus planè, cum ipsum Deum amando laudamus. Hoc enim & liberà voluntate facis, quãdo amas, quod laudas: non enim ex necessitate, sed quia placet. Vnde iustis, & sanctis Dei placuit Deus, etiam flagellans eos. Quando iniquis omnibus displicet, placuit illis, & sub flagello eius, in ęrumnis, in laboribus, in vulneribus, in ægestate constituti laudauerunt Deum. [*Iuxta Prophetæ oraculum dicentis*: Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam. Hoc est, sine intermissione: in prosperis, quia consolaris: in aduersis, quia corrigis. Antequàm essem, quia fecisti: cùm essem, quia salutem dedisti: cùm peccassem, quia ignouisti: cùm conuersus essem, quia adiuuisti: cùm perseuerassem, quià coronasti.] Non eis displicuit nec torquens: Hoc est, gratis amare, non quasi proposità acceptione mercedis, quia ipsa merces tua sũma Deus ipse erit, qnem gratis diligis: sic amare debes, vt ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet, sicut Philippus desiderat, cùm diceret, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Meritò quia hoc de liberà voluntate facimus, & de liberà voluntate facere debemus; quia delectati facimus, de hinc amando facimus: quia etsi corripimur ab illo, nobis nunquàm displicere debet, quia semper iustus est. Hoc dixit ille laudator eius: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi*. Et alio loco:

Psalm. 134. Ex August. Ibidem.

Psalm. 70. Ex Aug. ibid. enarrat. 1 part.

Gratis amare Deum, quid? Protector tuus sum, & merces tua magna nimis. *Genes. 15.*

Ioan. 14. Merces vestra copiosa est in cælis. *Matth. 5.* Seu multa est in cælo. *Luca 6.*

Nota.

Psalm. 55. Psalm 53.

Voluntariè sacrificabo tibi. Quid est, voluntariè sacrificabo? Voluntariè laudabo te, quia *sacrificium laudis*, inquit, *glorificabit me*.

Psalm. 49

Rom. 1.
Psalm. 145.
Ex Aug. ibid.

Alibi idem vates cælestis, secundùm cor Dei, figura Dñi nostri Iesu Christi, qui factus est ex semine eius secũdùm carnẽ. Lauda, inquit, *anima mea Dñm: Laudabo Dñm in vita mea*. Quid est in vita mea? quia modò in morte mea sũ. Ergo priùs exhortare te, & dic: *Lauda anima mea Dñm*. Respondet tibi anima tua: Laudabo quantùm possum, tenuitèr, exilitèr, infirmitèr. Quare? quia quamdiù sumus in corpore, perigrinamur à Domino. Quare sic laudas Dominum, non perfectè, non stabilitèr? interroga scripturã; quia *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Tolle mihi corpus, quod aggrauat animam, & lauda Dominum. Tolle mihi terrenam habitationem deprimentem sẽsum multa cogitantem, vt à multis in vnum confluã, & laudem Dominum. Quamdiù autem ita sum, non possum, prægrauor: Quid ergo? silebis, & non laudabis perfectè Dominum? *Laudabo Dominum in vita mea*. Quid est *in vita mea? spes mea tu es*, hìc dicimus. De hac Apostolus Doctor gentium: Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam, sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum: *Hebr. VI.*] *Portio autem mea non hìc, sed in terra viuentium:* nam ista terra morientium est.

1. Cor. 5.
Sap. 9.
Psal. 90. & 141

Cant. 1.
1 Tim. 2.
Ex Nysseno Homil. 1 in Cant.

In Canticis Canticorum legimus: Osculetur me osculo oris sui. Quibus verbis, qui vult omnes esse, saluos, & venire ad agnitionem veritatis, ostendit perfe-

ctissimum

ctissimum, & beatum modum salutis, eum dico, qui sit per charitatem. Nam nonnullis fit etiam salus per timorem, quando intuentes ad minas supplicij gehennæ, separamur à malo. Sunt etiam aliqui, qui propter spem mercedis repositam ijs, qui piè vixerint, se rectè, & ex virtute gerunt, non charitate bonum possidentes, sed expectatione remunerationis. Sed qui animo currit ad perfectionem, expellit quidem timorem; est enim eiusmodi seruilis affectio; propterea, quòd non propter charitatem permaneat apud Dominum, propter flagrorum autem metum non aufugiat. Despicit autem ipsas quoque mercedes, nè videatur mercedem pluris facere, quàm eum qui donat lucrum. Diligit autem ex toto corde, & anima, & potestate, non aliquid aliud ex ijs, quæ ab ipso fiunt, sed eum ipsum, qui est fons bonorum. Nota.
[*Beatus Thomas Aquinas, (cuius laus est in doctrinis suis, per omnes Ecclesias) interroganti Domino: Quam prò eo, quod benè de se scripserat, reciperet, mercedem, respondit,* Non aliam Domine, nisi te ipsum; *plenam amoris responsionem, & ignitæ charitatis*!]
Cuius omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce eius, huic & mundus crucifixus est, certus amorē rem crucis Christi vitam esse, mundi verò amorem parere mortem. *Ex Ambros. in epist. ad Galat. circa finem.*
[*Quis vnquàm appendet in statera amorem Dei erga hominū genus? Studeat quæsò vnusquisque nostrum emere à rege gloriæ Iesu Christo aurum ignitum, vt locuples fiat, & vestimentis albis induatur, & non appareat confusio nuditatis suæ. Est enim Iesus Christus testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo: ipsi gloria, et imperium in sæculo sæculorum Amen. Verè autem cæ-* *Apocal 3.*
phas

phas, quia potens Christus, et fortis: in fortitudine eius, non in virtute propriâ omnis anima roboratur. Ipse est suorum militum, sors, et corona, præmium. Ipse coronat in misericordiâ, et miserationibus electos suos, et super capita eorum diadema ponit pulchritudinis, et vita, lætitiaque sempiterna.] In signum amoris tui, (verè Deus dilectionis, & pacis) *facis Angelos tuos Spiritus propter* nos, quibus mandasti, vt *custodiant nos in omnibus vijs nostris, nè fortè offendamus ad lapidem pedem nostrum*. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis tuæ nouæ Hierusalem, & montes in circuitu eius, vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Nè quando rapiat, vt leo animas nostras, dùm non esset qui eriperet, ille antiquus serpens aduersarius noster diabolus, quasi leo rugiens semper circumit, quærens quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Ierusalem, quæ sursùm est mater nostra, in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus vijs suis [Nonnè plerunque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta, ad memoriam gaudij illius, quod est in Hierusalem, quæ sursùm est, quæ est mater nostra, & lachrymarum vndâ meditantium vultus superfunditur? [, ò si duraret] Si non proposuero Hyerusalem in principio lætitiæ meæ. Verè in principio letitiæ, quia finis illic repositus est. Bernardus.] Confortent quoque, & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nempè cõciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant. Ideòque magna curâ, & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, & locis, succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & soliciti discurrentes

inter

Apocal. 1.

Psalm. 111.
Ex August. libro vno Soliquiorũ cap. 17.

Custodia Angelica irremissam, ac perpetuam Dei prouidentiã, in homines, præsertim adstruit.

Psalm 90.

Psalm. 124.
Phras. Luc. 2.
Psal. 7.

Apocal. 12.
1. Pet. 5.
Apocalips. 21.
Hebraor. 1. 14.

Tobia. 12.

Inter nos, & te Domine: gemitus nostros, atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuę benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant, & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quàmque honestè in medio prauæ nationis conuersemur, quantoque studio, & desiderio quæramus regnum suum, & iustitiam eius, quantoque timore, & tremore seruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus: compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum ergà nos, & hoc totum propter honorem tuæ inestimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis, custodiunt, quos tu custodis, & deserunt, quos tu deseris, nec diligunt operantes iniquitatem: *quoniam, & tu odisti omnes operantes iniquitatem, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Quoties benè agimus, gaudent Angeli, & tristantur dæmones. Quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus; *gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente*: Sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. Dà igitur, dà pater eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos lauderis in nobis, & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, [Vt vnus omnes vnicum ouile nos pastor regat. *Hymnus*. Vt confiteamur simùl nomini sancto tuo creator hominum, & Angelorum [ò nouissimum, & altissimum, ò humilē, & sublimem, ò opprobrium hominum, & gloriam angelorum

Nota.

Phras. Apost. Philipp. 2.

Rom. 12.

Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, &c. 2. Tim. 2.

Philip. 1. ibid. Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.

Psalm 5. Nota.

Luc. 15.

Ioan 10.

Psalm. 105. vers. pen. idest. Vt laudemus nomen sanctū tuum, & cantemus laudē tuā. *Genebr.*

angelorum. Bernard. in fer. 4. Hebdomadæ Pen.] Hęc ipse commemorans coràm te, confiteor laudans te, quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quicquid cæli ambitu continetur, & quasi parua reputas hæc, quæ sub cælo sunt, nisi adderes etiam ea, quæ super cælos sunt. Laudent te, Domine, de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipsi Sancti tui benedicāte. (Et quia noster hùc sermo peruenit, nè te pigeat, obsecro in Domino, deuote lector, legere quæ sequuntur.)

Phras. Psal. 103 Habr. 1.

Psal. 117. Consule Genebrard. ex Areopagita. Confiteãtur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.

Psalm. 144.

Animæ suspiranti frequentèr, imò sine intermissione oranti, & afflictanti se pro desiderio dilecti sponsi, cum interdùm desideratus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrit, puto illi de propriâ experientiâ conuenire, vt dicat cum sancto Hieremia: *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* [Vbi sanè & ipsam numeri discretionem prudentèr aduerte, quòd sperantes quidē in eo pluralitèr dixerit, quod hoc videatur commune multorum; quærentem verò eum singularitèr, quod singularis sit puritatis, singularis gratię, singularis perfectionis, non modò nil sperare, nisi ab eo, sed nil quærere nisi eum.] Sed & Angelus eius, qui vnus est ex sodalibus sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profectò, & arbiter secretę,
„ mutuæque salutationis, is, inquam, Angelus quo-
„ modò tripudiat, quomodo collætatur, & cōdelectatur, & cōuersus ad Dñm dicit: Gratias tibi ago, Dñe, maiestatis, quia *desideriū cordis eius tribuisti ei, & volūtate labiorum eius non fraudasti eam.* Ipse est, qui in omni loco sedulus quidam pedissequus animæ, non cessat solicitare eam, & assiduis suggestionibus monere dicens: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones*

Ex Bern. ser. 31. sup. Cant. columbi 3. & seq.

Thren. 3.

Diuinæ mensæ conuiuæ.

Angeli sancti diem festum agunt, cùm orationes nostræ Deo gratæ sunt Iuxta illud: Deus maiestatis intonuit, &c. *Psalm 28.*

Psalm 20

Psalm. 36.

tiones

tiones cordis tui. [Vtilis,ac nimis laudanda,& expetenda ſolicitudo. Cæterùm pro temporalibus rebus labor exercendus eſt,ſolicitudo tollenda,iuxtà illud: Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus,aut quo operiemur,&c. *Matth.6.* Et rursùm *Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius: Ibidem item: Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit: Abacuc* 2. Ad Dominum autem: *Sicut ceruus*,inquit,*deſiderat ad fontes aquarum,ità deſiderat anima iſta ad te Deus: Pſal.*41. *Deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritus tuus in præcordijs eius de mane vigilauit ad te. Et iterùm: Tota die expandit ad te manus ſuas: Dimitte illam, qui clamat poſt te. Conuerte aliquantulùm,& deprecabilis eſto ſuper eam. Reſpice de cælo,& vide,& viſita deſolatam. Fidelis paraninphus, qui mutui amoris conſcius, ſed non inuidus, non ſuam quærit, ſed Domini gratiam: diſcurrit medius inter dilectum,& dilectam, ,, vota offerens, referens dona. Excitat iſtam,placat ,, illum. Interdùm quoque (licet rarò) repreſentat eos paritèr ſibi; ſiue hanc rapiens, ſiue illum adducens, & notus in palatio,nèc veretur repulſam, & quotidiè videt faciem patris.*]

Pſalm 87. *Matth* 15. *Pſalm.*89. Charitas enim omnem inuidentiam excludit, imò & fugat. Ne tedium aliquod ſubrepat. *Matth.* 18.

O pax illa, quam videbimus apud Deum, ò pax illa, & ſancta æqualitas Angelorum, ò illa viſio, & ſpectaculum pulchrum! Ecce in Babylonia pulchra ſunt,quæ tenent,non te teneant,non decipiant.Aliud eſt ſolatium captiuorum,gaudium liberorum.[Vtere mundo, non te capiat mundus, &c. *Idem Sanctus*.] Et tamen pauci ſunt, qui præſentia huius mundi deſpiciant, eaque non ſectentur: multi ſic facere dixerant.

Ex Augu in Pſ. 136 col mihi 5. *Matth.* 12.

Legimus in Pſalmis: Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuiſcatur me dextera mea: Adhæreat lingua mea

*Pſal.*136.

faucibus meis, nisi tui meminero: & addidit statìm; *Si non propusuero Ierusalem in principio iucunditatis meæ*. Ibi est enim summa iucunditas, vbi Deo perfruimur, vbi de fraternitate cohærente, & ciuicà societate securi erimus. Nullus ibi tentator nos violabit, nullus vel ad ad aliquam illecebram percellere poterit, nihil ibi delectabit, nisi bonum. Morietur ibi omnis necessitas, orietur ibi summa fælicitas; Si non proposuero Ierusalem in principio letitiæ meæ, vel in præcipuo. Illa enim erit summa, & præcipuum gaudij mei, quoad viuam. Et his verbis Propheta docet, Ecclesiam præ omnibus amandã, & omni gaudio debere esse chariorem: Carpendas quidem vitæ huius oblectationes, quantùm necessarius vsus postulauerit: Sed oblectationum præcipuum esse in pietatem conferendum.

Ibidem.
Ex Aug ibidem col. mihi 14.

Nota.

De quibus necessitatibus eripi se postulat in Psalm. 24.

Ex Geneb ibidẽ.
Ecclesia rebus omnibus charior.

Beatus magnoperè Paulus Apostolus tanta feruebat, & ignitus erat charitate in Deum, vt verba illa tanto viro digna loqueretur, & clamaret, dicens: *Quis nos separabit à charitate Dei?* Vide, quesò, dictionis emphasim, & latinam vim! vide amoris violenti furorem, vide charitatem incensam! Quis nos separabit? Quid, inquit, est, quod potest nos à charitate Dei separare? Quid inter visibilia? Quid inter inuisibilia? Deindè volens, & particulatìm omnia enumerare, & omnibus nobis manifestum facere irrefrenabile desiderium, quod ergà Dominum possidebat, subdidit, dicens: Nùm afflictio? Nùm angustia? Nùm fames? Nùm persecutio? Nùm nuditas? Nùm periculum? Nùm gladius? O animam insaniâ (quæ continentiæ mater est) furentem: Quid, inquit, ex his, quæ nobis inferri possunt, nos auferre à charitate, quæ est in Deum, poterit? Afflictiones quotidianæ? minimè. Angustiæ? Neque illæ. Nùm persecutiones?

Ex Chrys hom. 55. in Genes col. mihi 5.

Roman. 8.

Magnam libertatẽ amoris iudicat.

Neque

Neque illæ. Sed quid? Fames? Nùm nuditas? Nùm pericula? Verùm, quid dico famem, & nuditatem, & pericula? Nùm gladius? Nū mors ipsa, sic infligatur, hoc poterit efficere? Impossibile est. Nullus aliud sic dignatus est diligere Dñm, vt beata illa anima; Quasi enim liberatus à corpore, & sublimis factus (sic dicā,) & neque super terrā ambulare se putans, ità loquitur. Amor enim in Deum, & succensa charitas mentē eius à sensibilibus ad spiritualia transtulit, & à pręsentibus ad futura, & à visibilibus ad non visibilia. Eo modo se habent fides, & charitas in Deum. [Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quę non videntur &c. 2. *Corinth.* 4. In carne enim, *inquit*, ambulantes, non secundùm carnem militamus: *Ibidem* 10.] Fides autem est, *quæ per dilectionem operatur*; Quoniam quærendo, petendo, pulsando, impetrat spiritum bonū, per quem dilectio ipsa *diffunditur in cordibus nostris*: Hoc enim *spiritu Dei, quicunque aguntur, hi sunt filij Dei*. Videte, inquit, Apostolus Ioannes, Aquila volans, à terrenis suspensa, prægustata supernæ suauitatis dulcedine ineffabilitèr affectus) *Qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus*! Filij namque Dei sunt homines renouati ad eius imaginem, & ei similes facti vsque ad dilectionem inimici. Sicut Dominus dicit, *diligere nos* debere *inimicos nostros, vt similes simus patri nostro, qui in cælis est*. Quod in potestate nostra ab ipso Deo esse positum, docet scriptura, cum dicit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*.

Diuini amoris elatus a'is, ima terræ deserens, alta cæli petebat.

Ex Augu. Conc. 22 in Psal. 118.

Matt 7.

Galat. 5.

1 Ioann. 3.

Matth. 5.

Ioann. 1.

Credentes enim Christum Dei esse filium, à Deo adoptamur in filios. Nihil enim vltrà potuit donare credentibps, quàm vt filij Dei dicantur, perfidis abdicatis. [Credentes autem exultabitis lætitià inenerrabili, & glorificata, &c. 1. *Petr.* 1.] Nos enim

Ex Ambr. in ep. ad Rom cap 5. vers Non autem scriptū est tantùm, &c.

filij Dei vocamur, illi autem nec serui digni sunt nuncupari. Pro infinità enim magnificentià suà Deus hoc donauit diligentibus se, quod sua dignum est maiestate, nō quod homines mereantur: quia in dono plus magis dantis, quàm accipientis consideratur sublimitas, & ex eo plùs accipitur laudis, cum paruulis magna dona largitur per Christum, qui nostri causa occidi se passus est. *Esaia* 53.] vt nos data venia, à secunda morte erueret, idest, à pœnà inferni: & surrexit, vt pro lætitia triumphi mortis euictæ, gratiam nobis iustificationis donaret, vt digni essemus dici filij Dei.

Rom 8

Filiatio Dei à Iesu Christo passione sua cō. parata.

Alas habent bonas, & liberas, & nullo visco obligatas animæ benè operantes præcepta Dei habentes *charitatem de conscientia pura, & fide non ficta* [2. *Timoth.* 1.] Sed quantùmuis sint præditæ virtutibus charitatis, quid ad illā dilectionem Dei, quà sunt dilectæ, etiam cum visco essent implicatæ? Maior ergo in nos dilectio Dei, quàm nostra in illum. Nostra dilectio, pennæ nostræ sunt, sed ille ambulat super pennas ventorum. Iam dicebat quibusdam Apostolus; *Flecto genua mea pro vobis ad Patrem, vt det vobis secundùm interiorē hominē habitare Christū per fidē in cordibus vestris, vt in charitate radicati, & fundati.* Iam dat illis charitatē Deus, iā dat illis alas, & pennas, *vt possitis*, inquit, *comprehendere, quæ sit latitudo, altitudo, & profundum*: Fortassis crucem Domini significat. Erat enim latitudo, in qua porrectæ sunt manus, longitudo à terra surgens, in qua erat corpus infixum: altitudo ab illo diuexo ligno sursùm quod eminet: profundum, vbi fixa erat crux, & ibi omnis spes vitæ nostræ. [Etenim ò homo, supra rationem est, & innerrabilis virtutis crux.] Latitudo enim est in bonis operibus, longitudo in perseuerando

Ex Aug in Psal 103. Conc. 1 ver Ascendit, seù volauit, super pennas ventorum.

Ephes 3.
Alibi: Licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tam ē is, qui intus est, renouatur de die in diem: 2. Corinth. 4. Ibidem:

Nota.

do

do vſque in finem: altitudo propter ſursùm cor, vt omnia ſint bona opera noſtra, in quibus perſeueramus vſque in finem, habentes latitudinem, qua benè operamur, & longitudinem, qua perſeueramus vſque in finem: non faciamus aliquid niſi ſpe cæleſtium præmiorum. [Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: *Matth.* 24.] Ipſa eſt enim altitudo, non hic quærere mercedem, ſed ſursùm, * ne dicatur nobis, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Profundum autem, quod dixi, vbi fixa erat pars crucis, & non videbatur, indè reſurgebant, quæ non videbantur. Quid eſt, quod occultum eſt, & non publicum in Eccleſia? Sacramentum Baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ. Opera autem noſtra bona vident & Pagani, Sacramenta verò occultantur illis: ſed ab his, quæ vident, ſurgunt ad illa, quę non vidēt, ſicut à profundo crucis, quod in terrà figitur, ſurgit tota crux, quæ apparet, & cernitur. Et quid poſteà? Cum hoc dixiſſet Apoſtolus, adiecit: Scire etiam ſupereminentem ſcientiam charitatis Chriſti. Cum iam dictum fuiſſet; *In charitate radicati, & fundati. Amatis enim Chriſtum, & ideò in cruce operamini.* Sed numquid amatis, quantùm vos ille amauit? Amando autem quantumcumque amatis, volatis ad ipſum, vt cognoſcatis, quemadmodùm ipſe vos amauerit: hoc eſt, vt ſciatis ſupereminentiam charitatis Chriſti.

Sursùm autem cor habere ad Dominum, eſt obedientiæ: & refugium vocatur. Cor habere ad ſe ipſum, ſuperbiæ eſt: *Idē Sanctus.*

Matth 6.

Omne enim datum optimum, & omne donū perfectum, deſursùm eſt, deſcendens à Patre luminū, &c *Iacobi* 1.

Solet enim animus noſter ex his, quæ nouit, ſurgere ad incognita, quæ non nouit *Ex Greg.*

Epheſ. 3.

Amor Chriſti velatū præſtat ad ipſum.

Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ! Columba à moleſtijs quærit auolationem, ſed non amittit dilectionem. Columba enim pro ſigno dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur. [Et fortaſſis ideò baptizato Ieſu Saluatore, & aſcendente de aqua, Spiritus amoris, qui ex Patris, & filij *mutuo amore omni creaturæ inexperto*, ęternalitèr, veluti, *fluius aquæ viuæ* procedit; *deſcendit ſicut columba de cælo, & venit, & manſit*

Pſalm 54. *Ex Auguſt. ibid.*

Matt. 3. & *Io.* 1.

Aliàs: Mutua dilectione omni creaturæ inexpertæ.

Apocalyp. 22.

mansit super eum. Nihil tàm amicum gemitibus, quā columba, die, nocteque gemit, tanquàm hic posita, vbi gemendum est. Quid ergò dicit iste dilector? Conuicia hominum ferre non possum, strident, rabie furunt, accenduntur iracundià, in irà adumbrant me, prodesse illis non possum. Vtinam requiescam alicubi ab eis separatus corpore, non amore, nè in me conturbetur ipsa dilectio. Verbis meis, & collocutione mea prodesse non possunt, orando pro eis forsitàn prodero. Dicunt illa homines, sed plerùmque ita ligantur vt volare non possint; fortè enim non ligantur visco, sed ligantur officio. Si autem ligantur curà, & officio, & deserere non possum, dicant, *Optabā dissolui, & esse cum Christo*, multò magis optimū, manere in carne necessariū propter vos; colūba delicata, religata affectu, nō cupiditate, volare nō poterat propter implendum officium, non propter paruum meritum.

Ph. lipp. 1.

Et, quia de gemitu incidit nobis oratio, libet de eo pauca ponere. (Neque enim mihi quàm gemere magis cōgruit, & peccatorū meorū suspirijs etiā testari dolorē; Sed fletus meus, vt reor, & suspiria peruenire ad aures Domini nequeunt: quia, nō de conscientià purà exeunt, permodicà deuotione suffulta, igne charitatis ferè destituta. Inclina aurem tuam, & exaudi me: Non deserat exauditio tua humilitatem meam: vt mirifica plus rutilet misericordia tua.] Incuruabat se oratione Dauid, ceruicem sicut circulum flectens, & humiliabat in precibus. *Oratio enim se humiliantis nubes penetrat*, & elementorum alta trascendit, vt Christo appropinquet. Et rugiebat à gemitu cordis sui. Rugit, qui gemitum solum, non verba exprimit. Hæc est ergo illa præclara oratio, quando interpellat pro nobis spiritus gemitibus inenarrabilibus, vt vas electionis asseruit: *Roman*. 8. Hic est gemitus, quem non

Ex Ambr. in Ps. 37. vers. Incuruatus sum, & humiliatus, &c. Eccles. 35.

Antequam comedam suspiro, & tamquam inundantes aquæ sic rugitus meus *Iob. 3.*

non despicit Deus: qui non despicit seruum iuniorē orbatum patre, nec viduam, si effundat loquelam. Gemitum ergo ante omnia signum Spiritus sancti Apostolus ponit, vt legimus. Eccl. 35. Rom. 8.

Non solùm autem orationibus, sed etiam bonis operibus placandus est Deus, vt in altari cordis nostri ignem suum semper accendat, illum de quo ipse dixit: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur?* Quia duo sunt ignes, cupiditatis scilicèt, & charitatis: & vnus de parte Dei, alter de parte Diaboli: vnus deuorans omnia mala, alter vniuersa bona consumens: consideret vnusquisque conscientiam suam, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cum Dei adiutorio festinet extinguere: quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit, sicut è contrario, nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit charitatis. Flamma enim cupiditatis in corde peccatorum, velut in altari, deuorans omnia bona, Diabolo ardore suauitatis exhalans; In anima verò sancta, velut in sacrosancto altari, flāma charitatis, quęcunq; superuenerint mala, consumens, Deo odorem suauitatis exhibet. Ex Aug. ser. 255. de temp. cir. fin. Luc. 12.

Et reuerà quid potest ærumnosius amore pecunię, vel etiam perniciosius inueniri? Quando propter eam plurimi, & peregrinantur, & periclitantur, & sæpè etiam trucidatur? *Et quis*, inquis, *miserebitur incantatoris à serpente percussi?* Oportebat enim, vt sciētes hanc crudelissimam tyrānidem, procul eius refugerent seruitutem, atque à tàm inutili, & imperioso amore requiescerent. Et quanàm, inquis, hoc ratione possibile est? Si scilicèt alium, idest, cælestis regni amorem intrà tuum pectus incluseris. Qui enim cōcupiscit illius regni gloriam, facilè irridebit auaritiā. Qui semèl quis seruus effectus est, non erit mammo- Ex Chrys. hom. 9 in Matth. col. mihi penult. Eccles. 12.

næ

næ famulus, cuius certè è regione sit Dominus.

Ex eod. ibidem hom 81. col. mihi 5. Talis nempè res, auaritia est, amentes, stolidos, impudentes, canes pro hominibus: imò verò & canibus peiores, & dęmones à canibus facit. Insatiabilis pecuniarum cupiditas, homines facit vecordes, furiosos, ex pecuniâ penitùs pendentes.

Fortè de his dicitur: Foris canes, & venefici, &c. *Apoc. 22 & alibi*: Cauete canes seù videte, videte malos operarios. &c. *Philip. 3.*

Sed redeamus, quæsò, vnde fortassis digressi sumus nimis: Committamus nos iter nostrum ductui Domini Iesu. Iter ipsius est caro pro nobis assumpta. Quomodo enim iter habet, qui vbique est, qui nusquàm deest? Quomodo it, aut vnde it, nisi quia nō ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis assumeret? Quia ergo venire ad nos, eo modo dignatus est, vt in *formâ serui* assumptâ carne appareret, ipsa carnis assumptio est iter ipsius. Ideò *fatigatus ab itinere*, quid est aliud, quàm fatigatus in carne? Infirmus in carne Iesus, sed noli tu infirmari? In illius infirmitate tu fortis esto: quia quod *infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sub hac rerum imagine Adam, qui erat forma futuri, præbuit nobis magnū indicium Sacramenti, imò Deus in illo præbuit. Nā & dormiens, meruit accipere vxorem, & de costa eius facta est ei vxor, quoniam de Christo in cruce dormiente, futura erat Ecclesia de latere eius, de latere scilicèt dormientis, quia de latere in cruce pendentis lanceà percusso Sacramēta Ecclesię profluxerunt. Sed quare hoc dicere volui, fratres? Quia infirmitas Christi vos facit fortes.

Absistat, & vecordia, &c. *Hymnus.*

Ex Aug. tract. 15 in Ioan.

Philip. 2.

Ioan. 4.

1. Cor. 1.

Rom. 5.

Genes 2.

Ioan. 19.

Ex Aug ser. 93. do Temp. Agens quisque iter vitæ huius, auxiliante Christo indesinentèr debet esse armatus, & stare semper in castris. Arma autem nostra non sunt carnalia, vt in ipso diuino eloquio legimus, videlicèt, diuitiæ, gloria, potentia, facundia, auctoritas, famulitia, adulationes, simulationes, & alia id genus. Clamat

2. Cor. 10.

Ex Chrys. ibid. hom 21.

Pau-

Paulus, beatus ille, & egregius Gentium Doctor: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit; Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Ad aciem quippè nos dies, & ad pugnam vocat. Pugnā verò audiens, & arma, non est quod timeas. In sēsibili quidem armatura, durum est, & exosum armari: hìc verò iucundum, & dignum, quod expetatur etiam. Lucis quippè sunt arma, vnde & radijs solaribus illustriorem te faciunt; multum emittentia fulgorem, atque in tuto etiam optimè munitum cōstituunt, arma siquidem sunt, deinde & splendidū faciunt: sunt enim arma lucis. Quid igitur? An non est necessè, vt prælieris? Necessè quidem, vt prælieris, non tamen, vt fatigeris, aut laboris molestiam subeas: neque enim bellum hoc est, sed choræa, & panegyris. Talis est videlicèt armorum istorum natura, talis ducis huius potestas. Et quemadmodum è thalamo suo sponsus gloriabundus progreditur: ità & is, qui armis istis munitus est: Simul enim & sponsus est, & miles.

Rom 13. *Ex eod. ibidem hom 24.*

Boni actus arma lucis sunt, impugnantes tenebras, quæ sunt vitia, vel concupiscentiæ carnis *Ex Ambros.*

Legimus in Psalmis: Et ingrediebar in dilatatione, vel: Ambulabam in latitudine; quia mandata tua exquisiui. Pulchrè quidem: Non enim est angustus Propheta: & superius iàm dixerat: Viam præceptorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Scit inter humanarum tribulationum passiones semper ad Deum patulo se esse corde oportere. Pateat ergo semper ostium cordis nostri Deo. (*O admirandam Dei bonitatem! Ille rex regum, dominus dominātium, cui assistunt spirituum agmina beatorum, quem indesinentèr laudant Cherubim chori, Seraphim quoq; amantes exercitus: Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamant, præ stupore nimio auolant. Idem ipse ait: Sto ad ostium, & pulso. Caueamus animæ somnum; vigilemus,*

Ps 118. vers. 45 *Ex Hilar. ibid.*

Patula sunt, quę semper patent: patentia verò, quæ ad tempus

Apocal 1.

Isaia 6.

Apocal. 3.

Cant. 5.

mus, nè surgentes serò, vt aperiremus dilecto, eum iàm declinasse, ac pertransisse, inueniamus.)

2.Tim 4. Psal.96. *(Ante Dominum Iesum, cum venerit iudicare viuos, & mortuos, præcedet ignis, & inflammabit inimicos eius in circuitu: vt ergo vitemus tantum ignem, induamur igne charitatis, in quo extinguũtur omnia tela ignea antiqui hostis, induamur amorem Dei, succendatur hæc vestis: clypeus est, thorax, & vniuersitas*

Cant. 4. *armorum. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: imò potiùs, ipsum induamus Dominum nostrum Iesum Christum, vt anima nostra illi domus*

Ex Chrys hom. 24 in epist. ad Roman. *sit, illoque nos veluti vestimento circumdemur, vt is omnia nobis sit, siuè interna, siue externa respiciamus.)* Est enim plenitudo, omnia in omnibus adimplentis,

Iuxtà illud: omnia, & in omnibus Christus, Coloss 4. Al bi: Vt sit Deus omnia in omnibus 1 Cor.15. 2.Cor. 11. est via, est vir, est Sponsus: *Despondi enim*, inquit, *vos vni viro virginem castam*: Est Radix, Potus, Cibus, & Vita. Viuo enim, inquit, non iam ego: sed viuit in me Christus. Est Apostolus, summus Sacerdos, Præceptor, Pater, Frater, Cohæres, & sepultura nobiscum, & Cruce communicans. *Consepulti siquidem*, inquit, *illi sumus, & insititij facti si-*

Rom.6. Nota 2.Cor 5. *mul cum illo per similitudinem mortis eius*. Est etiã supplex nobis factus: *pro Christo enim legatione*, inquit, *fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo*. Et ad Pa-

1. Ioan. 2. Rom. 8. trem; *Aduocatus noster est: etenim interpellat*, inquit, *pro nobis*. Domus etiam, simùl & hospes: *Ille enim*, inquit, *in me manet, & ego in illo*. [Manens in Christo, habet manentem in se Christum &c. *Ex Aug.*

Ioan.6. Ibid 15. 1. Cor.3. *tract.26, in Io.*] Et amicus: *Vos siquidem*, inquit, *amici mei estis*. Et fundamentum est, *& lapis angularis*, & nos ipsius sumus, & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites, & coo-

Ioa .15. perarij. Quid enim nobis esse non vult, omnibus mo-

modis nos sibi conglutinans, & coniungens; Id, quod vehementer amantis est. [Verùmtamen, vt pacem habeamus cum Deo,] Cùm ventum fuerit ad ætatem, quæ præceptum iam capit, & subdi potest legis imperio, suscipiendum est bellum contra vitia, & gerendum acriter, nè ad damnabilia peccata perducat. Et si quidem nondùm victoriarum consuetudine roborata sunt, faciliùs vincuntur, & cedunt: S autem vincere, atque imperare consueuerunt, laboriosa difficultate superantur. Neq; id fit veracitèr, atque sinceritèr, nisi verà delectatione iustitiæ: Hæc est autem in fide Christi. Nam, si lex iubens adsit, & spiritus iuuans desit, per ipsam prohibitionem desiderio crescente, atque vincente, peccati etiam reatus præuaricationis accedit. Nonnūquàm sint apertissima vitia, quæ alijs vitijs vincuntur occultis, quæque putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa. Tunc itaque victa vitia deputanda sũt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse nõ donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei, & hominum, hominem Iesum Christum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, vt nos participes faceret diuinitatis suæ.

Ephes. 1.

Ex August. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 16.

Bellum, cum vitijs gerendum.

1. Tim. 2.

O pax, cuius neque vox caret dulcedine, & ipsum nomen laudem exigit! assumamus pennas pacis, alas accipiamus charitatis. Pax nostra Christus est, ipsum sequamur. Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi eam pleniùs laudabimus, vbi eam pleniùs habebimus. Inchoatam in nobis si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus? Ecce hoc dico, ò filij dilecti, ò filij regni, ò ciues Ierusalem, quoniam in Ierusalem visio pacis est, & omnes qui habent, & amant pacẽ,

Ephes. 2.

Ex August. in Psal. 147. vers: Qui posuit fines tuos pacem.

* In quamcũq; domum intraueritis, primùm dicite pax huic domui: & si ibi erit filius pacis, requiescet sup illum pax vestra, &c. *Luc.* 10.

benedicuntur in ea,*& ipsi intrant,cum clauduntur portæ, & firmantur vectes. Hanc,quam nominatã, sic amatis, & diligitis, ipsam sectamini, ipsam desiderate, ipsam in domo, ipsam in negotio,ipsam in vxoribus, ipsam in filijs, ipsam in seruis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite.

Baruc. 3.

Ex Bern. serm. de Verbis Psal. Quis ascendet, &c.

Deuotè quidem Baruch, ille secretorum sancti Ieremiæ conscius, exclamat; O Israel, quàm magna domus Domini, & ingens locus possessionis eius: magnus, & non habens consummationem, excelsus, & immensus? Erit enim ibi mons pacis, mons gaudij, mons vitæ, mons gloriæ. Et hi omnes montes, vnus mons cõsummatæ felicitatis. An non mons pacis pax super pacem, *pax quæ exuperat omnem sensum?* Planè mons magnus,pax in corde, pax in carne,pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis,pax ab ipsis dæmonibus, pax cum Deo, & pacis non erit finis.

Philip. 4.

Isai 9.

Ex Chrys. hom. sup. Verba Isai. desuper posita tom. 1.

Et in libro sermonũ Isaiæ prophetæ reperimus scriptum: Potestatis, & pacis eius non erit finis. Seù,iuxta editionem Vulgatam: Multiplicabitur eius imperiũ, & pacis non erit finis. Hoc dixit Propheta, quod perfecit in aduentu suo Dominus prophetarum. Potestates eius audite. Quanta fuit possibilitas, vt miraculis varijs. ac diuersis repleret totum mundum ore Euangelico. Quæ miracula,si ad singula annalibus libris scriberentur,puto,nè ipsum mundum capere eos, qui scribendi erant,libros: tamen pauca dicamus de potestate eius. Natus est, quia voluit, potestate animam suam posuit, potestatem eam assumpsit, potestate passus est, potestate medicus phræneticos tolerauit,potestate cæcos,claudos, mutos, aridos, à spiritu immundo captiuatos curauit, non accipiens ab aliquo, sed sua potestate perfecit.

Ioan. vlt.

Ioan. 10.

Matth, 11.

(*Ali-*

(*Aliàs*. Video natum propria auctoritate, video mortuum propria voluntate, video dormientē potestate propria. Qui omnia suo fecit arbitrio, cuius alterius, vt resurgat, egebit auxilijs?) Verùm quia hùc sermo peruēnit, vtile legenti existimo repetere verba sancti Apostoli, & Euangelistæ Ioannis, quæ supra memoraui. Sunt autem alia multa, quæ fecit Iesus, quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi „ sunt, libros. Non spatio locorum credendum est „ mundum capere non posse, (quæ in eo scribi quo- „ modo possent, si scripta non ferret?) sed capacitate „ legentium comprehendi fortassè non possent, quā- „ uis salua rerum fide plerumque verba excedere „ videantur fidē, quod non fit, quādo aliquid, quod „ erat obscurum, vel dubium, causâ, & ratione red- „ ditâ exponitur: sed, quando id, quod apertum est, „ vel augetur, vel extenuatur; Hunc loquendi modum græco sermone, non solùm græcarum, verùm etiam latinarum literarum magistri Hyperbolem vocant: qui modus, sicut hoc loco, ità in nonnullis alijs diuinis literis inuenitur, vt est: Posuerunt in cœlū os suum: Et: Verticem capilli perambulantium in delictis suis: (Et: Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: *Psal. 106.*) Et multa huiuscemodi, quæ scripturis sanctis non desunt, sicut alij Tropi, hoc est, locutionum modi.

Ex Ambros. lib. de Benedictionibus Patriar. c. 4 tom. 1.

Ioan vlt.

Ex *August illid. tract. 114.*

Nota.

Nota huius sācti Doctoris vim explicandi suum cogitatū.

Hyperbole in diuinis literis.

Tropi qui sint.

In libro etiam sancti Euangelij secundum Matthæū legimus; Respondens autem Iesus, ait discipulis suis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulneâ facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare, fiet. Latrant contrà nos Gētilium canes in suis voluminibus, quæ in impietatis propriæ memoriam reliquerunt, asseren-

Matth. 21.

Ex *Hyeron. in præcit. loc. Mat.*

Nota.

rentes Apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerint. Quibus nos respondebimus: multa facta esse signa à Domino, iuxtà Ioannis Euangelistæ testimonium, quæ si scripta essent, mūdus capere non posset. Nō quòd mundus volumina capere non potuerit, quę potest, (quàmuis multiplicia sint) vnum armariolum, vel vnum capere scrinium: sed quòd magnitudinem signorum, quæ præ miraculis, & incredulitate ferre non possit. Igitur, & & hæc credimus fecisse Apostolos, sed ideò scripta non esse, nè infidelibus contradicendi maior daretur occasio.

Ioan. 21.

Si fortis es, contemne mortem; sì imbecillis es, fuge. Sed nemo potest fugere mortem, nisi vitā sequatur. Vita tua Christus est, ipsa est vita, quæ mori nescit. Itaque, si volumus mortem non timere, stemus vbi Christus est, vt & de nobis dicatur verè: *Sunt aliqui hìc stantes, qui non gustabunt mortem*. Non satis est stare, nisi vbi Christus est, stetur.

Ex Ambros. in Luc. cap. 9. ver. Dicebat autem ad omnes, &c.

Ioan. 14.

(Sequamur igitur Iesum, quantùm possumus, sed vt sequamur, rogemus, vt trahamur. Nemo enim ad eum venit, nisi tractus, quò plus trahit eò magis volentes currimus: quomodo namque nisi tractus sequi poterit currentem gigantem grandem, paruus nanus?) Sequere sponsam, sequere vestigia sponsi tui, nullus te metus reuocet, à consortio dilecti tui. Ama amātem, quia priùs ille amauit non amantem: require requirentem, quia priùs ille quæsiuit non quęrentē. Require, & dic Sponso tuo: *Vbi pascis, vbi cubas in meridie?*

Ex Aug. ser. vno de 4 feria, cap. 5 cir. fin. & seq. tom. 9.

Cant. 1.

De Helia prophetà, zelo Dei insigni legimus scriptū in libris Regum: Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque; & ascendit Helias per turbinem in cælum. Itaque currus igneus, equi ignei totum Helia

2. Reg. 2.

lia vehiculum ignitum ipsum rapiunt in cælum: fortasſis, vt intelligamus, charitate igneum hominem iam factum, paradiſi cæleſtis futurum incolam, & habitatorem quietis, imò ciuem, & municipem regionis illius; cuius gloria finem non habet, cuius priuilegia nunquàm deficient, nec vllam derogationem patientur.

O Fælix anima, quæ amore flagras, quæ oleo deuotionis vngeris, dic Sponſo tuo, qui eſt Ieſus Chriſtus benedictus in ſecula; Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie? Videte, queſò, quemadmodum quo affectu hìc erigatur amor ſpiritalis. Melius iſto multo affectu delectantur, qui aliquid ex huius amoris dulcedine guſtauerunt. Illi hoc benè audiunt, qui amant Chriſtum, in ipſis enim hoc, & de ipſis cantat Eccleſia in Canticis Canticorum. Qui amant Chriſtum quaſi fœdum, & ſolum formoſum: Vidimus enim eum, inquit, & non habebat ſpeciem, neq; decorem. Talis in cruce apparuit, talem ſe ſpinis coronatus exhibuit, fœdum, & ſine decore quaſi amiſſà potentià, quaſi non filium Dei. Talis viſus eſt cæcis. Ex perſona quippè Iudæorum hoc dixit Eſaias; *Vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem*: quando dicebatur; *Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce: Alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt. Et percutientes calamo in caput, dicebant: Prophetiza nobis Chriſte, quis te percuſſit?* Non habebat ſpeciem, neque decorem. Talem Iudæi videbatis, quia cæcitas ex parte Iſrael facta eſt, donec plenitudo gentium intraret, donec aliæ oues venirent. Quia ergo cæcitas facta eſt, ideò decorum, ſine decore vidiſtis. *Si enim cognouiſſetis, nunquàm Dominũ gloriæ crucifixiſſetis.* Et tamen ille, qui vos quaſi fœdus tolerauit, pro vobis formoſus orauit: *Pater*, inquit, *ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, Luc. 23.* Si enim

Cant. 1.
Ex *Auguſt. ſer. 50 de Verb Domini col. mihi. 4 tom. 10.*
Eſai. 53.
Marc. 15.
Matth. 26.
Rom. 11.
1. Cor. 2. & Act. 3. Ibi: Et nunc, fratres, ſcio, quia, per ignorantiam feciſtis ſicut & principes veſtri.

enim ſine decore, quid eſt, quod amat iſta, quæ dicit: *Annuncia mihi, quem dilexit anima mea*? Quid eſt quod amat, quid eſt quod ardet, quid eſt quod tantùm, nè ab illo aberret, timet? Quid eſt, quod tãtùm delectatur in ipſo, cui ſola pęna eſt eſſe ſine ipſo? Quid eſſet, vnde amaretur, niſi formoſus eſſet? Verùm, quomodo illa ſic amaret, ſi ille illi ſic appareret, quomodo cæcis perſequentibus, & quid faciant neſcientibus? Qualem ergo illa amauit? *Speciosum forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis*. Ergo de ipſis labijs tuis annuncia mihi, quem dilexit anima mea; Annuncia, inquit, mihi ò quem dilexit non caro mea, ſed anima mea. Annuncia mihi, vbi paſcis, vbi cubas in meridie, nè fortè ſicut operta * ſuper greges ſodalium tuorum. Obſcurum videtur. Obſcurum ſanctuarium thalami ſacri myſterium eſt: ipſa enim dixit; Introduxit me rex in cubiculum ſuum. Talis cubiculi hoc ſecretum eſt. Sed vos, qui ab iſto cubiculo prophani nõ eſtis, audite quod eſtis, & dicite cum illa, ſi amatis cum illa. Amatis autem cum illa, ſi eſtis in illa. Dicite omnes, & tamen vna dicat, quia vnitas dicit: *Annuncia mihi, quem dilexit anima mea*. Erat enim illis in Deum *vna anima, & cor vnum*: *Annuncia mihi vbi paſcis, vbi cubas in meridie*. Quid ſignificet meridies? Magnum feruorem, magnumque ſplendorem. Ergo notum fac mihi, qui ſint ſapientes tui, Spiritu feruentes, doctrinà fulgentes. *Dexteram tuam notã fac mihi, & eruditos corde in ſapientia*. Ipſis inhæream, in corpore tuo, ipſis ſocier, cũ ipſis te fruar. [*Iuxtà illud*: Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro: *Et*; Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum ſint multa, vnum tamen cor-

Cant. 1. Vulg. legit: Quẽ diligit.

Nota.

Pſal. 44.

* Errans, vaga, diſperſa. Iuxtà illud: Nè vagari incipiã poſt greges ſodaliũ tuorum. Et illud: Ego ſic curro, non quaſi in incertum. &c. 1. Cor. 9.

Nota.

Act. 4.
Cant. 1.

Pſal. 89.

1. Cor. 12.

corpus sunt: ità & Christus. Quisquis ergo vult, & desiderat esse Christi, in corpore sit Christi. Pulchrè dixit cum Apostolo: *Spiritu feruentes, Domino seruientes. Qui autem*, ipse Doctor Gentium ait, *in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritũ Christi non habet, hic non est eius. Deniquè finis praecepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: Et plenitudo legis est Charitas*. Itàque siuè ista, siuè alia, sic legamus, sic discamus, vt meminerimus verissimè dictum: *Scientia inflat, Charitas aedificat. Charitas autem non aemulatur, non inflat*. Sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machina quædã per quã structura Charitatis assurgat, quæ maneat in æternũ, etiam cum scientia destruetur, quæ ad finem Charitatis adhibita, multum est vtilis, per se autem ipsam sine tali fine, non modò superflua, sed etiam perniciosa probata est.

Ibid.

Rom. 8.

1. Tim. 1.
Rom. 13.
Ex August. ep. 119 cir fin.
1. Cor. 8.
1. Cor. 13.

Et erat structura muri eius ex lapide iaspide, &c. *Apoc. 21.*

Non ignoro, quantùm Ecclesiæ profuerint, & prosint literati sui, siuè ad refellendos eos, qui ex aduerso sunt, siuè ad simplices instruendos. Denique legi: *Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi sacerdotio*. Legi: qui docti fuerint: *Fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates*. Sed & scio, vbi legerim: *Scientia inflat*. Et rursùm: *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem*. Vides, quia differentia est scientiarũ, quãdo alia inflans, alia contristans est? Tibi verò, velim scire, quænam harum videatur vtilior, seù magis necessaria ad salutem, illanè quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito, quin dolentem tumenti præferas: quia sanitatem, quam tumor simulat, dolor po-

Ex Bern ser. 36 sup. Cant.

Ose. 4.
Ineruditus Sacerdos repellitur.
Daniel. 12.

1. Cor. 8.
Eccl. 1.

stulat. Qui autem postulat, propinquat saluti, quoniam qui petit, accipit. Deniq: *qui sanat contritos corde*, execratur inflatos, dicente Sapientia: *quia Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam*. Et Apostolus aiebat: *Dico autem per gratiam, quæ data est mihi, non plus sapere, quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem*. Non prohibet sapere, sed plus sapere, quàm oportet: Quid est autem *sapere ad sobrietatem?* Vigilantissimè obseruare, quid scire magis, priusuè oporteat: *Tempus enim* breue est. Est autem, quod in se est omnis scientia bona subnixa sit; sed tu qui cum timore, & tremore, tuam ipsius operari salutem pro temporis breuitate festinas, ea scire priùs, ampliusque curato, quæ senseris viciniora saluti. Nonnè medici corporum medicinæ portionem diffiniunt eligere in sumendis cibis, quid priùs, quid posteriùs, & quemadmodum quidque sumi oporteat. Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creauit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum, & ordinem non obserues, reddis planè non bonos. [Consule Augustinum lib. vno cõtra Adamantium *cap. 14. tom. 6.*]

Luc. 11. Psal. 146. Prou. 3. Iacob 4 Rom. 12.

Nota

1. Cor. 7.

Philip. 2.

Quæ omninò dilectio Dei est, & proximi.

Liceat non tamen abs re sermonẽ diuertere paulispèr, & expendere oraculum Psalmistæ dicentis: Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ. Vbi ostendit: quia cùm fuerit salus perfecta in isto corpore, corruptio in eo non erit, quæ intelligitur nomine carnis, & sanguinis. Ipsa est enim perfecta sanitas corporis. Nam modò quomodo sanum est, quod labitur, quod indiget, quod habet perpetuam quamdam ægritudinem famis, & sitis? Hæc & tunc non erunt, quia *esca ventri, & venter escis, Deus autẽ, & hunc, & has euacuabit* * Erit forma corporis perfecta ex Deo, absorptà morte in victoriam, nulla re-

Psalm. 50. Ex Aug. ibidem

1. Cor. 6.
* al destruet.
1. Cor. 15.

remanente corruptione, nulla surrepête defectione, nullis mutata ætatibus, nullo labore laxata, nullo cibo cruciatur, & aliqua esca reficiatur. Sed non erimus sine esca, & potu: Ipse erit cibus noster, Deus, & potus noster. Solus ille cibus reficit, nec deficit. (*Cuius charismatis pignus, & fœlicitatis arrhã dat nobis Deus in admirabili Eucharistiæ Sacramento, quod est pacis mysterium, & omni misericordià plenum. Sancta quoque Ecclesia Catholica canit: Christusque nobis sit cibus.*)

Sed redeamus, obsecro, vnde discessimus. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite & de scientijs. Sed meliùs mitto vos ad magistrum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius, imò & nostra, quoniam veritatis; *Qui se*, inquit, *putat aliquid scire, nondùm scit, quomodo oporteat eum scire*, Vides, quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum, & vtilitatẽ sciẽtiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid, nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo fine quęque nosse oporteat? Quo ordine? vt id priùs, quod maturius ad salutem. Quo studio? Vt id ardentius, quod vehementius ad amorẽ? Quo fine? vt non ad inanem gloriam: aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationẽ tuam, vel proximi.

Ex Bern. praecitato ser. 36. sup. Cant.

1. Cor. 8.

Consule Vulg.

Paulus Apostolus, statera Sapientiæ meritò vocatus: Scientia, inquit, inflat, Charitas verò ædificat. Itaque cum Charitate non munitur, vertitur in * stultitiam. Sed neque Charitas, inquit, sine scientia aliquid lucri habet. Sed non hoc dixit: sed id tanquam certũ, & de quo constet relinquens, ostendit, hoc illo valde egere. Nam qui diligit, seù qui habet charitatem, vt qui impleat mandatum omnium præstantissimum,

1. Cor, 8.

* Arrogantiã.

Ex Chrys. hom. 10. in primam ad Cor.

Matth. 22. ibid. Hic est maximum, & primũ mandatum. Act. 10.

Scientia absque Charitate potiùs lædit, quàm prodest.

etiam si quædam habeat deficientia, citò fruetur scientia propter charitatem, sicut Cornelius, & alij multi. Qui autem habet scientiam, non habet autem Charitatem, non solùm nihil adsumet, sed etiam ab ea, quam habet, excidet, sæpè incidens in superbiam, & arrogantiam. Quamobrem scientia quidem non est efficiens Charitatis, sed contrà, cum qui non attendit ab ea, abscindit, vt quæ inflet, & extollat. Etenim diuidere solet arrogantia. Charitas autem, & conciliare, & adducere ad scientiam. Quod quidẽ etiam significans dicebat: Si quis autem diligit Deum, is cognitus est ab ipso. Quamobrem non hoc, inquit, prohibeo, nempè perfectam habere scientiam: sed eam habere cum charitate, hoc iubeo; alioqui nihil inde lucri, sed noxia.

Arrogantia separat, charitas vnit, & adducit ad scientiã.

Hom. 19. ex 55: in Matth. col. mi. antepen. inter opera Chrysost. tom 2.

Et quia de cæcitate mentis desuper fecimus mentionem, libentèr recenseo, quæ sequuntur. Non potest sentire quæ lucis sunt, tenebrosa voluntas. Quid prodest, si cæco aliquã pulchritudinẽ mõstras? cæcitas autẽ spiritualis, est malitia cordis. Sicut enim cęcus non potest aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria pietatis.

Immitis autem est omnis malitia, inflatur re io quodam tumore. Ambr s.

Psal. 6.

Scriptum quoque est in libro Psalmorum: *Turbatus est in irà oculus meus.* Vtrùm suà, an Dei, in qua petit, nè argueretur, aut corriperetur? Sed si illa diẽ iudicij significat, quomodo nunc potest intelligi? An inchoatio eius est, quod hic homines dolores, & tormenta patiuntur, & maximè damnum intelligentiæ veritatis, sicut iam commemoraui, quod dictum est: *Dedit illos Deus in reprobum sensum*; Nam ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur. Sed nondùm penitùs, cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exterio-

Ex Aug. ibidem Eod Psal. vers. 1. & Psal. 37.

Nota.

Rom. 1.

Nota.

Matth. 25.

riores, quæ magis ad diem iudicij pertinere intelliguntur. Vt penitùs extrà Deum sit quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitùs enim esse extrà Deum, quid est nisi esse in summa cæcitate? Si quidem Deus habitat lucem inaccessibilem, quò ingrediuntur, quibus dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*. Huius igitur iræ inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator. Timens itaque iudicij Diem, laborat, & plangit, nè ad illud perducatur, cuius initium tàm perniciosum nunc experitur. Et ideò non dixit, extinctus est, sed conturbatus est ab irà oculus meus. Si autem suà irà dicit oculum suum esse turbatum, neque hoc mirum est; Nam hinc forsitan dictum est; *Non occidat sol super iracundiam vestram*, quod interiorem solem, idest, sapientiam Dei. tanquàm occasum in se pati arbitratur mens, quæ sua perturbatione illum videre non sinitur. 1.Tim.6. Matth.25. Nota Ephes.4.

Quanta lippitudo in oculis cordis ipsorum etiam Christi fidelium conspicitur, quàm raro, & superficie tenùs consideratur peccati pondus, quàm graue sit! nihil quippè leue est, vbi Christus offenditur. Grauis res omninò est peccatum, mortem introducit: ab his tenebris educi se Psalmographus rogat, & ait: Deus meus illumina tenebras meas. *Lippiunt enim oculi mentis sicut & corporei; quemadmodum isti, ità & illi distillationem patiuntur.* Meditatus sum, *inquit*, cum corde meo, exercitabar, & scopebam spiritum meũ, *seu, volutabam, & torquebam veluti in torculari, vt distillent passiones, quæ cor repleuerant, & rectè iudicet. Rursus clamat Propheta ad Dominum, lumen æternam, à quo omne lumen:* Deus meus illumina tenebras meas: *Luce perfunde me, fulgore tuo dissipa, & fuga oculorum meorum mala, & tenebras. Densitatem humorum, ac spissitudinem longa consuetudo in-* Author. Psal.17. Psal.76. Psal.17.

ma-

malis produxit. Disperde illa, Domine, cuius voluntas potentia est, quia omnia potes: & omnia seruiunt tibi.

Magna virtus Vnitatis, & grata Deo. Fraternitatē diligite, ait Petrus Princeps Apostolorum, & pastor ouium, omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles; vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrātes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei; vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christū. Et in Euangelio Matthæi legimus: Et procedens inde Iesus, vidit alios duos fratres Iacobum Zebedęi, & Ioannem fratrem eius componentes retia, & similitèr vocauit eos; Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, arte officij pares, fraternitate pietatis coniuncti: ideò sic vocauit & istos, nè tot bonis rebus coniunctos, dissimilis vocatio separaret. Gratiosè aliquis de hac duplici fratrum vtilitate locutus est, quoniam omnis Ecclesia præcipuè in charitate fuerit costruenda, sicut ipse dicit: *Hoc est autē mandatum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* Et iterùm: *In hoc cognoscent homines, quod mei estis discipuli, si charitatem habueritis inter vos.* Sicut enim in corporali ædificio lapis ad lapidem, cæmēto mediante, constringitur: sic in ædificio Ecclesiæ Christianus ad Christianum charitate mediante cōnectitur; Ideò super fraternitatem charitatis Ecclesiæ composuit fundamenta. vt radicibus Charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos. Et hoc super naturalem Charitatem, vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa Charitas firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in veteri testamento: ædificaturus enim populum illum per legem, supra Mosen, & Aaron posuit ædificationis initium. Quoniam

1. Pet. 1. 3. & 4. Matth. 4.

Ex Chrys. hom. 7 ex 55. in Mat. Ioan. 15. Ibid. 13.

niam autem abundantior gratia futura erat noui testamenti, quàm veteris, ideò populum illum quidẽ ædificauit secundum vnam fraternitatem, hunc autẽ secundum duas. (Ædificemus nobis, ciuitatem, & turrim, cuius caput, seù, culmen erit vsque ad cælũ. *Stulta quidem audacia, & impietate dictum: propter quod vindicta Dei secuta est, vt eorum lingua diuiderentur. Charitati nempè fidelium, & sperantium in domino erat relictum eiusmodi genus ædificij, cuius summitas vsque ad paradisi ciuitatem elata perueniret. O admirabilem vim amoris Dei, & mutuæ dilectionis fratrum!* Ciuitas etenim illa, in qua nobis regnare promissum est, tantùm ab hac distat, quantùm distat cælum à terrà, à tẽporali lætitia vita æterna: ab inanibus laudibus, solida gloria, à societate mortalium, societas angelorum, à lumine solis & lunæ, lumen eius qui fecit Solem, & Lunàm. In natiuitate summi regis gloriæ Saluatoris nostri Iesu Christi chorus Angelorum suaui concentu annunciat pacem hominibus bonę voluntatis. Relinquẽs quoque mundum ipso deuicto fracto mortis aculeo, superato exterminatore, aperto iam fidelibus regno cælorum iturus ad patrem. Pacem, ait discipulis suis, do vobis, pacem relinquo vobis. Pacificauit enim omnia Dominus in cœlo, & in terra. Et secundum Apostolum: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Gigantes dixerunt *Genes. 11.* *Ex Aug. lib 5. de Ciu Dei c. 17* *Psalm 135.* *Luca 2.* *Ioan. 16.* *Ex Hilario in Psal. 67.* *2. Cor 5.*

Si pacem temporum desideramus accipere, non dissimulemus pacem cùm proximis custodire. Si enim in veritate, vis, vt vincatur diabolus inimicus tuus, citò tibi reconcilietur proximus tuus. Contrà nullum hominem desęuiat ira tua, & citò à te indignatio diuina cessabit secundùm illam promissionem Domini, & Saluatoris: *Si*, inquit, *dimiseritis hominibus*

Ex Aug ser. 173 de Temp. *Matth. 6. & 18.*

nibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra.

Ex Chryſ hom. 3. in Geneſ. col. mihi penult.

Prou. 19.

Liberalitatis in pauperes ſpecimen exhibeamus: ſcientes, quanta nobis merces ob curam illis exhibitam repoſita ſit. *Nam qui miſeretur*, ait, *pauperi, fœneratur Deo.* Vide vſuræ raram naturam, & admirabilem! Alius eſt, qui accipit, & alius, qui ſe dandi fœnoris reum facit; & non hoc ſolùm nomine, ſed quia in hoc vſuræ genere non eſt locus ingratitudini, neque vlli alij dãno. Neque ſicut hic ſemel dare, quis pollicetur, ſed centupla dantur, & non ſolùm centupla: nam aliqua dantur in præſenti vita, aliqua in futurà, nempè vità æternà.

Matth. 19.

2. Cor. 9.

Ex Chryſ. hom. 34. in Geneſ. col mihi 6.

Galat. 6.

Qui parcè ſeminat, docet Paulus, Chriſti rhetor, & mundi piſcator, parcè & metet. Manu igitur minimè parcà ſemina illa bona ſpargamus, vt ſuo tempore multùm metamus*. Nunc enim ſeminandi tempus eſt, quod, nè prætereamus, obſecro: vt in die retributionis pro ijs, quæ hic ſeminauimus, fructus percipiamus, & Domini miſericordiam aſſequamur. Nullum enim omninò aliud bonum ſic poterit reſtinguere peccatorum noſtrorum incendium, vt eleemoſinæ largitas: iſta & peccatorum noſtrorum additionem operatur, & magnam nobis fiduciam conciliat, & præparat, vt ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat.

* Idque nõ deficiẽtes: (vel, vt alia litera habet) infatigabiles: datur prò labore delectatio, iuxtà illud: *Delectationes, in dextera tua, vſque in finem.*

Pſal. 110.

Ex Aug. ibidem

Luc. 6.

Suauis vir, qui miſeretur, & commodat; Non .n. eum euomet Deus ex ore ſuo tanquam inſuauem. *Dimitte*, inquit, *& dimittetur vobis: date, & date vobis.* In eo quod dimittis, vt dimittatur tibi, miſereris; in eo quod das, vt detur tibi, commodas. Quàmuis enim generali nomine omnis miſericordia dicatur, qua miſero ſubuenitur, intereſt tamen, vbi non impendis, nec ſumptum pecuniæ, nec corporalis laboris

ris industriam, sed ignoscendo, quod in te quisque peccauit, & tuorum gratis comparas veniam peccatorum. Hæc duo benignitatis officia, ignoscendorum peccatorum, & beneficiorum erogandorum, sicut in Euangelio, quod commemorauimus; *Dimittite, & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis*: sic in isto versu, arbitror esse distincta; *Suauis vir, qui miseretur, & commodat*. Nec pigri simus ad hæc, fratres: gloriã quærit, qui desiderat vindicari se. Sed attẽde, quod scriptum est: *Melior est, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem*. Diuitias quærit, qui non vult dare pauperibus. Attende quod scriptum est: *Habebis thesaurum in cælo*. Non ergo eris inglorius in ignoscendo, quia de ira victa laudabiliùs triumphatur. Non egemus tribuendo, quia thesaurus cælestis certiùs possidetur. Hunc versum parturiebat ille superior: *Gloria, & diuitiæ in domo eius*. Quæ hæc itaque facit: *Disposuit sermones suos in iudicio*. Facta ipsa, sermones sunt, quibus in iudicio defẽdetur, quod ei non erit sine misericordià, quia & ipse fecit misericordiam.

Prou. 16.

Matth. 19.

Inhæreamus, obsecro, Iesu Christi Domini vestigijs, vnusquisque, quantùm ipse dederit, deuoto affectu, & perualidà intẽtione beatis illius pedibus prouoluamur. Secùs hos pedes corporales iacẽs, ac pęnitens audit peccatrix: *Remittuntur tibi peccata tua*, & recognoscit eum, de quo ex multis retrò temporibus scriptũ legerat: *Egredietur diabolus ante pedes eius*. Vbi nempè peccatum remittitur, ibi procùl dubio diabolus de corde peccatoris expellitur.

Ex Bern. ser. 7. sup. Cant.

Luc. 7.

Abacuc. 3.

Hos pedes tenuerunt beatæ illæ mulieres, quibus post resurrectionẽ suam occurrit Iesus, vitę auctor, & prior salutauit, & adorauerunt eum: tenuerunt pedes, adorauerunt Deum. Hic ignis non vrit, sed

Qui cantus dulcior, qui sonus suauior, quàm remissio peccatorum? *Ambr. Athanas.*

illuminat, imò & culpam vrit, virtutem plùs emundat. Quid ni ignis amoris ascendat, cùm ipse elementaris tendat sursum? Stemus nos, rogo, super custodiam nostram, quoniam tēpus militiæ est. Nec in sterquilinio huius miseri corporis, sed in corde, vbi Christus habitat, in iudicio, & consilio rationis, sit conuersatio nostra; ita sanè, vt non in ipsâ habeamus fiduciam, nec fragili innitamur custodiç, sed figamus gradum in munitionem firmissimæ petræ, Christi totis viribus innitentes, sicut scriptū est: *Qui statuit suprà petram pedes meos, & direxit gressus meos.* [*Nec ruinam timere poterit ædificium: quàmuis in sublime elatum, si fundamentum situm fuerit super firmam petram: quàmuis descendat pluuia, & veniant flumina, ventique nimis flantes irruerint in eum.*] Quid ei nocere poterit eorum, quæ sub cęlo sunt, quem Deus cęli protegere, & cōseruare voluerit? Porrò sub cęlo sunt aereç potestates, sub cęlo prçsens sçculum nequam, & caro aduersùs spiritum concupiscens. Optimè igitur dictum est: In protectione Dei cęli commorabitur; vt nihil eorum, quç sub cęlo sunt, timere possit quisquis protectionem eius habere meruerit,

Ex Bernar. ser. de Verb. Abacuch Super custodiam meam stabo, &c.

Psal. 39.

Matth. 7.

Ex Bern ser. 1. in Psal. Qui habitat.

Fortis triumuiratus.

Galat. 5.

Suaui quidem cantu melodes ille Dauid cecinit, dicens: Effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domū Dei, In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Et ecce iam quadam interiore dulcedine lætati sumus! Ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim, & raptim, perspicere potuimus. *Quare adhuc conturbas me; Quare adhuc tristis es?* Non enim dubitas de Deo tuo. Numquid enim non est, quod tibi dicas contrà illos, qui dicunt: *Vbi est Deus*

Psal. 41.

Ex Aug in prætit. Psal. 41.

Iuxtà illud: Parasti in dulcedine tua, seu, in suauitate tua pauperi Deus. *Psalm. 68.*

Psal. 41,

us tuus ? Iam aliquid incommutabile persensi, quare adhùc conturbas me? Spera in Dominum. Et quasi responderet illi anima eius in silentio, quare cõturbo te, nisi quia nondùm sum ibi, vbi est dulce illud, quo sic rapta sum, quasi pertransitum? Numquid iam bibo de fonte illo nihil metuens? [Est enim Deus instar fontis perpetuò fluentis. Basilius.] Iam nullũ scandalum pertimesco, iam de cupiditatibus omnibus, tanquàm edomitis, victisq; secura sum? Nonnè aduersùs me diabolus vigilat, hostis meus? Nonnè laqueos mihi quotidiè deceptionis intendit? Non vis, vt conturbem te, posita in sæculo, & peregrina adhùc à domo Dei mei? Sed spera in Dominum: respondet conturbanti se animæ suæ, & quasi rationem reddenti perturbationis suæ, propter mala, quibus abundat hic mundus. Interim habita in spe: *Spes enim quæ videtur, non est spes. Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectemus: spera in Domino.*

Alibi: Spera in Dño, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in delitijs eius.

Agnosce, quod in medio laqueorum pertransis, &c. *Ecli 9.*

2. Cor. 5.

Rom. 8.

Bonæ alæ charitatis, veræ alæ, quæ volitabant per ora Apostolorum, & alę ignis, quæ purgatum sermonem loquebantur, [Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, &c. 1. *Thess.* 2. Quæ ambo solent inficere prædicationem verbi Dei.] His alis euolauit Enoch raptus ad cęlum: His alis euolauit Elias curru igneo, & equis igneis ad superna translatus. His alis Doninus Deus per columnam ignis deducebat patrum plebem. Has alas habuit Seraphim, quando sumpsit carbones ignis de altari, & tetigit os Prophetæ, & iniquitates eius abstulit, & peccata purgauit. Harum alarum igne purgati sunt filij Luni, & baptizabantur populi nationum, sicut testificatur Ioannes, dicens de Domino Iesu: *Ipse vos baptizabit*

Ex Ambr lib. de Isaac, &c. pag. mihi 4 to.

Genes. 5.

4 Reg. 2.

Exod. 13.

Esai. 6.

Malach. 3.

Matth. 3.

Psal. 25. *bit in Spiritu, & igne*. Meritò, vri renes suos volebat, & cor suum Dauid, quia alas igneas charitatis, sciebat, non esse metuendas. Meritò Hebræi pueri in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia; quia charitatis eos flamma refrigerabat. Et vt pleniùs cognoscamus, quia alas habeat perfecta charitas, audisti dudùm dicentem: *Quotiès volui congregare filios tuos; sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas?* Sumamus igitur has alas, quæ sicut flamma ad superiora dirigunt. Exuat vnusquisque animam suam inuolucris sordidioribus, quasi aurum igne approbet detersam luto. Sic enim purgatur anima, velùt aurum optimum.

Daniel 3.

Matth. 23.

Est etiam alius ignis, idest, tentatio tribulationis, de quo apertè scriptum est; *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Iste ignis in hac interim vita facit, quod Apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus; vni scilicèt cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est ędificanti super Christum, fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos: alteri autem cogitanti ea, quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, idest, ædificanti super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Illius enim opus non esuritur; quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur. Esuritur autem opus huius, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sedq,uoniam alterutra conditione proposita, eis potiùs carere malit, quàm Christo, nec timore amittendi talia, deserit Christum, quàmuis doleat, dum amittit, saluus est quidem, sic tamen quasi per ignem. Quia vrit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum, sed non subuertit, neque consumit fundamenti stabilitate, atque incorruptione munitum.

Ex Aug. lib. vno Enchirid. Ad Laurent, c. 68. tom. 3.
Sap. 3.

1. Cor 7.

1. Cor. 3.

Cum viderit nos tentator super fundamentum Christi ædificare ligna, fœnum, stipulā, tunc ignē supponit. Ædificemus ergo argētum, aurum, lapides pretiosos, & tentare non audebit.
Ex Hieronym. Non enim est pondus veræ virtutis, insensi.

Hu-

Huius ignis, afflictionum scilicet, Dauid Rex hymnographus, spirituali lyra resonat antidotũ, dum ait: De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me „ in latitudine Dominus. Quasi dicat: Angustia no„stræ tribulationis finitur: Latitudo autem, quò trã„simus, non habet terminum. Quis enim accusabit ad„uersus electos Dei? Nullum melius negotium est in tribulatione, quàm recedere ab eo strepitu, qui foris est, & ire in interiora mentis secretaria. Ibi Deum inuocare, vbi nemo videt gementem, & subuenientem. Illius cubiculi aduersùs omnem extrinsecùs illatam molestiam, ostium claudere, humiliare se ipsum in confessione peccati, magnificare, & laudare Deum, & corripientem, & consulentem. *(Quod totum munus omnipotentis, & misericordis Dei est: sed paucis datur: infælix prorsùs, & miser ego homo, tali charismate indignissimus!)*

sibilem esse. Nec Sanctus Iob ōninò motus non est, nè Deum ipsa insensibilitate contemneret. *Ex eodem. Psal. 117. Rom. 8. Ex Aug. in Ps. 34. Conc. 2. Matth. 6.*

Quantò maiores tribulationes fuerint, tantò vberior consolatio reseruatur. Et tamen nè cadas, atque succumbas: quantò maiores tentationes videris, tãtò magis roga Verbum Dei, vt adhortationem tibi afferat: sicut vocauit & Paulus, qui ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, qui nos exhortatur in omni angustia, vt possimus & ipsi consolari eos, qui sunt in omni tribulatione, per exhortationem, qua & ipsi aduocamur à Deo: quoniam sicut abũdant passiones Christi in nobis, ità per Christum abundat etiam consolatio nostra.* Tantà vi apostolicę petitionis rogat, vt consolationem accipiat à Domino in omni tribulatione, quò non solùm ipse induat tolerantiam, verùm etiam alios consoletur, vt & ipsi possint propriæ mentis angustias sustinere. Si igitur ipse in õni tribulatione idoneus fueris approbatus,

Ex Ambros. in Psal 118 oct. 10 vers Fiat nunc misericordia tua, vt exhortetur me, &c. 2. Cor. 1.

Nota hanc cõsiderationem.

tunc

Matth. 22. ibi: Hæc est maximum, & primũ mandatum.
Act. 10.
Scientia absque Charitate potiùs lædit, quàm prodest.

Arrogantia separat, charitas vnit, & adducit ad scientiã.

etiam si quædam habeat deficientia, citò fruetur scientia propter charitatem, sicut Cornelius, & alij multi. Qui autem habet scientiam, non habet autem Charitatem, non solùm nihil adsumet, sed etiam ab ea quam habet, excidet, sæpè incidens in superbiam, & arrogantiam. Quamobrem scientia quidem non est efficiens Charitatis, sed contrà, cum qui non attendit ab ea, abscindit, vt quæ inflet, & extollat. Etenim diuidere solet arrogantia. Charitas autem, & conciliare, & adducere ad scientiam. Quod quidẽ etiam significans dicebat: Si quis autem diligit Deum, is cognitus est ab ipso. Quamobrem non hoc, inquit, prohibeo, nempè perfectam habere scientiam: sed eam habere cum charitate, hoc iubeo; alioqui nihil inde lucri, sed noxia.

Hom. 39. ex 55: in Matth. col. mi. antepen. inter opera Chrysost. tom 2.

Immitis autem est omnis malitia, inflatur re in quodam tumore. *Ambr. s. Psal. 6.*

Et quia de cæcitate mentis desuper fecimus mentionem, libentèr recenseo, quæ sequuntur. Non potest sentire quæ lucis sunt, tenebrosa voluntas. Quid prodest, si cæco aliquã pulchritudinẽ mõstras? cęcitas autẽ spiritualis, est malitia cordis. Sicut enim cęcus non potest aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria pietatis.

Ex Aug. ibidem Eod Psal. vers. 1. & Psal. 37.

Nota.

Rom. 1.

Nota.
Matth. 25.

Scriptum quoque est in libro Psalmorum: *Turbatus est in irà oculus meus.* Vtrùm suà, an Dei, in qua petit, nè argueretur, aut corriperetur? Sed si illa diẽ iudicij significat, quomodo nunc potest intelligi? An inchoatio eius est, quod hic homines dolores, & tormenta patiuntur, & maximè damnum intelligentiæ veritatis, sicut iam commemoraui, quod dictum est: *Dedit illos Deus in reprobum sensum*; Nam ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur. Sed nondùm penitùs, cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exterio-

rio-

riores, quæ magis ad diem iudicij pertinere intelliguntur. Vt penitùs extrà Deum sit quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitùs enim esse extrà Deum, quid est nisi esse in summa cæcitate? Si quidem Deus habitat lucem inaccessibilem, quò ingrediuntur, quibus dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*. Huius igitur iræ inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator. Timens itaque iudicij Diem, laborat, & plangit, nè ad illud perducatur, cuius initium tàm perniciosum nunc experitur. Et ideò non dixit, extinctus est, sed conturbatus est ab irà oculus meus. Si autem suà irà dicit oculum suum esse turbatum, neque hoc mirum est; Nam hinc forsitan dictum est; *Non occidat sol super iracundiam vestram*, quod interiorem solem, idest, sapientiam Dei. tanquàm occasum in se pati arbitratur mens, quæ sua perturbatione illum videre non sinitur. 1.Tim.6. Matth. 25. Nota Ephes.4.

Quanta lippitudo in oculis cordis ipsorum etiam Christi fidelium conspicitur, quàm raro, & superficie tenùs consideratur peccati pondus, quàm graue sit! nihil quippè leue est, vbi Christus offenditur. Grauis res omninò est peccatum, mortem introducit: ab his tenebris educi se Psalmographus rogat, & ait: Deus meus illumina tenebras meas. *Lippiunt enim oculi mentis sicut & corporei; quemadmodum isti, ità & illi distillationem patiuntur.* Meditatus sum, *inquit*, cum corde meo, exercitabar, & scopebam spiritum meũ, *seu, volutabam, & torquebam veluti in torculari, vt distillent passiones, quæ cor repleuerant, & rectè iudicet. Rursus clamat Propheta ad Dominum, lumen æternam, à quo omne lumen:* Deus meus illumina tenebras meas: *Luce perfunde me, fulgore tuo dissipa, & fuga oculorum meorum mala, & tenebras. Densitatem humorum, ac spissitudinem longa consuetudo in-* Author. Psal.17. Psal.76. Psal.17.

ma-

malis produxit. Disperde illa, Domine, cuius voluntas potentia est, quia omnia potes: & omnia seruiunt tibi.

Magna virtus Vnitatis, & grata Deo. Fraternitatē diligite, ait Petrus Princeps Apostolorum, & pastor ouium, omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles; vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrātes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei; vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christū. Et in Euangelio Matthæi legimus: Et procedens inde Iesus, vidit alios duos fratres Iacobum Zebedęi, & Ioannem fratrem eius componentes retia, & similitèr vocauit eos; Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, arte officij pares, fraternitate pietatis coniuncti: ideò sic vocauit & istos, nè tot bonis rebus coniunctos, dissimilis vocatio separaret. Gratiosè aliquis de hac duplici fratrum vtilitate locutus est, quoniam omnis Ecclesia præcipuè in charitate fuerit costruenda, sicut ipse dicit: *Hoc est autē mandatum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* Et iterùm: *In hoc cognoscent homines, quod mei estis discipuli, si charitatem habueritis inter vos.* Sicut enim in corporali ædificio lapis ad lapidem, cæmēto mediante, constringitur: sic in ædificio Ecclesiæ Christianus ad Christianum charitate mediante cōnectitur; Ideò super fraternitatem charitatis Ecclesiæ composuit fundamenta. vt radicibus Charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos. Et hoc super naturalem Charitatem, vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa Charitas firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in veteri testamento: ædificaturus enim populum illum per legem, supra Mosen, & Aaron posuit ædificationis initium. Quoniam

1. Pet. 1. 3. & 4. Matth. 4.

Ex Chrys. hom. 7 ex 55. in Mat. Ioan. 15. Ibid. 13.

niam autem abundantior gratia futura erat noui testamenti, quàm veteris, ideò populum illum quidẽ ædificauit secundum vnam fraternitatem, hunc autẽ secundum duas. (Ædificemus nobis, ciuitatem, & turrim, cuius caput, seù, culmen erit vsque ad cælũ. *Stulta quidem audacia, & impietate dictum: propter quod vindicta Dei secuta est, vt eorum lingua diuiderentur. Charitati nempè fidelium, & sperantium in domino erat relictum eiusmodi genus ædificij, cuius summitas vsque ad paradisi ciuitatem elata perueniret. O admirabilem vim amoris Dei, & mutuæ dilectionis fratrum!* Ciuitas etenim illa, in qua nobis regnare promissum est, tantùm ab hac distat, quantùm distat cælum à terrà, à tẽporali lætitia vita æterna: ab inanibus laudibus, solida gloria, à societate mortalium, societas angelorum, à lumine solis & lunæ, lumen eius qui fecit Solem, & Lunàm. In natiuitate summi regis gloriæ Saluatoris nostri Iesu Christi chorus Angelorum suaui concentu annunciat pacem hominibus bonę voluntatis. Relinquẽs quoque mundum ipso deuicto fracto mortis aculeo, superato exterminatore, aperto iam fidelibus regno cælorum iturus ad patrem. Pacem, ait discipulis suis, do vobis, pacem relinquo vobis. Pacificauit enim omnia Dominus in cœlo, & in terra. Et secundum Apostolum: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Gigantes dixerunt

Genes.11.

Ex Aug. lib 5. de Ciu Dei c.17

Psalm 135.

Luca 2.

Ioan.16.

Ex Hilario in Psal.67.

2. Cor 5.

Si pacem temporum desideramus accipere, non dissimulemus pacem cùm proximis custodire. Si enim in veritate, vis, vt vincatur diabolus inimicus tuus, citò tibi reconcilietur proximus tuus. Contrà nullum hominem deseuiat ira tua, & citò à te indignatio diuina cessabit secundùm illam promissionem Domini, & Saluatoris: *Si*, inquit, *dimiseritis hominibus*

Ex Aug ser.173 de Temp.

Matth.6.& 18.

nibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra.

Ex Chryſ hom. 3. in Geneſ. col. mihi penult. Liberalitatis in pauperes ſpecimen exhibeamus: ſcientes, quanta nobis merces ob curam illis exhibitam repoſita ſit. *Prou. 19.* *Nam qui miſeretur*, ait, *pauperi, fœneratur Deo.* Vide vſuræ raram naturam, & admirabilem! Alius eſt, qui accipit, & alius, qui ſe dandi fœnoris reum facit; & non hoc ſolùm nomine, ſed quia in hoc vſuræ genere non eſt locus ingratitudini, neque vlli alij dãno. Neque ſicut hic ſemel dare, quis *Matth. 19.* pollicetur, ſed centupla dantur, & non ſolùm centupla: nam aliqua dantur in præſenti vita, aliqua in futurà, nempè vità æternà.

2. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, docet Paulus, Chriſti rhetor, & Ex Chryſ. hom. 34. in Geneſ col. mihi 6.* *mundi piſcator, parcè & metet.* Manu igitur minimè parcà ſemina illa bona ſpargamus, vt ſuo tempore *Galat. 6.* multùm metamus*. Nunc enim ſeminandi tempus eſt, quod, nè prætereamus, obſecro: vt in die retributionis pro ijs, quæ hìc ſeminauimus, fructus percipiamus, & Domini miſericordiam aſſequamur. Nullum enim omninò aliud bonum ſic poterit reſtinguere peccatorum noſtrorum incendium, vt eleemoſinæ largitas: iſta & peccatorum noſtrorum additionem operatur, & magnam nobis fiduciam conciliat, & præparat, vt ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat.

* Idque nõ deficiẽtes: (vel, vt alia litera habet) infatigabiles: datur prò labore delectatio, iuxtà illud: *Delectationes, in dextera tua, vſque in finem.*

Pſal. 110. *Suauis vir, qui miſeretur, & commodat*; Non .n. *Ex Aug. ibidem* eum euomet Deus ex ore ſuo tanquam inſuauem. *Dimitte*, inquit, *& dimittetur vobis: date, & date vobis.* *Luc. 6.* In eo quod dimittis, vt dimittatur tibi, miſereris; in eo quod das, vt detur tibi, commodas. Quàmuis enim generali nomine omnis miſericordia dicatur, qua miſero ſubuenitur, intereſt tamen, vbi non impendis, nec ſumptum pecuniæ, nec corporalis laboris

ris industriam, sed ignoscendo, quod in te quisque peccauit, & tuorum gratis comparas veniam peccatorum. Hæc duo benignitatis officia, ignoscendorum peccatorum, & beneficiorum erogandorum, sicut in Euangelio, quod commemorauimus; *Dimittite, & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis*: sic in isto versu, arbitror esse distincta; *Suauis vir, qui miseretur, & commodat*. Nec pigri simus ad hæc, fratres: gloriã quærit, qui desiderat vindicari se. Sed attẽde, quod scriptum est: *Melior est, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem*. Diuitias quærit, qui non vult dare pauperibus. Attende quod scriptum est: *Habebis thesaurum in cælo*. Non ergo eris inglorius in ignoscendo, quia de ira victa laudabiliùs triumphatur. Non egemus tribuendo, quia thesaurus cælestis certiùs possidetur. Hunc versum parturiebat ille superior: *Gloria, & diuitiæ in domo eius*. Quæ hæc itaque facit: *Disposuit sermones suos in iudicio*. Facta ipsa, sermones sunt, quibus in iudicio defẽdetur, quod ei non erit sine misericordià, quia & ipse fecit misericordiam.

Prou. 16.

Matth. 19.

Inhæreamus, obsecro, Iesu Christi Domini vestigijs, vnusquisque, quantùm ipse dederit, deuoto affectu, & perualidà intẽtione beatis illius pedibus prouoluamur. Secùs hos pedes corporales iacẽs, ac pęnitens audit peccatrix: *Remittuntur tibi peccata tua*, & recognoscit eum, de quo ex multis retrò temporibus scriptũ legerat: *Egredietur diabolus ante pedes eius*. Vbi nempè peccatum remittitur, ibi procùl dubio diabolus de corde peccatoris expellitur.

Ex Bern. ser. 7. sup. Cant.

Luc. 7.

Abacuc. 3.

Hos pedes tenuerunt beatæ illæ mulieres, quibus post resurrectionẽ suam occurrit Iesus, vitę auctor, & prior salutauit, & adorauerunt eum: tenuerunt pedes, adorauerunt Deum. Hic ignis non vrit, sed illu-

Qui cantus dulcior, qui sonus suauior, quàm remissio peccatorum? Ambr. Athanas.

illuminat, imò & culpam vrit, virtutem plùs emundat. Quid ni ignis amoris ascendat, cùm ipse elementaris tendat sursum? Stemus nos, rogo, super custodiam nostram, quoniam tēpus militiæ est. Nec in sterquilinio huius miseri corporis, sed in corde, vbi Christus habitat, in iudicio, & consilio rationis, sit conuersatio nostra; ita sanè, vt non in ipsâ habeamus fiduciam, nec fragili innitamur custodię, sed figamus gradum in munitionem firmissimæ petræ, Christi totis viribus innitentes, sicut scriptū est: *Qui statuit suprà petram pedes meos, & direxit gressus meos.* [*Nec ruinam timere poterit ædificium: quàmuis in sublime elatum, si fundamentum situm fuerit super firmam petram: quàmuis descendat pluuia, & veniant flumina, ventique nimis flantes irruerint in eum.*] Quid ei nocere poterit eorum, quæ sub cęlo sunt, quem Deus cęli protegere, & cōseruare voluerit? Porrò sub cęlo sunt aereę potestates, sub cęlo pręsens sęculum nequam, & caro aduersùs spiritum concupiscens. Optimè igitur dictum est: In protectione Dei cęli commorabitur; vt nihil eorum, quę sub cęlo sunt, timere possit quisquis protectionem eius habere meruerit,

Ex Bernar. ser. de Verb. Abacuch Super custodiam meam stabo, &c.

Psal. 39.

Matth. 7.

Ex Bern. ser. 1. in Psal. Qui habitat.

Fortis triumuiratus.

Galat. 5.

Suaui quidem cantu melodes ille Dauid cecinit, dicens: Effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domū Dei, In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Et ecce iam quadam interiore dulcedine lætati sumus! Ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim, & raptim, perspicere potuimus. *Quare adhuc conturbas me; Quare adhuc tristis es?* Non enim dubitas de Deo tuo. Numquid enim non est, quod tibi dicas contrà illos, qui dicunt: *Vbi est Deus*

Psal. 41.

Ex Aug in præfat. Psal. 41.

Iuxtà illud: Parasti in dulcedine tua, seu, in suauitate tua pauperi Deus. *Psalm. 68.*

Psal. 41.

us tuus? Iam aliquid incommutabile persensi, quare adhùc conturbas me? Spera in Dominum. Et quasi responderet illi anima eius in silentio, quare côturbo te, nisi quia nondùm sum ibi, vbi est dulce illud, quo sic rapta sum, quasi pertransitum? Numquid iam bibo de fonte illo nihil metuens? [Est enim Deus instar fontis perpetuò fluentis. Basilius.] Iam nullũ scandalum pertimesco, iam de cupiditatibus omnibus, tanquàm edomitis, victisq; secura sum? Nonnè aduersùs me diabolus vigilat, hostis meus? Nonnè laqueos mihi quotidiè deceptionis intendit? Non vis, vt conturbem te, posita in sæculo, & peregrina adhùc à domo Dei mei? Sed spera in Dominum: respondet conturbanti se animæ suæ, & quasi rationem reddenti perturbationis suæ, propter mala, quibus abundat hic mundus. Interim habita in spe: *Spes enim quæ videtur, non est spes. Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectemus: spera in Domino.*

Alibi: Spera in Dño, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in delitijs eius.

Agnosce, quod in medio laqueorum pertransis, &c. *Eccli 9.*

2. Cor. 5.

Rom. 8.

Bonæ alæ charitatis, veræ alæ, quæ volitabant per ora Apostolorum, & alę ignis, quæ purgatum sermonem loquebantur, [Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, &c. 1. *Thess.* 2. Quæ ambo solent inficere prædicationem verbi Dei.] His alis euolauit Enoch raptus ad cęlum: His alis euolauit Elias curru igneo, & equis igneis ad superna translatus. His alis Doninus Deus per columnam ignis deducebat patrum plebem. Has alas habuit Seraphim, quando sumpsit carbones ignis de altari, & tetigit os Prophetæ, & iniquitates eius abstulit, & peccata purgauit. Harum alarum igne purgati sunt filij Luni, & baptizabantur populi nationum, sicut testificatur Ioannes, dicens de Domino Iesu: *Ipse vos baptiza-*

Ex Ambr lib. de Isaac, &c. pag. mihi 4 to. Genes. 5.

4 Reg. 2.

Exod. 13.

Esai. 6.

Malach. 3.

Matth. 3.

Psal. 25. *bit in Spiritu, & igne*. Meritò, vri renes suos volebat, & cor suum Dauid, quia alas igneas charitatis, sciebat, non esse metuendas. Meritò Hebræi pueri

Daniel 3. in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia; quia charitatis eos flamma refrigerabat. Et vt pleniùs cognoscamus, quia alas habeat perfecta charitas, audisti dudùm dicentem: *Quotiès volui congregare filios tuos; sicut gallina congregat pullos suos*

Matth. 23. *sub alas suas?* Sumamus igitur has alas, quæ sicut flamma ad superiora dirigunt. Exuat vnusquisque animam suam inuolucris sordidioribus, quasi aurum igne approbet detersam luto. Sic enim purgatur anima, velùt aurum optimum.

Ex Aug. lib. vno Enchirid. Ad Laurent, c. 68. tom. 3. Sap. 3.

Est etiam alius ignis, idest, tentatio tribulationis, de quo apertè scriptum est; *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Iste ignis in hac interim vita facit, quod Apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus; vni scilicèt cogitan-

1. Cor 7. ti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est ędificanti super Christum, fundamentum, aurum, argen-

1. Cor. 3. tum, lapides pretiosos: alteri autem cogitanti ea, quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, idest, ædificanti super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Illius enim opus non esuritur; quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur. Esuritur autem opus huius, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potiùs carere malit, quàm Christo, nec timore amittendi talia, deserit Christum, quàmuis doleat, dum amittit, saluus est quidem, sic tamen quasi per ignem. Quia vrit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum, sed non subuertit, neque consumit fundamenti stabilitate, atque incorruptione munitum.

Cum viderit nos tentator super fundamentum Christi ædificare ligna, fœnum, stipulã, tunc ignẽ supponit. Ædificemus ergo argẽtum, aurum, lapides pretiosos, & tentare non audebit.
Ex Hieronym. Non enim est pondus veræ virtutis, insensi-

Hu-

Huius ignis, afflictionum scilicet, Dauid Rex hymnographus, spirituali lyra resonat antidotũ, dum ait: De tribulatione inuocaui Dominum, & exandiuit me, „ in latitudine Dominus. Quasi dicat: Angustia no„ stræ tribulationis finitur: Latitudo autem, quò trã„ simus, non habet terminum. Quis enim accusabit ad„ uersus electos Dei? Nullum melius negotium est in tribulatione, quàm recedere ab eo strepitu, qui foris est, & ire in interiora mentis secretaria. Ibi Deum inuocare, vbi nemo videt gementem, & subuenientem. Illius cubiculi aduersùs omnem extrinsecùs illatam molestiam, ostium claudere, humiliare se ipsum in confessione peccati, magnificare, & laudare Deum, & corripientem, & consulentem. *(Quod totum munus omnipotentis, & misericordis Dei est: sed paucis datur: infælix prorsùs, & miser ego homo, tali charismate indignissimus!)*

sibilem esse. Nec Sanctus Iob omninò motus non est, nè Deum ipsa insensibilitate contemneret.
Ex eodem.
Psal. 117.
Rom. 8.
Ex Aug. in Ps. 34. Conc. 1.
Matth. 6.

Quantò maiores tribulationes fuerint, tantò vberior consolatio reseruatur. Et tamen nè cadas, atque succumbas: quantò maiores tentationes videris, tãtò magis roga Verbum Dei, vt adhortationem tibi afferat: sicut vocauit & Paulus, qui ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, qui nos exhortatur in omni angustia, vt possimus & ipsi consolari eos, qui sunt in omni tribulatione, per exhortationem, qua & ipsi aduocamur à Deo: quoniam sicut abũdant passiones Christi in nobis, ità per Christum abundat etiam consolatio nostra.* Tantà vi apostolicę petitionis rogat, vt consolationem accipiat à Domino in omni tribulatione, quò non solùm ipse induat tolerantiam, verùm etiam alios consoletur, vt & ipsi possint propriæ mentis angustias sustinere. Si igitur ipse in õni tribulatione idoneus fueris approbatus, tunc

Ex Ambros. in Psal 118 oct. 10 vers. Fiat nunc misericordia tua, vt exhortetur me, &c.
2. Cor. 1.
Nota hanc cõsiderationem.

tunc demùm dignus eris, qui consolationē accipies in omni tribulatione. Et tamen non omnis passio digna consolatione est: sed quæ passio pro Christo est, hæc consolationem Christi meretur.

Matth. 13. Ex Chrys. hom. 45. in Matth.

Christus Iesus, Deus, Rex, & legifer noster loquitur in Euangelio Matthæi de se ipso: Exijt qui seminat seminare. Vnde quæsò exijt, qui vbique præsens est, qui omnia replet; aut qualiter exijt? Certè non loco, sed habitudine, atque incarnationis dispensatione propinquior nobis factus. Nàm, quia nos venire ad ipsum non poteramus, peccatorum maceriâ ingressum, atque aditum prohibente, ipse ad nos egreditur. (Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso: *Ephes. 2.*) Via bona est, quæ a commeantibus frequentatur, non facilè incursatur à latronibus, qui auersa viarum obsidere consueuerūt. Iter regale munitum est. Moyses autem non transiuit viam, sed in via stetit, cui dictum est: Tu autem hìc sta mecum. Stetit cum illo, qui ait: *Ego sum via, & veritas, & vita.*

O inuestigabilis prorsus, & inexcogitabilis spiritus sanguinis Christi? Vbi fuit, qui pacē auersantur, & diuturnum seruant in pectore odium?

Ex Ambros. in Ps. 118. oct. 15. Enarrat.

Deut. 5. Ioan. 14.

Ex Aug. ser. 175 de Temp.

Saluator noster Christus Iesus ascendit in cęlum; ascendat cum illo cor nostrum: ascendamus iugi meditatione cum Christo: quò præcessit gloria capitis, eò spes sequatur & corporis. Audiamus Apostolum dicentem; *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt, quærite, vbi Christus est in dexterà Dei sedens: quæ sursùm sunt, sapite, non quæ super terram.* Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis: sic & nos cum illo ibi iam sumus, quàmuis nondùm

Ex eod. ibid. ser. 174. Coloss. 3.

in

in corpore nostro factum sit, quod promittitur nobis. In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamus in cœlis. (*Iesu meditatio, medicina est animæ, quæ corroborat, non debilitat. Fælix qui tale, tantumque munus habet à Deo!*)

Iesus Christus, ille inquam supercęlestis, ascendit super cælum cęlorum ad Orientem. ità canit David, (cuius pulchra cythara est, & animæ consolatio.) Et diuinus Apostolus: Iesus, inquit, ascendit super omnes cęlos, vt impleret omnia. Et in alio Psalmo legimus: Laudate eum cæli cælorum. Cęli præstantissimi, nempè cælum animarum, & Empyreum clarissimum, immobile, beatorum locus, alios omnes cælos regens, atque in se concludens, vt sit veluti cælorum tectũ. *Aquæ*, aquæ cælestes, cælum decimum, aqueum, crystallinum, naturam quamdam, & conditionem aquæ habens, Empyreo proximè inferius, ad qualitates aliorum contemperandas; primũ mobile, quod R. Ataia sic vocari putat, quia est æquabile, & vnius modi, idest, sine stellis, cum nonum concipiatur esse cęlum signorum Zodiaci, quæ posteà micent in firmamento. Octauum autem, siuè firmamentum, sit totum stellarum, reliqui septem singuli singulas habeãt stellas erraticas. Nostri malũt aquas, siuè aqueũ appellari ab aqueà substantià, quæ in modum crystalli concreuerit, & obduruerit. Quin & plerique eorum, vt Hæbręorum, putant esse primum quidem mobile, sed nonum cęlum, quoniam motum titubationis docent non nisi à quibusdam recentioribus Mathematicis, mente titubantibus, constitutum: propter quem illos oportuerit contrà veterum sensa, rationem, & experientiam, decimum cælum introducere. (Lege Ritium de motu octauæ Spheræ.)

Psal. 67.

Ephes. 4.
Psal. 148.
Ex Genebr. ibid.

Aquæ super cælestes sunt cælum decimum, aqueum, vel crystallinum.
De cælorum numero.

Qui piæ curiositatis teneris studio, consulè ad hæc Augustinum *lib. 12. de Genes. ad literam cap. 28. & seq. tom. 5.*

Ame-

Amemus quæsò, amemus, & laudemus Dominum Deum nostrum. Ille namque veracitèr laudat, qui veracitèr amat: Apostolus admonet, dicens: *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*. Intùs enim est hoc gaudium, vt vox canitur, & auditur: quia voce laudatur, qui gratis amandus est, toto corde, totà animà, tota mente, amatoremque suum accendit in se gratia Spiritus sancti sui.

Ephes. 5. Ex Aug. ep. 110. cap. 17. Matth. 22.

Laudetur Deus noster, laudetur voluntate, ametur charitate: gratuitum sit, & quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum, vt det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas Deum; Laudemus, & in ipsa laude gaudeamus: *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum*, Vox est citharędi Iesu Christi in Psalmis suis. Contuendum verò est in exordio Psalmi huius, quod ad laudem nos Dei aduocat: cum in superiore Psalmo ad solam benedictionem hortatus sit. Præstare autem laudem benedictioni, non ambiguum est. Primus enim odor in benedictionibus positus est, sed consummatur in laude: & laus non incipienda confusè est, sed ordine, ac modo confitenda est. Hoc enim primum est, *Laudate nomen Domini*. Nomen ergo Domini primùm laudare admonemur, quia Deus cæli sit, quia Deus terræ sit, quia Deus mundi sit, quia Deus (quod fidei nostræ, & spei proprium est) Abrahæ, & Isaac, & Iacob sit; In ipsa enim primùm Deo laus est. [Et Sponsa in Canticis amoris; *Indica mihi, quem diligit anima mea*; quasi dicat: Ità te nomino, qnoniam nomen tuum superat omnem cogitationem, & iutelligentiã, nec vniuersa natura particeps rationis id effari potest, aut comprehendere.] Sequens verò pręceptum est: *Laudate serui Dominum*. Per cogitationem nomini

Ex eod. in Ps. 53. Psalm 134. Ex Hilar. ibidẽ. Apocalyp. 14. Psalm. 133. In Psalm. 71. Exod. 3. Cantic. 1. Ex Nyssen. ibid hom. 2.

minis Dei ad scientiam eius proficimus. Iam enim non nomen Domini, sed Dominum laudamus: cognoscentes, cur Deus cæli sit, cur terræ Deus sit, cur Deus mundi, cur Abrahæ, & Isaac, & Iacob sit.

Hæc verò idem sanctus Dauid, Rex prudens simul, atque mitis in omnibus vijs suis, declarat in alio Psalmo, inquiens: Laudent eum cæli, & terra, mare, & omnia repentia in eis. Sub horum autem elementorum commemoratione, creaturarum omnium liberandarũ sensum, mentemque significans: vt, dùm cælum, & terra, & mare dicitur, cognoscantur Domino Iesu Christo *cælestia, & terrestia, & inferna genuflectere*. In his enim, quæ in mari repunt (tamen in aquatilibus natatus magis sit ex naturà, quàm reptio) ea, quæ in inferis degunt, docentur, cum profundum maris, sedem intelligamus inferni. Causam autem adhùc, cur cælum, & terra, & mare Deum laudent, ostendit, dicens: Quoniam Dominus saluificauit Sion; & ædificabuntur ciuitates Iudæ: Et inhabitabunt in ea, & hæreditabunt terram. Et semen seruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius, inhabitabunt eam. Laus vniuersa ex rerum admirabilitate proficiscitur. Tunc enim aliquid laude dignum videtur, cum opus ipsum ita magnificum, atque præclarum est, vt & prouidentiam, ac virtutem gerentis, & gestorum decus, vsumque contineat.

Psalm. 68. Ex Hilar. ibidẽ.

Philipp. 2.

Non minus pulchrè, quàm deuotè, per Psalmistam dicitur: Lætetur Israel in eo, qui fecit eum. Quid est Israel? Videns Deum: Hoc enim interpretatur nomen Israel. Qui videt Deum, in ipso lætatur, à quo factus est. Quid est ergo, fratres, quid dicimus nos ad Ecclesiam pertinere Sanctorum? numquid iam videmus Deum? Est quædam visio huius temporis, erit altera visio futuri temporis. Visio, quæ modò

Psalm. 149. Ex Aug ibidem Nequaquàm Iacob appellabitur nomẽ tuũ, sed Israel: *Genes. 32 Consule eũdẽ Sanctũ lib. 16. de Ciuit. Dei c. 39.*

est, per fidem est; visio, quæ futura est, per speciem erit. Si credimus, videmus: si amamus, videmus. Quid videmus? Deum. Vbi est ipse Deus? Interroga Ioannem, *Deus charitas est*. Benedicamus nomen eius sanctum, & gaudeamus in Deo, si gaudemus in charitate. Quisquis habet charitatem, vt quid illum mittimus longè, vt videat Deum? Conscientiam suā attendat, & ibi videt Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus: si autem charitas, ibi habitat, Deus ibi habitat. Vult illum fortè videre sedentem in cælo? habeat charitatem, & in eo habitat, sicut in cælo.

1. Ioann. 4.

Ex eodē in Psal. 115. col. mihi 9.

Certè nouimus, & nosse debemus, & tenere, quià est os cordis, est & lingua cordis. Ipsum os impletur gaudio, in ipso ore intùs oramus Deum, quando labia clausa sunt, & patet conscientia. Silentium est, & clamat pectus. Sed auribus cuius? Non hominis, sed Dei. Securus ergo esto, ille audit, qui miseretur.

Iob 29.

Ex Greg. lib. 19. moral. cap. 14.

Sanctus Iob, ille patiens, in pyrà tribulationum positus, cuius laudes Deus ipse exornatè prædicat, ad ea, quæ de pace disserimus, deuotè nimis sic eloquitur: In nidulo meo moriar, & sicut palma, seù phœnix, multiplicabo dies. Quid autem hoc loco per nidi nomen exprimitur, nisi tranquilla quies fidei, qua vnusquisque infirmus nutritur? Multitudo quippè illa bonorum, quæ persecutionum temporibus fuerit deprehensa, nutrimentorum suorum dies, quasi in nido, sic in loco quietis, explere se credidit. Nàm, nisi sancta Ecclesia infirmos, quosque filios nunc in nido pacis enutriret, Psalmista non diceret: *Etenim passer inuènit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos*. Iam quippè domum inuènit sibi passer: quià æternū cæli habitaculum noster Redemptor intrauit. Et turtur inuènit nidum, quia sancta Ecclesia amore conditoris

Psalm. 83.

ditoris affecta, crebris gemitibus vtitur, & velùt nidũ sibi, idest, pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios, quasi plumescentes pullos, quousque ad superiora euolent, charitatis gremio calefactos fouet. Igitur, quia tunc erunt, qui pacis tẽpore se ad superna migrare, idest, à nido euolare crediderunt, eorum vox, beati Iob voce præuenitur, cum ait: Dicebamque: In nidulo meo moriar. Quia verò hoc ipsum pacis otium ex multorum dierum longitudine promittebant, rectè subiungit, dicens: Et sicut palma multiplicabo dies.

Item alibi idẽ Propheta in Cãticis eruditus, qui musicam non voluptate, sed voluntate, suauitèr canit: Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos. In turture, & passere, Saluator noster significatur. Passer enim, vt scitis, perparua auis est. Turtur autem, vt legimus, pudicissima. Et ideò Saluator noster passer dicitur; quia docuit primus humilitatẽ. [Nonnè quinque passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione corã Deo? *Luc.* 12.] Turtur dictus est, quia docuit primus castitatem. Vnde etiam in Canticis Canticorum Propheta dixit: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Audire cæpit, puritatem castitatis adamauit. *Etenim paßer inuènit sibi domum, & turtur nidum sibi, vt reponat pullos suos.* Quæ est enim domus Christi, nisi Ecclesia Dei? Quæ est domus Christi, nisi conuentus Populi Christiani? [1. *Timoth.* 3. Vt scias, quomodò te oporteat in domo Dei conuersari, &c.] Hanc ergo domum Saluator cum ingenti pietate quæsiuit, & inuènit. Hanc peculiaritèr diligit. Meritò peculiaritèr diligit, quam peculiaritèr suo sanguine comparauit. [Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vanà vestrà conuersatione paternæ

Psalm. 83.

Ex Aug hom 33 ex 50. tom 10.

Christus, humilitatis Magister, cũ verbo docuit, & exemplo.

Cant. 2.

Speramus in Deum viuum, qui est *Saluator* omniũ hominũ, maximè fideliũ: 1. *Timoth.* 4.

traditionis: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, &c.]

Ex eod. serm. 54. de Temp. Act. 4.

Viri spirituales non diuiduntur: quia est illis *cor vnum, & anima vna* in Deum. Est in illis vnum velle, ac nolle. Illis enim quas suprà diximus, auibus, similes sunt, turturi scilicèt, vel columbæ: In turture castitas, in columbâ simplicitas designatur. Omnes enim in Ecclesia catholica Deum timentes, & casti, simplicesque esse signantur, & cum Psalmistâ dicere possunt: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Psalm. 54. Et iterùm: Turtur inuènit sibi nidum, vbi reponat pullos suos: Psalm. 83.*

Timor, enim Domini sanctus, vel vt alij legût, castus, sincerus, mundus, stans in æternitatem. Geneb. in Ps. 18.

Et quando carnales, qui diuidi possunt, grauibus vitiorum compedibus premuntur in mundo, spirituales diuersarum virtutum pennis eleuantur iu altum, & duabus velùt alis, duobus scilicèt præceptis diligendo Deum, & Proximum, eriguntur in cœlum, & cum Apostolo dicere possunt: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Et quotiès Sacerdos dixerit: *Sursum corda*, securi, & fidelitèr dicunt, se *habere ad Deũ*: quod valdè pauci, & rari in Ecclesia fiducialitèr, & cum veritate dicere possunt. Ideò ergo aues Abrahã non diuisit: quia spirituales, quibus, sicut dixit, est *cor vnum, & anima vna*, diuidi, & à Dei, vel à proximi amore separari non possunt; sed cum Apostolo clamant: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio?* Et cætera, quæ sequuntur, vsque ad id, quod dictum est: *Neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Matt. 22.

Philipp 3.

Genes. 15.

Act. 4.

Rom 8.

Ex Chrys hom. 64 ad Populũ, vel mihi penult. tom 5.

Nihil enim est, quod non superet amor cum desiderio. Cum autem & Dei sit desiderium, omnium est altissimum: & neque ferrum, neque paupertas, non infirmitas, non mors, nèc aliud, quid huiusmodi

graue

graue videbitur talem amorē possidenti: sed omnia deridens, ad cœlum volabit, & illic morantibus nihilò se geret indignius, aliud intuens nihil, non cælum, non terram, non mare: sed ad vnam tantùm pulchritudinem intentus illius glorię: & nèc eum pręsentis vitę tristia humiliabunt, nèc extollere, & inflare suauia poterunt, & voluptatem habentia. Capiamur igitur hoc amore: huic enim par nihil, & propter pręsentia, & propter futura. Quin insupèr propter ipsam amoris naturam liberabimur, & à pręsentis vitę, & à futuri sęculi supplicijs, & regno fruemur. Veruntamèn neque gehennæ absolutio, neque regni delectatio magnum aliquid est ad id, quod est dicendum. Hoc enim omnium est maximum, Christum amatum, simul & amatorem habere. Si enim hoc in hominibus continget, omni voluptate superius est; cum hæc vtraque circà Deum euenerint, quis sermo, quæ mens exprimere poterit; eius animę beatitudinem? Nulla profectò, sed experientia sola. Vt itaque per experientiam discamus hanc spiritualem lætitiam, & beatam, & mille bonorum thesaurum, omnia dimittentes, illam charitatem retineamus.

Nihil verò est validius contra Diaboli dolos, quā benignitas misericordiæ, & largitas charitatis, per quam omne peccatum, aut declinatur, aut vincitur. Charitatem itaque, sine qua nulla virtus potest nitere, sectemur: vt per hanc, qua ad nos Christus descendit dilectionis viam, etiam nos ad ipsum possimus ascendere. Cui est cum Deo Patre, & Spiritu sancto honor, & gloria in sæcnla sæculorum. Amen.

Ex Leone Mag. serm. 2. de Ascēsione Domini, circ fin.

Charitate, & misericordia nihil contra Diabolū efficacius.

1. Cor. 13.

Omnia nobis, & in omnibus Christus; itaquè anima accedat ad Christum, siuè corporalibus ægra peccatis, siue clauis quibusdam sæcularis cupiditatis infixa, siue imperfecta adhùc quidem, sed intenta

Coloss. 3.

Ex Ambr. lib. 3. de Virgin. c. 4.

tamen

tamen meditatione proficiens, siue multis aliqua sit iam perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Itaque, si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.

Author. *Suppetiæ Christianæ militiæ potiores, oratio est: viaticum nostræ peregrinationis, qua peregrinamur à* 2. Cor. 5. *Domino, vniuersitas armorum, quibus induti ignea* Ephes. 6. *valeamus extinguere tela inimici*: Mille clypei pen- Cant. 4. dent ex ea, omnis armatura fortium. *Deprecatio non solùm purgat à peccatis, verùm etiam pericula depellit. Armatus est inexpugnabilis, & tutissimum, nèc vnquã fallens munimentum: in tempestate gubernator, cicatricum medicina. Per se bona, sed melior, quando offertur cum ardenti, & feruido animo. Denique animæ cibus est, & alimentum. Instantèr ergo vnusquisque, quantùm desuper sibi datur, à largitore bonorũ omnium Deo incessantèr expetat tàm necessarium, tàmque vtilè donum. Rogemus humilitèr, vt inserere dignetur cordibus nostris sui amoris affectum, quatenùs in omnibus eum, & super omnia diligamus.* [Sic repleat cor nostrum charitas, vt nullus remaneat vanitati locus: beatus namque est, qui non accepit ad vanitatem Psal. 146. animam suam: *Psalm.* 23.] *Speremus insuper* super Psalm 39. misericordia eius: *Repetamus crebrò illius Regis, &* Psalm. 30. *Prophetæ mirabilis Dauid*; Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius. *Et*: Magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam perfecisti eis, qui sperãt in te. *In spe quippè viuimus, de spe laudamus, de spe* Psalm. 61. *suauitèr Deo cantamus: Spes consolatur*: Speremus in Deo omnis congregatio *Populi fidelis*: effundamus

coràm

coram illo corda nostra, quoniam adiutor, & protector noster est; Qui sanat contritos corde. *Amantes speremus, & confidamus. Nihil salubrius, nihil vtilius, nihil perfectius. Memores tamen simus, non dimitti in oratione peccata magna, vel parua, nisi proximis indulgeatur ab orante de corde suo. Diligamus nos* *Psalm. 146.*
„ *inuicem, quia charitas ex Deo est.* Et omnis, qui *1. Ioann. 4.*
„ diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui
„ non diligit, non nouit Deũ; quia Deus charitas est.
Nè punctum quidem temporis de medio cordis nostri separari sinamus charitatẽ Dei; & vt verè nominemur, & simus Discipuli Christi Iesu, præcepta eius custodiamus nimis. Benè affecti simus in proximos, mutuã in nobismetipsis charitatẽ continuã habentes, *eisq; lucis exempla monstremus,* vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christũ Dñm nostrum. *Ipse Christus Deus noster pax est: Vadens ad cælum, nobis vexillum dimisit, dicens:* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. *1. Petr. 4.* *Nota.*

Seruemus quæsò, quod Christus donauit. Denique laudemus Deum per singulos dies, vt cum finiti fuerint singuli dies, & venerit sine fine vnus dies, eamus ex laudibus in laudes, sicut ex virtutibus in virtutes. *Ioan. 14.*

Custodiamus pacem, & illa nos custodiat in Christo Iesu, cui cum Patre, & Spiritu sancto, sit gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

LAVS DEO, MAGNÆ DEIPARÆ, SANCTISQVE OMNIBVS.

Explicit Tractatus De Dilectione Dei, & Proximi D. D. Aloysij de Sancto Seuerino Principis Bisiniani, Comitis Saponariæ, Altimontis, &c. Ab Adm. Reu. D. Canonico Ioanne Nouellio eiusdem Excellentiss. Principis à Secretis transcript. & recognit.



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.
GENESIS.

Exodi.

Leuitici.

Numerorum.

31 Si

Deuteronomij.

1. Regum.

2. Regum.

3. Regum.

Iob.

31 *Si*

Deuteronomij.

1. Regum.

2. Regum.

3. Regum.

Iob.

31 Si

39 *Sta-*

Holo-

Læta-

Quàm

Pone

Prouerb. Salomonis.

Sa-

Sapientiæ.

Ecclesiastici.

Prophetiarum Isaiæ.

Nolite

Marci.

Lucæ.

Ioannis.

Qui

Man-

5 Sed

Secundæ ad Corinthios.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Nàm,

IN-

INDEX

RERVM, SENTENTIARVM, ET VERBORVM,

Quæ, specialiori Notà digna, in hoc Volumine continentur.

A

Pau-

Arcus,

B

Ceruix

Chri-

Cælo-

D

Dei

Dile-

E

Dat

Fides

G

Pax,

meum

H

Præ-

Pacem

qui

L

Magi-

M

Maria,

Mens

Suprà

N

Noè,

Os

P

Cum

Di-

Pro-

sunt

R

S

Dc

T

V

Via

Vnitas



F I N I S.

ER-

ERRATA.	CORRECTA.
Voluntatis,pag.33.	Voluptatis.
Martures,10.	Martyres.
Dilecionem,17.	Dilectionem.
Vt cum noluit,84.	Vt cum voluit.
Anima,105.	Animæ.
Absque,109.	Atque.
Duorum, 170.	Durum.
Refugium ex hennacijs.	Refugium herinacijs.
Pretiō,220.	Pretioso.
Desideram,239.	Desideraueram.
Parcere Maiestati,281.	Parere.
Icit,296.	Dicit.
Ireæ,297.	Iræ.
Delitiarum,300.	Deliciarum.
Eùmerando,322.	Enumerando.
Præponit,329.	Proponit.
Extrudant,	Extruduntur.
445.	345.
Nè tædium aliæ, 409.	Tædium aliquod.
Eæprimit,414.	Exprimit.

INuigilans cæteris Operibus, quæ respiciunt vniuersum Testamentum Nouum, nequiui sic attendere correctioni, vt vitarentur errores, qui dùm imprimebatur Volumen istud, irrepsere; Et, quia multi sunt, minus malum indicaui (exceptis tamen quibusdam grauioribus) pietati, & prudentiæ Lectoris remittere corrigandos, cætera incorrecta relinquere.